
10 | 650 | 65
60
50
50

3 | 650 | 211
6
6
5
50

Para a infinidade Sendo a mesma

fazendo

Omnia exemplaria auctoris chirographum gerunt.



THEOLOGIAE MORALIS

INSTITUTIONES

QUAS

IN COLLEGIO LOVANIENSI

SOCIETATIS JESU

TRADEBAT

EDUARDUS GÉNICOT

EX EADEM SOCIETATE

EDITIO TERTIA

VOLUMEN PRIMUM

LOVANII

TYPIS ET SUMPTIBUS POLLEUNIS ET CEUTERICK

30, VIA ORPHANORUM, 30

1900

BX1758
G4
1900x
v.1

Ego Augustus Petit, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Ludovico Martin, ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus Theologiae Moralis Institutiones a P. Eduardo Génicot, S. J. conscriptum et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, iterum typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 5 Maii 1899.

AUG. PETIT, S. J.
Praepositus Provinciae Belgicae S. J.

IMPRIMATUR. Mechliniae, 8 Maii 1899.
PETRUS LAMBERTUS. Card. GOOSSENS, Arch. Mechl.

PRAEFATIO PRIMAE EDITIONIS.

Mirabitur forte nonnemo cur in tanta copia Compendiorum Theologiae Moralis, et quidem optimorum, Institutiones meas in lucem ediderim. Quare pauca de scopo quem in scribendo intendi praefari visum est.

Ad scribendum imprimis incitavit me dilectorum Auditorum meorum utilitas : iis enim gratum fore confido hoc opus meum, quo a labore prolixi codicis scribendi et simul a plurimis erroribus atque dubiis circa doctrinam a me traditam liberentur. Illud quoque intendi ut iisdem Auditoribus et ceteris viris ecclesiasticis, si qui cupiunt, quasi medullam praeberem plurium egregiorum operum quae nuper de Morali Theologia edita sunt, imprimis Operis Theologici Moralis praeclarissimi olim Romani Professoris Antonii Ballerini, e Societate Jesu ; quod nuper in lucem edidit et eximiis additamentis notisque locupletavit P. Dominicus Palmieri, ex eadem Societate, mox in Consultorem S. Poenitentiariae cooptatus. Tandem nuper exorta quaestio socialis, ut aiunt, quasi novam faciem pluribus argumentis moralibus dedit. Haec igitur nova forma proponenda censui, breviter tamen, prout limites libri scholis destinati sinebant et quatenus ad conscientiae obligationes, minime vero quatenus ad politicam vel socialem oeconomiam pertinent.

De norma quam in scribendo tenui pauca addam. Brevius conclusi vel penitus omisi plura quae apud multos, etiam recentes, auctores fuse exhibentur : quippe quae nostris temporibus vel regionibus minus utilia reputaverim. Eadem de causa plerumque abstinui a recensendis Doctoribus qui sententiis jam communiter receptis adhaerent. Eos enim qui Theologiae Morali

NOV 2 1 1982

studere incipiunt vel occurrentis casus solutionem quaerunt, parum juvat scire quis quid dixerit, modo doctrinam practice tutam clare expositam reperiant. Saepe etiam ex industria omisi nomina eorum qui sententiis hodie communibus adversati sunt, praesertim quando jamdudum eorum argumenta explosa et opera oblivione sepulta jacent. Hinc illud commodum oriturum spero, ne tirones oneroso eruditionis apparatu obruantur, nec de ipsa Theologia Morali (ut fit) minus recte sentire incipiant, quasi Doctores de qualibet fere quaestione discordent : quod reapse pronum est existimare legentem quosdam auctores, qui crebro paucorum opiniones, jamdiu obsoletas vel nulla solida ratione nixas, commemorant. Quodsi quis scire cupiat quinam sententiae communi patrocinati vel adversati sint, facile eorum nomina in operibus prolixioribus, praesertim in Theologia Morali praecipui ducis nostri, S. Alphonsi a Ligorio, reperiet.

Verum, ubi occurrebant quaestiones nullo S. Sedis documento, neque communi consensu diremptae aut e recentioribus adjunctis ortae, diligentius indicavi quinam auctores sententiae meae faveant vel adversentur. Ita enim fiet ut auditores mei non cogantur jurare in verba magistri et, quantum satis est, percipiant quatenus hodiernae controversiae mentes Theologorum Moralium divisas teneant.

Tandem studui (quo successu, videant alii) nihil proponere quod solida ratione destitueretur vel cum sententiis in aliis harum Institutionum partibus receptis logice pugnaret. Atque, ut verbis S. Doctoris Alphonsi concludam : « In delectu sententiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati praeponere. » (Monitum ad Lectorem, in capite Theologiae Moralis)

Explicatio praecipuorum siglorum.

S. Alph.	S. Alphonsi de Ligorio Theologia Moralis. Citatur Editio Mechliniensis an. 1852. Adverte non esse in omnibus editionibus eumdem librorum ordinem.
S. Alph. H. A.	S. Alphonsi Homo Apostolicus instructus ad audiendas confessiones. (Lugduni, 1832)
Bus. ap. S. Alph.	Medulla Theologiae Moralis Hermanni Busembaum S. J. quam S. Alphonsus suae Theologiae Morali inseruit.
Ball. P.	Antonii Ballerini e Soc. Jesu Opus Theologicum Morale in Busembaum Medullam quod absolvit et edidit P. Dominicus Palmieri ex eadem Societate. Additur plerumque solus numerus, v. gr. 72 : is refertur ad partem correspondentem istius Operis, cujus ordinem fere sequuntur nostrae Institutiones. Nisi contrarium dicatur, citatur prima editio.
Coll. P. F.	Collectanea S. Congreg. de Propaganda Fide seu Decreta, Instructiones, Rescripta ex tabulario ejusdem S. Congreg. deprompta. (Romae, 1893)
Coll. S. M.	Collectanea Constitutionum, decretorum, indultorum ac instructionum S. Sedis ad usum Operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad exteros. (Parisiis, 1880)
Coll. Bizz.	Collectanea in usum Secretariae S. Congr. Episcoporum et Regularium, cura Cardin. Bizzarri edita. (Romae, 1853)
Coll. S. R.	Decreta authentica Congr. S. Rituum ex actis ejusdem collecta ejusque auctoritate promulgata. (1898)
Act. S. S.	Acta excerpta ex iis quae apud S. Sedem geruntur.
N. R. Th.	Nouvelle Revue Théologique. (Tournai)
Denz.	Enchiridion Symbolorum et Definitionum editum ab Henrico Denzinger. (Wirceburgi, 1888)
C. C.	Codex Civilis Belgicus, qui idem est ac Gallicus seu Napoleonicus.

N. B. Nomina auctorum, si quando non integra citantur, facile complebuntur e catalogo auctorum ad calcem Vol. II. posito. Sigla quibus designantur variae Congregationes Romanae satis clarescent consulenti Vol. I. n 135.

PRAEAMBULA.

1. DEFINITIO. Theologia Moralis definiri potest : illa theologiae pars quae considerat actus humanos in ordine ad beatitudinem supernaturalem consequendam.

Ex hac definitione liquet quodnam sit Theologiae Moralis *objectum materiale,* nempe omnes et soli actus humani ; quodnam *objectum formale,* nempe aptitudo actuum humanorum ut hominem ad beatitudinem supernaturalem ducant vel contra ab eadem removeant. Insuper ex hac ratione formali sub qua actus humani a Theologia Morali spectantur, patet hanc scientiam uti, tamquam medio cognitionis, non tantum principiis rationis, sed etiam, et praecipue, lumine fidei.

2. Quo clarius intelligatur Theologiae Moralis natura, juvabit breviter considerasse qua ratione a praecipuis scientiis affinibus discrepet :

a) A Philosophia Morali. Haec directe nititur solius rationis principiis, ac proinde actus humanos considerat tantum in ordine ad finem hominis naturalem, quem finis supernaturalis plurimum excedit. Differt igitur a Theologia Morali tum objecto formali, tum medio cognitionis.

b) A Theologia Dogmatica. Haec proxime intendit scientificam demonstrationem et illustrationem veritatum fidei christianae ac perfectionem intellectus, dum Theologia Moralis, assumens illas veritates tamquam demonstratas, proxime intendit voluntatis subjectionem ac perfectionem.

c) A Theologia Ascetica. Haec spectat id quod est perfectionis, quo plenius et securius finis ultimus attingatur, non autem, ut Theologia Moralis, id quod est omnino necessarium ne quis a fine ultimo recedat.

d) A Theologia Pastorali. Haec e Theologiae Moralis et Asceticae principiis deducit practicam methodum qua pastor animas sibi creditas ad salutem et perfectionem ducere debet.

e) A Jure Canonico. Haec scientia versatur circa leges, quibus ordo externus Ecclesiae determinatur et actiones fidelium diriguntur ad finem Ecclesiae proprium. (Aichner, Comp. Juris Eccl. § 3) Spectat igitur Jus Canonicum directe forum externum, Theologia Moralis, internum.

3. **METHODUS**. Primis undecim aevi christiani saeculis, multa quidem scripta, sive ab auctoritate ecclesiastica, sive a privatis viris concinnata sunt.quae fidelium mores regerent et speciatim administrando poenitentiae sacramento regulam darent. Attamen plena ac scientifica Theologiae Moralis expositio saeculo tantum XII° tradi coepit simul ac Dogmaticae quoque Theologiae Summas magistri Scholastici edidere. De qua lenta evolutione conferri potest Dissertatio a P. Zaccaria confecta, quam S. Alphonsus operibus suis praemisit, vel Introductio ad Theologiam fundamentalem D. Bouquillon.

Ex quo autem tempore integra Theologia Moralis, sive permixta Dogmaticae (ut in 2ª parte S. Thomae), sive separatim edi coepit, duplicem praesertim methodum in ea tractanda distinguere est. Prior, quae Scholastica audit, in eo est quod principia scientiae moralis accurate demonstrantur, elucidantur, a difficultatibus vindicantur. Quare solidum fundamentum praebet cui tum casuistae, tum ascetae innitantur. Posterior, quae Casuistica dicitur, suppositis scientiae moralis principiis vel brevi eorum expositione praemissa, praecipue disputat quid in singulis vitae adjunctis, praesertim in difficilioribus et implexis, liceat vel non liceat, utrum bona actio sit strictae obligationis an meri consilii, utrum actio minus recta ad peccatum grave an ad leve tantum pertingat.

Praeter duplicem hanc methodum, ab aliquibus AA. (Kleutgen, Theol. der Vorzeit, t. IV. p. 671 seqq. ; Simar, Lehrbuch der Moraltheologie, p. 23) recensetur et methodus Mystica, quae media virtutem et sanctitatem acquirendi fuse proponat et ad ea adhibenda alliciat. Qui tamen hanc methodum sequuntur libri potius inter asceticos quam inter theologico-morales reponendi videntur.

4. Quamquam ita duplicem vel triplicem methodum distinguere juvat, saepe in eodem opere nunc huic, nunc illi insistitur : neque claro limite ab invicem separantur. Cfr. Kleutgen, l. c. Imo perfectio Theologiae Moralis postulare videtur ut aliqua ratione conjungantur. Nam ut scientia practica plene et solide tractetur, non sufficit accurata principiorum elucidatio (quod magis ad Scholasticam pertinet), sed insuper requiruntur tum enodatio applicationum difficiliorum (quod propius ad Casuisticam accedit), tum explicatio plurium consiliorum quae ad seipsum aliosve securius et perfectius dirigendos conducant (quod Mysticam redolet). Quare sapientis est nullam ex his methodis parvi facere, sed pro natura argumenti nunc huic, nunc illi insistere. In hunc fere sensum scribit S. Alph. (l. 6 n. 628) : " Qui ad hoc munus excipiendi confessiones inhiant, non facile sibi persuadeant quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiae moralis ; pro qua certe non sufficit aliquam percurrere Summulam earum quae circumferuntur;

nec satis est generalia principia hujus facultatis scire ut quidam qui, casuistas contemnentes, litteratorum arrogant sibi nomen, autumant. „

Quae verba S. Doctoris ut rite intelligantur, advertendum est istud " Casuistae „ nomen duplici significatione usu venire. Priore sensu, designat illos auctores qui, neglecta fere omni scientifica principiorum expositione, toti sunt in solvendis subtiliter casibus, praesertim intricatis : qui sane merentur contemptum quocum nomen illud hodie usurpari solet. Posteriore autem sensu, tribuitur illis omnibus qui, nullatenus neglecta scientifica expositione, necessarium tamen duxere etiam difficiliores casus accurate excutere. Hoc sensu usurparunt illud nomen plurimi saeculi XVII[i] vel XVIII[i] scriptores, praesertim rigorismo addicti. Hi non dubitarunt asserere morum perversionem inter Christianos inde potissimum originem traxisse quod Theologi Casuistae (ut aiebant), subtilius de moribus disputantes, pristinam simplicitatem pervertissent : ideo, omissis illis inutilibus et noxiis controversiis, redeundum esse ad Sacram Scripturam et Ecclesiae Patres quibus hae subtilitates prorsus ignotae fuissent. Manifestum est hanc calumniam, qua impetebant primae notae Theologos, ut Sanchez, Suarezium, Lessium etc. nullo solido fundamento niti, quemadmodum fuse ostendit Zaccaria in praelaudata dissertatione. Videsis Palmieri in Praef. ad Opus theol. mor. Baller. p. V.

5. **ORDO.** Ordinem sequemur qui plerumque convenit cum illa divisione quam in sua celeberrima " Medulla „ statuit Busembaum. Studiosis enim ita praebebimus facilem tramitem et utilem concordiam cum S. Alphonso aliisque compluribus Doctoribus qui eadem via incessere. Summatim huc redit ordo iste : praemissis generalibus principiis de ordine morali ejusque violationibus (Theologia Moralis generalis), explicantur singulae obligationes quae hominem christianum adstringunt (Theologia moralis specialis). Inter istas primum explicantur quae omnibus incumbunt ob exercendas virtutes theologicas et servanda praecepta Dei et Ecclesiae ; sequuntur eae quae ad quasdam particulares fidelium classes pertinent; tandem proponuntur officia e sacramentorum institutione oriunda. Concluditur opus brevi conspectu poenarum spiritualium quibus Ecclesia fidelium delicta coercet.

Theologia Moralis generalis complectetur tractatus quatuor.

I. De Actibus humanis.
II. De Conscientia.
III. De Legibus.
IV. De Peccatis.

Theologia Moralis specialis complectetur tractatus quindecim.

V. De Praeceptis virtutum theologicarum
VI. De Praeceptis Decalogi.
VII. De Praeceptis Ecclesiae.
VIII. De Justitia et Jure.
IX. De Contractibus.
X. De Praeceptis particularibus.
XI. De Sacramentis in genere.
XII. De Baptismo.
XIII. De Confirmatione.
XIV. De Eucharistia.
XV. De Poenitentia.
XVI. De Extrema Unctione.
XVII. De Ordine.
XVIII. De Matrimonio.
XIX. De Censuris et Irregularitatibus.

THEOLOGIA MORALIS GENERALIS

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

DE NATURA ACTUUM HUMANORUM.

6. DEFINITIO. Actus humani, proprio sensu, ii tantum dicuntur qui ex voluntate deliberata procedunt. (S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1)

Nempe inter actus qui ab homine fiunt quidam ei sunt communes cum entibus inferioribus ejusdem generis seu cum ceteris animantibus, puta sentire; quidam ipsius sunt proprii quoad substantiam, sed non quoad modum quo ab ipso procedunt, puta cogitationes vel passionum motus qui omnem deliberationem praevertunt: hi enim, licet non reperiantur in brutis, a nobis non minus necessario procedunt quam a brutis eduntur actus inferiores; tandem quidam proprii sunt hominis tum quoad substantiam, tum quoad modum, et hi soli dicuntur *humani*, seu hominis maxime proprii, dum reliqui actus *hominis* dici solent.

Modus autem specialis qui in actibus humanis reperitur is est quod homo est eorumdem dominus per rationem et voluntatem, seu per liberum arbitrium. Vid. ut habeatur dominium istud, oportet ut facultas a qua actus proficiscitur immunis sit non tantum a coactione, seu vi extrinsecus illata, sed etiam a necessitate seu intrinseca determinatione. Etenim si, positis omnibus ad agendum requisitis, jam non est in hominis dominio actum elicere vel omittere, nequit dici illius actus dominus exstitisse.

Solos actus humanos seu liberos spectat Theologia moralis, quia nonnisi per eos homo ad finem suum supernaturalem accedit vel ab eodem recedit. Manifestum enim est aeternam beatitudinem, cum per modum praemii sit assequenda, non posse obtineri nisi per actus liberos: siquidem fidei aeque ac rationi repugnat aliquem praemio donari vel poena affici propter actum qui extrinseca vel intrinseca necessitate ab eo prodierit. Hanc veritatem Dogmatici vindicare solent a subtilita-

tibus Baii et Jansenii. Hujus prop. 3ª, damnata ut haeretica, sic sonabat : " Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. „

7. DIVISIO. Actus humani dicuntur :

1° *Eliciti* vel *imperati.* Priores illi sunt qui immediate procedunt a voluntate et in eadem facultate perficiuntur, ex. gr. amor vel odium Dei. Posteriores illi sunt qui, ex imperio voluntatis, ab aliis potentiis sive internis, sive externis procedunt. Hi posteriores dici possent eliciti relate ad potentiam a qua procedunt, ex. gr. actus fidei relate ad intellectum a quo eliciuntur sub imperio voluntatis. Sed cum actus hic spectemus unice quatenus humani sunt, eos tantum dicimus elicitos qui toti consummantur in ea facultate in qua formaliter residet libertas et per quam solam homo est actionum suarum dominus. Dicuntur tamen interdum imperati etiam actus voluntatis, quatenus ab alio ejusdem potentiae actu determinantur, ex. gr. amor inimicorum ex amore Dei.

2° *Interni* vel *externi.* Priores illi sunt qui internis tantum potentiis, posteriores qui et organis externis perficiuntur.

3° *Naturales* vel *supernaturales.* Priores illi sunt qui per solas facultates naturales eliciuntur ; posteriores illi qui eliciuntur a facultate per auxilium gratiae divinae elevata. Notandum est hanc divisionem non desumi ab objecto actus, sed a principio eliciente. Nam, ut habeatur actus supernaturalis, non sufficit objectum esse supernaturale : sic mere naturalis est actus intellectus elicitus sine gratiae auxilio circa veritatem revelatam. Imo nec requiritur tale objectum : sic supernaturalis est actus vi gratiae positus circa objecta virtutum naturalium.

4° *Boni, mali* vel *indifferentes.* Boni sunt qui regulae morum conformes sunt ; mali qui eidem regulae repugnant ; indifferentes qui eidem regulae neque conformes, neque repugnantes sunt, vel saltem ita concipiuntur. De hac divisione et praesertim de quaestione num dentur actus in individuo indifferentes, dicetur fusius n. 30 sqq.

5° *Validi* vel *invalidi.* Priores illi sunt qui gaudent omnibus conditionibus requisitis ad effectum suum proprium producendum, ex. gr. votum ad inducendam obligationem ex religione ; posteriores illi sunt quibus deest aliqua conditio ad hunc effectum necessaria. Inter actus validos alii sunt ita firmi ut nulla auctoritate, saltem humana, rescindi seu vi sua privari valeant; alii sunt rescindibiles ab eo qui competentem auctoritatem habet.

8. Actus eliciti a voluntate non omnes sunt ejusdem rationis. Nam, licet voluntas omnia appetat sub ratione boni, quaedam vult tamquam finem seu propter sese ipsa, quaedam tamquam media seu propter alia.

Deinde inter eos actus qui versantur circa finem, tres actus diversi distingui solent; tres quoque inter actus quibus bonum appetitur ut medium, seu ut utile ad finem assequendum. Hinc distingui solent sex actus voluntatis :

1° *Simplex voluntas* seu actus quo bonum propter se et in se spectatum voluntati placet. Hic etiam *amor* dicitur, cui opponitur odium mali.

2° *Intentio* seu actus quo bonum non solum amatur, sed appetitur tamquam finis per aliud obtinendus. Huc pertinet et *desiderium*.

3° *Fruitio*, quae et gaudium vel delectatio dicitur. Hic actus est quo voluntas in bono jam possesso conquiescit.

4° *Electio*, qua voluntas e pluribus mediis a ratione propositis unum efficaciter vult cum quadam praelatione super reliqua.

5° *Consensus*, qui actus est voluntatis conformantis se intellectus judicio. Ratio nominis est quod voluntas, dum acceptat quod intellectus judicat esse bonum, sive sensibile, sive honestum, idem quodammodo sentit quod intellectus. Consensus imprimis refertur ad media, quia consensus est de iis quae per consilium definiuntur, consilii autem definitio est de mediis. Usu tamen universali et proprio, hoc nomen non restringitur ad media, sed omnis actus voluntatis acceptantis objectum intellectu propositum, vocatur consensus, et actus recusantis, dissensus. Ab electione differt consensus, quatenus non est necessario volitio efficax, neque requirit comparationem plurium mediorum inter se. (Lessius, de Beatit. et Act. Hum. q. 15. n. 3.)

6° *Usus*, quo voluntas medium electum applicat ad finem assequendum.

Cum actus humani ii sint qui ex voluntate deliberata procedant, penitius inspicienda sunt ea quae actum voluntatis deliberatum constituunt. Ideo tractandum erit de natura voluntarii et involuntarii. Multa tamen quae potius ad theoreticam explanationem quam ad praxim pertinent Philosophis relinquemus.

CAPUT II.

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

9. DEFINITIO. Voluntarium quandoque improprie dicitur quidquid pendet ab appetitu vitali, seu sensitivo, seu rationali : quo sensu idem sonat ac spontaneum et etiam in brutis reperitur. Sensu proprio id tantum designat quod a voluntate rationali pendet, vid. quod est a

principio intrinseco cum cognitione finis. In hoc sensu proprio duo sunt de ratione voluntarii :

1° Ut sit a motu voluntatis, tamquam effectus a causa sua. Quod si voluntas mea tendit quidem in objectum quodpiam, sed illud non efficit, id mihi non voluntarium dicetur, sed mere *volitum*. Ex. gr. si desidero mortem adversarii mei, quae ei ab alio, me nullatenus cooperante, infertur, ejus mors mihi volita est, voluntarium est solum desiderium mortis.

2° Cognitio perfecta, qua scil. non solum apprehendatur res quae finis est, sed cognoscatur ratio finis et proportio ejus quod ordinatur in finem tamquam medium : haec cognitio soli naturae rationali competit. (1. 2. q. 6. a. 2.) Non sufficit ergo illa imperfecta cognitio quae etiam in brutis habetur, ex. gr. dum cibos ad sedandam famem quaerunt.

Duplici ratione potest actus procedere a voluntate : naturali modo, tamquam effectus a causa determinata, et, modo qui voluntatis est proprius, tamquam effectus a causa indeterminata. Hinc speculative distingui potest voluntarium in necessarium et liberum. Verum practice voluntarium dicitur illud tantum quod liberum est. Ratio est, in homine viatore qui agit sui compos, nullos dari actus voluntarios quin sint etiam liberi. Etenim bona particularia quae per cognitionem voluntati proponuntur, eam liberam relinquunt : quia semper ei apparent tamquam aliquid mali in se continentia, vel saltem a perfecta boni ratione deficientia, et sub hoc respectu a voluntate respui possunt. Quin et ipsa beatitudinis appetitio, quamvis sit necessaria quoad determinationem actus, libera manet quoad actus exercitium, " quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine. „ (S. Th. De Malo, q. 6. a. un.)

Involuntarium latiore sensu designat quidquid non est voluntarium. Duplici autem ratione contingit aliquid non esse voluntarium : primo, quod proprie *non voluntarium* dicendum est, quia deest actus voluntatis circa objectum quod voluntas tamen non aversatur, imo forsan et prosecuta fuisset, nisi error vel ignorantia obstitissent, puta dum aliquis a via aberrans reperit amicum quem diu videre optaverat ; secundo, quod proprie *involuntarium* est, quia aliquid fit contra voluntatis inclinationem, ut puta si quis bona fide calumniatur amicum. Cfr. S. Th. op. cit. q. 3. a. 8.

10. DIVISIO. Voluntarium praecipue dividitur :

1° In *perfectum* et *imperfectum*. Perfectum est quod e plena intellectus cognitione et deliberatione procedit. Haec deliberatio sita est in aliqua consideratione variorum objectorum quae libertati proponuntur, ut concludatur quid agendum vel omittendum sit : nihil autem impedit quominus unico momento absolvatur. Imperfectum est voluntarium si

ex imperfecta cognitione et semi-plena deliberatione oritur, ex. gr. in subita ira, in fuga a periculis, etc.

2° In voluntarium *simpliciter* et voluntarium *secundum quid*.

Sensus magis probatus hujus divisionis hic est : ambo illi termini complexive adhibentur de eodem actu qui habet aliquid voluntarii et simul aliquid involuntarii, et quidem magis ex parte inclinationis voluntatis quam ex parte cognitionis. Quod ut clarius pateat, supponamus duplex objectum voluntati propositum, ex. gr. instante naufragio, projicere merces in mare, easdem servare. Voluntas afficitur erga utrumque, sed, cum utrumque amplecti non possit, unum praefert alteri ; vult utrumque, sed ita ut velit unum magis, quod propterea eligit, alterum minus, quod propterea relinquit. Ideo circa unum habetur vera volitio, circa alterum velleitas. Vox " simpliciter „ in hac divisione non significat impermixtum et purum, sed absolute, efficaciter, realiter. (Ball. P. n. 26)

Interdum alii sensus huic divisioni tribuuntur. Quidam eam ita usurpant ut recidat in divisionem praecedentem : nempe voluntarium simpliciter idem ipsis est ac perfectum, voluntarium secundum quid idem atque imperfectum. Quidam vero per voluntarium simpliciter intelligunt id quod a plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia procedit, per voluntarium secundum quid (seu mixtum) id quod non procedit a voluntatis propensione nisi cum aliqua repugnantia. Sic S. Th. (2. 2. q. 142. a. 3): " Ea quae per timorem fiunt, non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta. „

3° In voluntarium *in se* et voluntarium *in alio* seu *in causa*. Prius illud est quod voluntas in se ipso immediate appetit. Si vero aliquid non appetitur, sed efficitur appetendo et agendo aliquid aliud, quocum prius objectum tamquam cum causa conjungitur, prius illud objectum dicitur voluntarium in causa tantum. Attamen si voluntas etiam hunc effectum intenderet, hic diceretur quoque in seipso voluntarius. Ita si quis scribit libros pravos intendens tantum lucrum ex iis percipere, peccata legentium ipsi erunt voluntaria in causa tantum ; si vero fidem moresve pervertere intenderet, peccata illa ipsi fierent voluntaria in se.

Recte notat Lehmkuhl (I. n. 4): " Ut aliquid dici possit et debeat voluntarium in se, non est necesse ut pro fine habeatur et appetatur : nam potest aliquid vere in se, quantumvis non propter se, sed ut medium ad certum aliquem finem appeti ; quod si fit, utrumque in se voluntarium agenti est, et medium et finis. Exemplum sume quod de projectione mercium ad servandam vitam navigantium proposui. Projectio mercium navarcho voluntaria est in se, sed non propter se ; magis etiam voluntaria est in se vita navigantium servanda. „

4° In voluntarium *directum* et voluntarium *indirectum*.

Haec divisio saepe eodem sensu usurpatur ac praecedens. Interdum directe voluntarium dicitur quidquid a voluntate positive operante procedit ; indirecte voluntarium, id quod a voluntate est hoc ipso quod non agit " sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, in quantum desistit a gubernando. „ (S. Th. 1. 2. q. 6. a. 3) Eodem sensu a nonnullis sumitur divisio voluntarii in positivum et negativum. Exemplum habes in pravis actionibus puerorum quos parentes ad eas provocant (voluntarium positivum), vel ab iis non avertunt cum possint (voluntarium negativum). Omnium consensu, ut aliquid sit indirecte voluntarium requiritur ut non sit voluntarium in se, sed in causa tantum.

5° In voluntarium *expressum, tacitum* et *praesumptum.*

Expressum est id quod non solum reapse elicitur, sed distincte verbis aut alio signo declaratur. Tacitum est id quod revera elicitur, sed exterius non manifestatur, quamvis ex aliqua actione vel omissione colligi queat. Praesumptum illud est quod ob rationes aliquas a priori judicatur adesse vel adfuisse.

Quo plenius intelligatur quando ex aliqua actione vel omissione colligi possit voluntarium tacitum, juvat notasse praecipuas applicationes Regulae Juris 43ae : " Qui tacet consentire videtur. „ Effatum istud recte applicatur :

a) In favorabilibus, ex. gr. quando tacenti fit donatio gratuita.

b) Quando, propter adjuncta aliquis loqui deberet et sine magno incommodo posset, tacet tamen, ex. gr. episcopus tacens dum videt sacerdotem, qui aliunde jurisdictionem non habet, audire confessiones ; membra Capituli tacentia dum aliquid minus recti ab aliis membris decernitur.

c) In certis casibus Jure determinatis ac proinde stricte interpretandis. Sic ex dispositione Juris Canonici (6i Decr. l. 4. tit. 2. cap. un.) consentire censetur filius qui tacet ubi sponsalia pro ipso a parentibus contrahuntur. Hoc tamen jus tantum in foro externo facit praesumptionem, quae in foro interno semper, in foro externo quoties fieri potest probatio contrarii, cedit veritati. Insuper, cum sit strictae interpretationis, non obligatur minor pro quo sponsalia contraheret curator vel alius ex agnatis.

6° In voluntarium *actuale, virtuale, habituale, interpretativum.*

Actualiter voluntarium illud est quod procedit a voluntate sub attentione intellectus. Sufficit tamen ut objectum includatur in voluntate generali quae se ita implicite ad illud extendat.

Virtualiter voluntarium illud est quod procedit a voluntate, quae jam actu non existit, sed quae in effectu aliquo hujus volitionis praecedentis perseverat. Exemplum habes in sacerdote qui distractus sacramenta conficit ex illa voluntate quam actu habuit cum se in ecclesiam ad

baptizandum vel celebrandum contulit. Nempe ex duobus elementis quibus constat voluntas actualis (voluntate et attentione seu reflexa consideratione actionis) non tam voluntas deest quam attentio reflexa ad hanc ipsam voluntatem et actionem, quatenus ab ipsa procedentem. Neque necessario deest attentio directa : nam potest mens hominis ad plura ac disparata simul attendere ; ut, cum vestes induuntur, ad quod opus attenditur, non impeditur attentio ad orandum. (Lugo, De Inc. disp. 8. n. 86) Similiter nihil impedit quominus erga unum objectum sit attentio reflexa, erga alterum solummodo directa vel tenuissime reflexa.

Habitualiter voluntarium illud est quod olim in voluntate exstitit, nunc autem jam nulla ratione positiva in ea perseverat, sed negative tantum, quatenus non est retractatum.

Interpretative voluntarium illud est quod pendet a volitione quam homo ob justas rationes supponitur eliciturus, si quaedam mente adverteret. Hoc igitur neque actu est, neque fuit in voluntate hominis : unde nihil amplius postulat quam voluntatis inclinationem ad talem actum eliciendum. (1)

Simili ratione distinguitur intentio actualis, virtualis, habitualis et interpretativa.

Ex his definitionibus patet actum humanum requirere in eo a quo ponitur voluntarium actuale vel saltem virtuale. Nam voluntarium habituale vel interpretativum non sufficit ut actus ab intrinseco procedat scienter et libere.

11. Involuntarium distinguitur :

1° In involuntarium simpliciter et secundum quid : cujus divisionis sensum apte intelliges ex iis quae modo (n. 10) de simili divisione voluntarii dicta sunt.

2° In involuntarium perfectum et imperfectum. Perfectum, quod quandoque etiam simpliciter involuntarium dicitur, illud est a quo voluntas ita abhorret ut prorsus et, quantum in se est, efficaciter illud repellat. Sic tentatio contra fidem erit perfecte involuntaria bono christiano eam sine haesitatione repellenti. Imperfecte involuntarium illud est quod a voluntate rejicitur, sed cum quadam haesitatione et negligentia, ut saepe contingit tepidis christianis contra fidem tentatis.

(1) Secundum definitiones hic propositas, ita differt voluntarium praesumptum ab interpretativo ut praesumptum designet voluntatem quae de facto exstet vel exstiterit, interpretativum voluntatem quae tantum supposita aliqua conditione exstaret. Saepe tamen utraque vox eodem sensu adhibetur, ac proinde mens auctorum est investiganda. Cfr. Buccer. De Act. Hum. n. 43.

12. Quae voluntarie fiunt, merito **imputantur** homini, tamquam auctori : nam in ejus potestate erat ea agere vel omittere. Quare, si simul attendit ad normam honestatis, actio vel omissio ipsi ad laudem vel vituperium imputabitur. Neque ullum dubium esse potest quin pariter imputentur effectus boni vel mali qui ex aliqua actione vel omissione secuturi praevidentur et intenduntur, ex. gr. impotentia recitandi Horas Canonicas in sacerdote qui, ut otio fruatur, breviarium in mare projicit. Quod si effectus boni non intenduntur, certe non imputantur ad laudem. (n. 38) Verum de effectibus malis qui ex aliqua actione vel omissione sequuntur, sed non intenduntur, quaedam principia hic ponere juvat, cum res sit magni momenti, neque difficultatibus careat.

13. PRINCIPIA. I. Ut effectus malus qui ex aliqua actione vel omissione sequitur, agenti ad culpam imputetur, **tres conditiones** requiruntur et sufficiunt.

1ª Ut agens aliqualiter animadvertat e tali causa hunc effectum exstiturum esse vel facile existere posse.

Ratio est, quod nihil est volitum quin sit praecognitum, neque ulla obligatio esse potest abstinendi ab actione ob rationem quam prorsus ignorem. Sic nequit mihi imputari ebrietas secuta e potu cujus vim inebriantem prorsus ignoraverim. Ceterum de hac conditione plura dicentur ubi de influxu ignorantiae in actum humanum agetur.

2ª Ut agenti libera sit facultas non ponendi causam aut positam auferendi.

Ratio est, quod imputari nequit quod liberum non est. Sic imputari nequit damnum quod infertur per motum qui physice cohiberi nequit, neque scriptori libri pravi jam culpae verti possunt peccata legentium, si librum typis editum velit quidem, sed nequeat ex eorum manibus eripere.

Notandum hanc impotentiam ad non ponendam vel ad auferendam causam a peccato excusare etiamsi sit moralis tantum. Ita principi non imputantur scandala quae necessario orientur e meretricio in civitatibus tolerato : nam, nisi toleraretur, graviora orirentur damna. Secus dicendum si meretricibus ea permittantur quae absque gravi incommodo vetari possint.

3ª Ut agens teneatur causam non ponere vel positam auferre, et quidem ideo teneatur ne talis sequatur effectus.

Ratio est, quod si agens non tenetur abstinere a causa, jure suo utitur, et si non tenetur abstinere ne effectus ille sequatur, agens potest se habere solum permissive quoad illum effectum, prout in sequenti principio explicabitur.

Verum si tenemur impedire et non impedimus effectum, is nobis

imputabitur, quia, secundum moralem aestimationem, eum voluimus dum transgressi sumus legem ideo stabilitam ut effectus ille vitetur. Quamobrem homicidium imputatur ei qui tegulas e tecto projecit contra statutum ideo latum ne forte laedantur praetereuntes ; non imputantur chirurgo motus pravi quos in exercendo munere suo patitur, neque ei qui violat jejunium ecclesiasticum imputatur pollutio nocturna quae ex ejus intemperantia forte sequatur.

14. II. Licet ponere causam bonam aut indifferentem, cujus duplex sit effectus, alter bonus, alter vero malus, dummodo bonus sequatur saltem aeque immediate ac malus, adsit autem ratio proportionate gravis et finis agentis sit honestus.

Veritas hujus principii elucet ex eo quod nihil inhonesti in tali causa, sub his determinationibus ponenda, adsignari potest. Etenim defectus honestatis nequit oriri ex intentione agentis quae supponitur recta, neque ex ipsius causae natura, quippe quae supponatur saltem indifferens, neque ex effectu pravo qui praevidetur : nam, ex hypothesi, datur ratio proportionate gravis ad eum permittendum ; intolerabile autem onus imponeretur homini si nullos effectus malos ex actionibus suis secuturos permittere posset, siquidem creberrime hujusmodi effectus cum bonis connectuntur. Utitur hoc principio S. Th. 2. 2. q. 43. a. 3 et q. 64. a. 7.

Quo accuratius percipiatur hoc tanti momenti principium, juvabit distinctius recensere **quatuor conditiones** quae ad hujusmodi causam licite ponendam requiruntur, videlicet :

1ª Ut finis agentis honestus sit. Nam si agens intenderet effectum pravum, ex. gr. pravam delectationem ex actione per se honesta secuturam, saltem hac interna voluntate peccaret.

2ª Ut causa sit bona vel saltem indifferens. Nam si alicui legi opponeretur, agens saltem hujus legis violatae reus haberetur.

3ª Ut bonus effectus e causa oriatur saltem aeque immediate ac malus. Ratio est, quia si bonus effectus oritur tantum mediante malo, tunc bonum e malo quaeritur, quod reprobat S. Paulus ad Rom. III. 8 : " Non faciamus mala ut veniant bona. „

4ª Ut habeatur ratio proportionate gravis ponendi causam. Aequitas enim naturalis nos obligat ad vitanda mala vel proximi incommoda quando id sine damno proportionate gravi praestare possumus. Res tamen valde ardua est judicare quaenam ratio, in determinatis casibus, habeat proportionem cum effectu permittendo. Qua de re saepe erit indagandum, ubi de scandalo, de cooperatione ad alterius peccatum, de obligatione impediendi peccata subditorum etc. agetur. Non videtur quidem universim vera regula quam plures auctores ponunt : requiri ut

bonum a me quaesitum compenset seu exaequet malum quod inde sequitur. Haec tamen regula eatenus admitti potest " quatenus ratio habeatur non solum singularis cujusque casus, sed et communis omnium incommodi, quod sane gravissimum foret, si has ob causas, sive ad evitanda ejusmodi pericula, quisque deberet ab agendo abstinere. Sufficit scil. ut evitatio hujus communis incommodi, quae est quoddam bonum, exaequet malum quod permittitur. „ (Ball. P. n. 46)

Ad elucidandam doctrinam in his duobus principiis, quae se invicem complent, propositam, juvat distinguere cum Suar. (De vol. et invol. disp. 1. sect. 4. n. 8 seq.) inter causam alicujus effectus per se et causam per accidens. Causa per se dicitur ea quae ex ipsa natura sua in effectum tendit, sive physice, qualis foret ignis appositus aedibus destruendis, sive moraliter seu nonnisi mediante alterius libera voluntate ad effectum pertingens, qualis foret praeceptum servo datum furti patrandi. Causa per accidens, quae a mera occasione speculative distinguitur, sed practice cum eadem confunditur, ea est quae, licet aliquid conferat ut effectus producatur, de se tamen in eum non tendit, puta ignis Petri aedibus injectus qui, ob ventum validum, ad aedes Pauli pervadit, aut eleemosyna qua pauper abutitur ad sese inebriandum.

Jamvero ubi causa per se nullum alium effectum habet praeter malum, manifestum est hunc imputari voluntati ideoque, sine alia lege, causam esse propter hunc effectum vitandam. Etenim cum causa effectum quodammodo contineat, voluntas appetendo causam implicite vult effectum, modo illum cognoscat, ex. gr. ebrietatem in potu qui tamquam inebrians cognoscitur, atque in hoc sensu verum est adagium : qui vult antecedens, vult et consequens. Sed si causa quaedam etiam per se cum effectu malo effectum bonum producit, ut contingit in globulo ignito qui ab oppugnantibus urbem ita dirigitur in hostes pugnantes ut simul interituri sint plures innocentes, effectus malus non imputabitur si ob rationem proportionatam mere permittitur. Tandem ubi, absque intentione effectus mali, ponitur tantum ejus causa per accidens, manifeste non contrahitur malitia hujus effectus ob nudam connexionem cum positione causae : haec enim illum minime praecontinet in se ipsa. Sed non raro contingit tam arcte conjungi hanc causam cum effectu pravo, ut quicumque illam voluntarie ponit censeatur etiam hunc velle. Ita si novi aliquem pauperem solere abuti eleemosyna sibi data ad sese inebriandum, caritas jubebit ab ea danda abstinere propter hunc effectum per accidens secuturum. Attamen quandoque ista connexio dissolvetur, si eae incidant circumstantiae quae ejus fundamentum tollant. Sic in exemplo dato, licebit dare eleemosynam si aliter injurias vitare nequeam, quia caritas cum tanto incommodo non obligat. Cfr. Frins, De Act. Hum. ont. et psychol. consideratis, n. 185 sqq.

III. Mensura peccati voluntarii in causa desumitur e malitia voluntatis eo momento quo dat seu eligit dare causam futuri eventus vel omissionis, non autem ex effectu secuto. Hinc qui mulierem turpiter tangit, existimans inde secuturam esse pollutionem, aeque reus erit, seu sequatur, seu non sequatur pollutio. Plura hujus principii corollaria videsis nn. 20, 153 etc.

CAPUT III.

DE IIS QUAE VOLUNTARIUM TOLLUNT VEL MINUUNT.

15. Voluntarium duplici ratione tolli aut minui potest : primo, sublato penitus vel ex parte ipso usu rationis ; deinde, influxu quorumdam impedimentorum in actum transeuntem.

Deest ipse usus rationis,saltem ad moralem imputabilitatem sufficiens:

1° Infantibus et amentibus. Attamen plures amentes moraliter liberi manent in multis determinationibus. Libertas enim in iis eatenus tantum pessumdatur quatenus perturbatur judicium intellectus vel facultas deliberandi circa objectum menti propositum. (1. 2. q. 77. a. 1.) Jamvero saepe, praesertim initio morbi, haec perturbatio non pertingit ad notiones morales et religiosas. (1) Ad amentes proxime accedunt qui numquam ad plenam rationis evolutionem pertingunt : qui actus saltem plene deliberati incapaces sunt.

2° Versantibus in somno naturali et somnambulis. Quid de versantibus in somno hypnotico vel postea exsequentibus jussa magnetizantis dicendum sit, nondum omnino liquet, dum inter se certant medici qui plurimum in experimentis hypnoticis versati sunt. (2) Probabilius plerumque non eo usque pertingit influxus hypnotizantis ut somnambulus qualibet morali libertate privetur et plane inconscius pessima quaeque facinora sibi imperata exsequatur. Quandoque tamen influxus iste tantus esse videtur ut totaliter usum rationis auferat : quo in casu,

(1) Medici et legisperiti saepe profitentur amentes omnis actus imputabilis incapaces esse, quia rem non spectant in seipsa, sed quatenus societati constare potest. Jamvero numquam clare constabit eum qui amens est non amisisse dominium voluntatis suae eo ipso momento quo aliquod scelus admiserit. Cfr. A. Lemoine, *L'aliéné devant la philosophie, la morale et la société*, c. 8. (Paris, 1861.)

(2) Cfr. *Revue Néo-Scolastique* (Nov. 1897) articulum D. Mercier, de Congressu internationali neurologiae, hypnologiae etc. coadunato Bruxellis mense Septembri 1897.

mala quae somnambuli ab hypnotizante jussi fecerint, manifeste non sunt voluntaria in se, sed videndum num forte ipsis fuerint voluntaria in causa, dum se libere hypnotizanti tradiderint, cum horum malorum praevisione. Cfr. M. De Baets, *Des bases de la morale et du droit*, p. 272 seqq.

3° Iis qui vino, opio, aethere, etc., organa ita perturbant ut, donec elementum perturbans evanuerit, rationis exercendae impotentes sint. Cfr. n. 187.

Difficilius determinatur quatenus voluntarium auferatur vel minuatur iis impedimentis quae tantum in actum transeuntem influunt. Quare singillatim de iis dicemus. Sunt autem voluntarii impedimenta : ignorantia qua tollitur vel minuitur cognitio intellectus ; vis et metus, quibus impeditur inclinatio voluntatis; concupiscentia quae ambo ista voluntarii elementa minuere vel tollere nata est.

§ 1. DE IGNORANTIA.

16. DEFINITIO. Ignorantia est carentia scientiae quam quis natus est habere. Differt a nescientia quae importat simplicem scientiae negationem. Ita S. Th. De Malo q. 3. a. 7. Alii priorem dicunt ignorantiam privativam, posteriorem negativam.

Ab ignorantia quoque discernendus est *error*, qui in falso judicio de aliqua re consistit. Potest autem falsum hoc judicium oriri vel ex ignorantia vel e temeritate illius qui judicium fert non proportionatum motivis quae revera mente intuetur. Quodsi illa ignorantia invincibilis est, error quoque involuntarius erit.

Ignorantia, stricte loquendo, denotat habitum et ita differt ab inadvertentia quae non est permanens. Attamen, in sensu lato, complectitur etiam transeuntem inconsiderationem, oblivionem, inadvertentiam eo ipso momento quo ponitur actus humanus.

17. DIVISIO.

1° **Ratione subjecti** ignorantia potest esse *invincibilis* et *vincibilis*.

Invincibilis ea est quae, adhibita morali diligentia, depelli non potuit. Quod duplici ratione contingere potest : *a)* Quando nulla mihi oritur cogitatio investigandi, vel oritur quidem, sed non ita ut existimem me teneri ad investigandum vel ad utendum tali medio, ex. gr. ephemeridibus ad cognoscendum rei amissae proprietarium. — *b)* Quando dubitans adhibeo diligentiam moralem et negotio accommodatam, sed ignorantiam depellere nequeo, ex. gr. cum reperio pro utraque parte graves rationes et auctoritates.

Ut percipiatur quanta debeat esse haec moralis diligentia, juvat haec advertere cum Ball. P. (n. 64) :

a) Non requiritur omnis diligentia possibilis. Ideo nulla est obligatio ut in dubio, ex. gr. de valore alicujus voti, semper recurratur ad Congregationes Romanas. Saepe his importunis quaesitis respondit S. Poenitentiaria : " Consulat probatos auctores. „

b) Haec diligentia proportionem habere debet cum rei gravitate. Ita multo majore cura investigandum erit num facienda sit restitutio mille quam duorum francorum.

c) Mensuranda est etiam e capacitate personae. Sic rudi satis est in dubiis ut consulat parochum ; non erit idem semper satis ejusdem parochi vicario.

d) Mensuram hanc desumere licet e modo quo agunt viri prudentes. Sed oportet ut ii e quorum exemplis norma sumitur sint timorati, qui practice agnoscant Ecclesiam tamquam columnam et firmamentum veritatis. (1 Tim. III, 15) Multi enim hodie temere procedunt dum, quamlibet investigationem de Ecclesiae doctrina praetermittentes, in casibus moralibus etiam difficillimis, contendunt sufficere ut agat quisque secundum conscientiam suam.

Vincibilis dicitur illa ignorantia quae ope moralis diligentiae tolli potuit ideoque, saltem indirecte, est voluntaria.

Haec ulterius subdividitur in : *a) Affectatam.* Haec est directe intenta et praevisa in causa sua, ex. gr. si quis ideo omittit adire concionem vel interrogare confessarium suum ne doceatur officia sua. — *b) Crassam* seu *supinam.* Haec habetur in eo qui nullum vel vix ullum conatum facit ad ignorantiam deponendam. Duo haec vocabula eodem sensu adhiberi solent, quamvis aliqui AA. supinam graviorem habeant quam crassam. — *c) Simpliciter vincibilem.* Ita vocatur quando ad deponendam ignorantiam diligentia aliqua adhibetur, sed non sufficiens.

2° **Ratione objecti** triplex distinguitur ignorantia : *a) Juris*, quando ipsa lex universim sumpta ignoratur, vel nescitur num aliquis casus determinatus sub lege comprehendatur. — *b) Facti*, quando non ignoratur habitus rei, prout innotescit, ad legem, sed rei in se spectatae circumstantia vel etiam substantia moraliter sumpta. Exemplum prioris habes in eo qui fornicatur cum muliere quam ignorat esse matrimonio junctam ; posterioris, in eo qui explodit sclopeto quod perperam existimat vacuum et sic hominem occidit. — *c) Poenae*, quando ignoratur crimini alicui certam poenam, praesertim extraordinariam, adnexam esse.

3° **Ratione actionis** seu **voluntatis**, distinguitur ignorantia :

a) Antecedens. Sic vocatur " quando non est voluntaria et tamen est causa volendi quod alias non vellet, sicut cum aliquis homo ignorat ali-

quam circumstantiam actus quam non tenebatur scire, et ex hoc aliquid agit quod non faceret si sciret; puta cum aliquis, diligentia adhibita, nesciens aliquem transire per viam, projicit sagittam, qua interficit transeuntem, et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter. „ (S. Th. 1. 2. q. 6 a. 8.) Bene P. Lehmkuhl (I. n. 17) antecedentem definit eam quae praecedit omnem voluntariam inquisitionis negligentiam.

b) Consequens. Sic vocatur quando sequitur actum voluntatis tamquam causam suam.

c) Concomitans. Haec habetur " quando ignorantia est de eo quod agitur; tamen, etiamsi sciretur, nihilominus ageretur... sicut... cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. „ (S. Th. l. c.)

Notandum est hanc trimembrem divisionem locum habere tantum per comparationem ad diversos actus voluntatis. Duo priora membra referuntur ad voluntatem ignorantiae; postremum ad voluntatem agendi.

18. PRINCIPIA. I. Ignorantia invincibilis sive juris, sive facti, a peccato excusat.

Ratio est quia tollit voluntarium. Cfr. prop. 68am inter Baianas damnatam: " Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est praedicatus, peccatum est „ et 2am inter 31 ab Alex. VIII damnatas: " Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec, in statu naturae lapsae, operantem ex ipsa non excusat a peccato formali. „ Valet autem hoc principium etiam quando ignorantia est concomitans, quamvis in eo casu peccetur interno affectu habituali vel etiam actuali. Nec minus applicandum est inadvertentiae et oblivioni quam ignorantiae proprie dictae.

Hinc pueri vel rudes non peccant dum inhonesta quaedam peragunt quorum malitiam nullatenus percipiunt; qui fornicatur cum muliere quam invincibiliter ignorat esse matrimonio junctam, non contrahit adulterii malitiam etc. Cfr. n. 151.

19. II. Ignorantia vincibilis non excusat a peccato; hoc autem tanto gravius est quanto magis est voluntaria ignorantia.

Ratio est quia semper talis ignorantia est aliquatenus voluntaria: unde et actus qui ex ea sequuntur moraliter voluntarii sunt. Attamen, cum in ipsa causa plus minusve voluntarii haberi possit, prout haec ignorantia est simpliciter vincibilis, crassa vel affectata, plus minusve peccaminosus erit actus qui ex ea sequetur.

20. III. Mensura reatus peccati quod ex ignorantia indirecte voluntaria sequitur non desumenda est ex actione vel ex omissione quae ex ea derivatur, sed ex ipsa ignorantia vincibili.

Ratio est, quia effectus ille non est voluntarius nisi propter ipsam ignorantiam : unde nequit esse magis voluntarius seu culpabilis quam ipsa causa sua. Quare ut tale peccatum grave sit, requiritur gravitas tum obligationis, tum negligentiae in ea implenda.

Inde sequitur levem esse posse culpam negligentiae, quamvis agatur de re gravi et quamvis ex illa negligentia secuti sint effectus magni momenti, puta gravia peccata liberorum e levi negligentia parentum in officio invigilandi ; imo etiamsi negotium ex iis sit in quibus aliquis teneatur de culpa levissima : nam, etiam in hoc ultimo casu, omitti potest aliquid quod comparative leve habendum sit. Ideo, non statim damnari potest tamquam sacrilega aut invalida confessio in qua, ob aliquam negligentiam, oblivioni datum fuerit mortale peccatum. (Vol. II. n. 303.) Hinc etiam levis esse potest negligentia parochi in inquirendis impedimentis alicujus matrimonii, in addiscendis casibus conscientiae, etc.

Juxta regulam supra (n. 14) datam de voluntario in causa, incurritur idem reatus, etiamsi per accidens nullus effectus sequatur, ex. gr. si confessarius, elicito proposito munus suum sine competenti scientia exercendi, nullam jam audiendi confessiones occasionem nanciscatur. Attamen saepe, multiplicatis effectibus, multiplicabuntur et peccata, quia crebrius occurret conscientia hujus ignorantiae culpabilis et homo iterum recusabit adhibere conatus necessarios ad eam depellendam.

IV. Ignorantia simpliciter vincibilis vel **crassa**, quamvis ad grave peccatum pertingere possit, minuit tamen voluntarium si confertur cum scientia plena vel ignorantia affectata. Nam actus qui fit ex ignorantia cognitione caret ; supponitur autem ea voluntas quae agere nollet si plenam mali scientiam haberet, neque ex industria quaerat ignorantiam quo liberius peccare queat.

Non constat vero inter DD. utrum **ignorantia affectata** scientiae comparata augeat an minuat voluntarium. Priori sententiae favere videtur S. Th. qui ex gr. in 1. 2. q. 76. a. 4. haec habet : " Talis ignorantia videtur augere voluntarium et peccatum. Ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi. „ Attamen S. Doctoris mentem explicant Suarez, Lugo aliique hac distinctione. Respiciendum esse aiunt ad motivum ob quod aliquis ita ex industria ignorantiam quaerat. Si motivum illud hujusmodi est ut denotet minus malam voluntatem quam in illo qui scienter legem transgreditur, ignorantia affectata dicenda est minuere voluntarium. Exemplum esset illius qui nollet inquirere quid sibi ab Ecclesia credendum proponatur ne deberet doctrinam sibi caram relinquere. Si vero motivum illud denotat pejorem voluntatem quam in illo qui cum plena scientia legem transgrediatur, ignorantia affectata

auget voluntarium. Exemplo sunt hodie multi qui ideo recusant discere quaenam ab Ecclesia doceantur vel praecipiantur, quia ipsius auctoritatem omnino spernunt.

§ 2. DE CONCUPISCENTIA.

21. DEFINITIO. Concupiscentia hic intelligitur " motus appetitivae virtutis sensibilis qui est ex imaginatione boni vel mali. „ (S. Th. 3. dist. 26. q. 1. a. 1)

Motus hujusmodi non in sola anima se continent, sed et corpus afficiunt. Referuntur autem ad duo capita, scil. ad prosecutionem boni et ad fugam mali : unde includunt desiderium, amorem, delectationem, odium etc. Si talis motus remissus manet, vix in re morali attenditur ; si vero fit intensus, habetur ea quae concupiscentia dicitur et etiam passionis nomen accipit. Nullatenus ergo hic intelligitur concupiscentia eo sensu quo saepe eadem vox in S. Scriptura occurrit, et designat fomitem illum quo in delectabilia illicita ferimur. Cfr. Rom. VII, 8, 23. Nam in sensu nostro potest aeque ferri ad honesta et ad inhonesta.

22. DIVISIO. Ratione habitudinis ad voluntatem, concupiscentia distinguitur :

a) Antecedens, quae scilicet, ordine causalitatis, omnem voluntatis consensum praevenit ideoque non est voluntaria, ex. gr. si quis casu inimicum obvium habet et ita in odium excitatur.

b) Consequens, quae scilicet, ordine causalitatis, voluntatis actum sequitur ideoque voluntaria est.

Cum autem voluntaria esse possit vel in causa tantum vel etiam in se, ideo distingui quoque solet duplex species concupiscentiae consequentis. Prior habetur e mera resultantia, cum motus voluntatis, ex. gr. odii affectus, in partem inferiorem redundat ; posterior directe excitatur, ex. gr. si quis ideo injurias acceptas mente revolvit ut in se vindictae sumendae appetitum augeat.

23. PRINCIPIA. I. Concupiscentia antecedens minuit voluntarium ac proinde peccatum ; imo, si totaliter usum rationis aufert, omnino a peccato excusat.

Ratio est, quod concupiscentia seu passio judicium rationis minuit, causae autem quae minuunt judicium rationis, minuunt voluntarium et peccatum. Optime S. Th. De Malo q. 3. a. 11. ad 3 : " Dicendum quod de ratione peccati est quod sit voluntarium. Voluntarium autem dicitur cujus principium est in ipso agente. Et ideo quanto principium interius

magis augetur, tanto etiam peccatum fit gravius ; quanto autem principium exterius magis augetur, tanto peccatum fit levius. Passio autem est principium extrinsecum voluntati ; motus autem voluntatis est principium intrinsecum. Et ideo quanto motus voluntatis fuerit fortior ad peccandum, tanto peccatum est majus : sed quanto passio fuerit fortior impellens ad peccandum, tanto fit minus. „

Posse quandoque per passionem totaliter auferri usum rationis, puta propter vehementiam amoris vel irae, e sensu intimo patet : qui nonnumquam post factum testatur aliquid a nobis in aestu passionis ita fuisse peractum ut in potestate nostra non fuerit aliter agere. Idem auctoritate DD. praesertim S. Thomae (1. 2. q. 77. a. 7) comprobatur. Vid. in iis adjunctis deest fundamentum libertatis : intellectus enim passione obcaecatus rem apprehendit ut penitus bonam vel ut penitus malam, neque in potestate voluntatis est efficere ut objectum passionis a phantasia et intellectu removeatur aliique objecto locum cedat : quare voluntas necessario amat vel odit. (Lessius, op. cit. q. 10. a. 3 ; De Baets, op. cit. p. 244) Sed ne impingamus in errores maxime vulgatos quibus imputabilitas pene exinanitur, attendendum est : 1° Hunc casum, quamvis crebro occurrat, valde rarum esse si comparetur cum iis casibus in quibus homo passionibus resistere queat. — 2° Plerumque mala in tali aestu passionis patrata esse indirecte voluntaria, quia homo exorienti passioni resistere potuit satisque praevidit quo ab ea duceretur, nisi tempestive intrinseca vel extrinseca illius incitamenta removeret. Id potissimum applicandum est iis qui, jam abrepti in aliquod scelus, nihilominus in passione fovenda perstiterunt.

II. Concupiscentia consequens e mera resultantia non minuit peccatum, sed signum est magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. (1. 2. q. 77. a. 6)

Ratio prioris partis est quod peccatum in actu voluntatis consistit ; hic autem, ex hypothesi, jam perfectus est quando motus iste sensitivus exsurgit. Ratio posterioris : quod motus vehemens in appetitu sensitivo indicat intensam voluntatem ad malum.

III. Concupiscentia directe excitata auget peccatum.

Ratio est, quod ipsa prorsus voluntaria est ; supponitur autem inordinata et ad malum inclinans. Ob rationem similem majus est meritum in eo qui potens est adversus tentationes e causa voluntaria. (2. 2. q. 155. a. 4. ad 2)

N. B. Ex iis quae de influxu concupiscentiae in voluntarium dicta sunt, facile perspicitur quid tenendum sit de influxu propensionum naturalium quae, sive ex hominis complexione, sive ex haereditaria labe

cuiquam insint. Haec, cum voluntaria non sint, minuunt peccatum : inclinant enim voluntatem in partem malam et judicium obnubilant, dum occultant malum quod in opere latet, et efficiunt ut res delectabilior appareat quam reapse sit. Hinc etiam judicari poterit de influxu habituum qui e repetitis actibus malis, puta blasphemiis, mollitie, etc. hominem ad similes actus pravos inclinant. Hi habitus physice minuunt libertatem aeque ac naturales inclinationes, moraliter vero libertatem integram relinquunt, quia, cum oriantur ex actibus liberis, eorum inclinatio tota est libera et voluntaria. Attamen si hominem contracti habitus pravi poenitet, ea propensio jam non est censenda voluntaria, praesertim si conatus fecerit ad eam tollendam, ac proinde de ejus influxu in voluntarium dicendum erit eodem modo ac supra de habitu naturali dictum est. (Lessius, op. cit. q. 6. n. 44)

§ 3. DE VI.

24. DEFINITIO. Vis est motio cujus principium est extra, in contrarium renitente eo qui patitur.

Hinc patet duo ad eam constituendam requiri : prius, ut principium movens ad actum sit extra agentem ; posterius, ut ille qui ita ad agendum compellitur vel ab agendo impeditur, non solum nihil conferat externae motioni, sed ei resistat et totis viribus contra renitatur. Si enim tantummodo nihil confert, ut veluti indifferens se habeat, nondum intelligitur plena coactio homini illata. (Ball. P. n. 115)

Actus a voluntate elicitus nequit esse coactus. Nam quod est coactum seu violentum, est ab exteriori principio, dum actus voluntatis nihil est aliud quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente. Sed coactio in reliquarum facultatum actus cadere potest, nec tantum externarum, ut si quis, apprehensa manu, testamento subscribere cogatur, sed etiam internarum, ut si daemon homini etiam reluctanti phantasmata in imaginatione cieat. Attamen, quando agitur de actibus potentiarum internarum, hi non sunt coacti relate ad facultatem eos elicientem, sed moraliter tantum seu relate ad voluntatem. (Ball. P. n. 118)

25. DIVISIO. Distingui solet vis *absoluta* et vis *secundum quid*. Prior sola proprie hoc nomen meretur et continet ambo elementa datae definitionis. Posterior duplici ratione intelligitur. Alii vim secundum quid vocant coactionem quae patientis resistentia frangi vel saltem debilitari potest. Alii (ut S. Alph. de Act. Hum. n. 16) hoc nomine appellant coactionem quae nullatenus infringi potest, sed cui voluntas patientis non omnino repugnat.

26. PRINCIPIA. I. Vis absoluta prorsus tollit voluntarium et peccatum.

Ratio est manifesta cum voluntarium sit a principio intrinseco, violentum vero ab extrinseco. (1. 2. q. 5. a. 4)

II. Vis secundum quid non tollit omnino voluntarium, sed illud tanto magis minuit quanto vehementior est vis illata vel quanto minus voluntas vi illatae acquiescit.

Haec regula complectitur utrumque sensum quo supra diximus intelligi posse vim secundum quid.

Si in priore sensu accipitur, clarum est eum qui potest resistendo vim repellere, nec resistit, velle, saltem indirecte, pati violentiam. Sic voluntarium erit mulieri stuprum si invasorem pudicitiae, cum posset repellere, non repellat. Attamen quo major vis infertur, eo minus voluntaria passio censetur. Juvat hic advertere non semper esse obligationem ut vis illata, quacumque tandem ratione fieri posset, repellatur. Sic custos non tenebitur ad rem parvi valoris furi eripiendam, si id sine innocentis vitae jactura facere non posset. Videndum est ergo in singulis casibus num aliquis teneatur ad vim hac ratione depellendam. Cfr. n. 13. Hinc deduci potest haec regula : quidquid in nobis experimur, voluntate repugnante quantum potest et debet, nobis non imputatur.

Quodsi in altero sensu sumitur coactio secundum quid, planum est adesse consensum, saltem in passionem. Si autem illud cui ita acquiescit voluntas malum est, contrahitur malitia tanto major quanto plenius adhaeretur. Exemplum habes in muliere quae, licet vi ineluctabili opprimatur, interne consentit in pravam delectationem.

§ 4. DE METU.

27. DEFINITIO. Metus est mentis trepidatio, instantis vel futuri periculi causa. Sicut vis aliis potentiis infertur, ita metus soli voluntati incutitur. Hic autem considerandus est quatenus inclinat ad aliquid faciendum vel omittendum quod, per se spectatum, voluntati displicet, sed ad vitandum majus malum eligitur, ex. gr. ad mortem vitandam, crus praecidere. Unice ergo agitur de actionibus quae fiunt ex metu, ut pecuniam dare latroni, non autem de iis quas metus tantum comitatur, ut si latro furetur timens ne a satellitibus apprehendatur.

28. DIVISIO.

1° Distinguitur metus *absolute gravis, levis, relative gravis.*

Metus absolute gravis est quando grave est in se periculum mali et gravis trepidatio mentis. Ut autem periculum in se grave existat, requiritur :

a) Ut malum quod timetur sit magni momenti, ex. gr. mors, amissio magnae haereditatis.

b) Ut sit solida probabilitas hujus mali incurrendi. Hinc non est grave periculum, si is qui minatur mortem vel verbera cognoscitur esse vaniloquus.

c) Ut non habeatur facile medium ad malum depellendum, ex. gr. monendo aliquem qui certe periculum avertet. Quando hae tres conditiones adsunt, metus dicitur *cadere in virum constantem.*

Metus fit levis quando deest una vel plures e conditionibus supradictis. Sed propter conditiones personae, ex. gr. sexum, aetatem, timidam indolem, vividam phantasiam, idem fieri potest relative gravis. Hic, in re morali, aequiparatur metui absolute gravi, quia omnino similem dispositionem internam seu mentis trepidationem inducit, ideoque pariter in voluntarium influit. Exemplum habes in timore ingenti quem litis intentandae comminatio rudibus injicere solet.

2° Distinguitur metus *ab intrinseco* et metus *ab extrinseco incussus.*

Prior ille est qui oritur e causa intrinseca ipsi homini timenti, ex. gr. e morbo jam contracto ; posterior, ille qui oritur e causa exteriore, ex. gr. e tempestate, e praedone. Quamvis illa causa extrinseca possit esse naturalis vel libera, hic fere unice attendendum ad liberam : nam in re morali fere aequiparantur metus a causa intrinseca et metus a causa extrinseca naturali incussus.

Praesertim attendenda subdivisio metus qui a causa libera incutitur in metum *juste* et *injuste incussum.* Erit autem injuste incussus si persona metum inferens vel non habet jus inferendi malum ullum, ex. gr. latro mortem minitans, vel non habet jus inferendi tale malum, ex. gr. judex legitimus, poenam lege non statutam intentans.

Juvat etiam attendere ad duplicem rationem qua timor injuste incussus in actionem vel omissionem influere potest. Interdum enim est tantummodo ratio ob quam aliquis sponte velit aliquid quod secus nollet, ex. gr. si quis cum alterius filia in clauso cubiculo deprehensus, ut vindictam vitet, sponte se patri offert ad eam ducendam. Interdum vero metus directe incutitur ad extorquendum assensum, ex. gr. si quis in eodem casu ad eamdem promissionem minis patris adigitur.

Speciali consideratione dignus est metus qui dicitur *reverentialis* et in eo consistit quod quis timet minas vel offensionem parentum aliorumve quibus subjacet. Merito notat Ball. P. (n. 127) hunc metum facile evadere gravem, etiamsi quis nec verbera, nec similes saevitias timeat.

29. PRINCIPIA. I. Quod fit ex metu per se est **simpliciter** seu **absolute voluntarium.**

Ratio est quod metus per se nec cognitionem aufert, nec voluntatem, ut patet in iis qui, metu suppliciorum, a fide christiana defecerunt, quos semper Ecclesia tamquam apostatas abhorruit. Sed per accidens fieri potest ut metus penitus auferat usum rationis, vel saltem eam valde perturbet. In priore casu, actio e tali metu posita nullatenus est voluntaria ; in posteriore, plus minusve a perfecta voluntarii ratione deficit.

II. Quod fit ex metu regulariter est etiam **involuntarium secundum quid.**

Ratio est quia regulariter in eo qui ex metu agit habetur inclinatio voluntatis ad hanc actionem non ponendam : haec enim non solet poni nisi ad gravius malum vitandum, ex. gr. si viator, ut vitam servet, crumenam latroni porrigit. Ideo opera mala ex metu posita censentur magis venia digna quam si sponte ponantur. Ita Nicaena et Ancyrana Synodus decreverunt ut facilior venia tribueretur iis fidelibus qui ob metum suppliciorum defecerant quam iis qui sponte idolis sacrificaverant.

Dicitur *regulariter*, quia non necessario includitur ille affectus ad rem quae omittitur. Ita, teste Conc. Trident. (Sess. XIV. cap. 4), dolor conceptus e metu gehennae excludere potest affectum ad peccatum. Qua ratione hoc explicandum sit, videsis apud Dogmaticos.

CAPUT IV.

DE MORALITATE.

§ 1. DE ESSENTIA MORALITATIS.

30. Moralitas est habitudo actuum humanorum ad normam honestatis. Nempe ut actus moralis sit, duo requiruntur et sufficiunt : 1° Ut libere fiat : nam esse morale in actu est id cujus ratione agens est laude vel vituperio dignus, quod manifeste nequit fieri sine libertate. — 2° Ut habeat aliquam relationem ad normam honestatis : secus enim nihil in ratione actus foret quo ad mores pertineret, ut contingit in actibus etiam libere positis a pueris qui, licet bonum delectabile satis cognoscant, de honesto prosequendo et turpi fugiendo judicare nondum possint.

(Lessius, op. cit. q. 18. a. 1) Alii tamen opinantur capacitatem exercendae libertatis physicae numquam sejungi a capacitate expedita exercendae libertatis moralis. (Frins, op. cit. n. 240) Sed eorum sententiam rejiciendam ducimus eo quod pueri aliive mente debili praediti audiuntur rationem reddere e solo bono delectabili desumptam cur hac potius quam illa ratione egerint, qui tamen honestum ab inhonesto discernere minime valeant.

Hinc patet non esse reale discrimen inter actum humanum et moralem, sed eumdem dici humanum, quatenus spectatur in suo esse physico et entitative a voluntate proficiscitur, et moralem, quatenus spectatur in genere moris. Per moralitatem superadditur tantum aliqua formalitas quae in conceptu voluntarii et liberi jam implicite continebatur, siquidem actus, ut vere humanus sit, supponendus est procedere ab operante scienter, libere et cum advertentia ad regulam morum.

Moralitas subjective considerata, ut a Theologis intelligitur, est velut genus quod duplicem speciem sub se habet : bonitatem et malitiam. Actus erit bonus, si normae honestatis conformis est ; malus (seu, ut vulgo dicitur, immoralis), si ab eadem recedit. (1. 2. q. 18. a. 5)

31. Duplex distingui solet **regula morum** : altera primaria, objectiva, extrinseca, remota ; altera, secundaria, subjectiva, intrinseca, proxima.

Primaria est lex cui actus conformandi sunt ut boni fiant. Nempe regula suprema hominis est finis ultimus quem bene agendo assequi debet. Nam " tanto est unumquodque perfectius quanto est ultimo fini propinquius. „ (1. 2. q. 106. a. 4) Finis autem ille assequendus est juxta Dei voluntatem, quae nobis per legem innotescit.

Regula *secundaria* est eadem lex prout rationi innotescit et conscientia vocatur.

Utrimque igitur est eadem regula : primum, prout est ordo a Deo statutus ; deinde, prout hic ordo singulis applicatur. Similitudinem habes in lege quae a rege fertur, sed singulis per ejus ministrum manifestatur. De utraque regula singillatim agemus in tractatibus de Legibus et de Conscientia. (1)

E notione hujus duplicis regulae patet quo sensu bonitas vel malitia moralis in *materialem* et *formalem* distingui soleat. Materialis bonitas sita est in convenientia actus cum regula primaria ; formalis, in

(1) Logice prius de lege quam de conscientia agendum foret. Maluimus tamen prius de conscientia agere, tum ne sine urgente ratione discedamus ab ordine quem cum S. Alph. servant plerique moralistae recentes, tum quia in tractatu de Conscientia expeditur quaestio fundamentalis de probabilismi usu.

ejus convenientia cum regula secundaria. Formalis enim bonitas haberi potest tantum quando actus scienter et libere ponitur. Similiter dicendum de malitia materiali et formali. Cum duae praefatae regulae non semper inter se concordes sint, fieri potest ut idem actus sit materialiter bonus, formaliter malus, ut si manducem carnes eo die quo erronee existimo praecipi abstinentiam, vel formaliter bonus, materialiter malus, ut si manducem carnes, invincibiliter ignorans eo die praecipi abstinentiam. Adverte etiam non quamlibet moralitatem esse obligatoriam, cum nulla lex naturalis vel positiva praescribat agere quidquid bonum vel melius est, prout a Philosophis moralibus contra quosdam neotericos probari solet.

32. Multae controversiae a saeculo XVI° motae sunt de quibusdam conditionibus quas Protestantes, Baiani, Janseniani, vel Augustiniani necessarias esse contenderunt ut actiones humanae moraliter bonae sint. Hodie, cum prorsus obsoleverint illae disputationes, sufficiet hic breviter referre catholicam vel communiorem doctrinam. Igitur ad moralem honestatem actionum minime necessarium est :

1° Ut actiones motivo caritatis informentur. Constat e Conc. Trid. Sess. 6. can. 31 : " Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit. „

2° Ut referantur ad Deum ex motivo supernaturali. Sequitur e damnatione prop. Baii 25ae : " Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia. „

3° Ut referantur ad Deum intentione omnino explicita et saepe renovata, ita ut influxus positivus hujus intentionis ad omnia et singula opera nostra extendatur. Hanc sententiam tuebantur ii Theologi qui saeculo XVIII° Augustiniani vocabantur. Hi nitebantur praesertim celebri effato S. Pauli : " Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite. „ (1. Cor. X. 31) Quam inane sit argumentum, facile patet inspicienti contextum. Nempe Apostolus h. l. dirimit quaestionem sibi propositam : quatenus liceat manducare idolothyta. Regulam practicam tradit vv. 27 et 28, vid. ut carnes idolis immolatas manducent quoties nullum scandalum timendum est, ab iis vero abstineant ubi scandali periculum adest. Deinde v. 31 effert principium generale cui solutio casus innititur : quod e vocula *ergo* clarius apparet. Atque iterum v. 32 eamdem sententiam alia forma effert : " Sine offensione estote Judaeis, et gentibus et Ecclesiae Dei. „ Igitur v. 31 non merum consilium est, ut plures DD. opinati sunt, sed verum praeceptum scil. scandali vitandi, et, quamvis forma positiva exprimatur, negativum praeceptum est, ut v. 32 comprobatur. Cfr. Cornely in h. l.

§ 2. DE FONTIBUS MORALITATIS.

33. Jam declaratum est quomodo moralitas alicujus actus generice desumatur ex ejus habitudine ad regulam morum. Nunc autem distinctius discernenda sunt varia elementa quae conferre possint ut actus cum hac regula conformis vel ab eadem difformis existat. Haec autem elementa, quae moralitatis fontes vocari solent, numero sunt tria : objectum, circumstantiae et finis, de quibus singillatim dicendum.

34. OBJECTUM est illud in quod voluntas primario tendit, seu actio in abstracto considerata, v. gr. legere, manducare, etc. Additur " primario „ ut distinguatur objectum a circumstantiis.

Objectum actus *materiale* est id circa quod actus versatur, sive res, ex. gr. pecunia aliena quae concupiscitur; sive actio, ex. gr. rei alienae ablatio. Objectum *formale* est istud idem prout cum advertentia ad normam honestatis attingitur ab agente, ex. gr. eadem concupiscentia vel ablatio scienter et libere facta. Objecta possunt esse bona vel mala *extrinsece* et *intrinsece*. Extrinsece bona vel mala sunt objecta quae, in se spectata, haberi possunt ut indifferentia, sed bona fiunt quia praecipiuntur, aut mala quia prohibentur, ex. gr. jejunium in vigilia, opera servilia die Dominica. Intrinsece bona vel mala sunt ea quae, ratione sui, e recti ordinis exigentia, praecipiuntur aut vetantur. Haec in duplicem classem subdividuntur. Nam duplex est ordo rerum : alter ita fundatus in natura rerum ut Deus ipse eum mutare nequeat; alter qui subest divinae potestati, propter dominium quod Deus in universas creaturas exercet, atque adeo, cum non sit absolute necessarius, a Deo mutari potest. Sic immutabiliter bonum est amare Deum ; immutabiliter malum, Deum odisse. At occisio hominis vel ablatio rei alienae possunt fieri licita, si nempe Deus det alicui potestatem in alterius vitam vel bona. Haec ergo dicuntur intrinsece mala, tantum quia ordinarie carent homines jure ad ea peragenda.

Interdum etiam dicuntur intrinsece mala quae melius vocarentur intrinsece periculosa, ex. gr. aspectus objecti turpis. Si enim deest periculum proximum consensus in turpem delectationem, talia ob justam rationem fieri possunt licita.

Manifestum est actum desumere moralitatem ex objecto formaliter inspecto, si ita habet habitudinem ad regulam morum. Quodsi objectum ita sumptum nullam hujusmodi habitudinem habet seu est indifferens, moralitas actus desumetur unice e fine et circumstantiis.

35. CIRCUMSTANTIAE dicuntur " quaecumque conditiones sunt extra substantiam actus et tamen attingunt aliquo modo actum humanum. „ (S. Th. 1. 2. q. 7. a. 1)

Hinc patet circumstantias jam supponere actum in sua specie constitutum, nempe habentem speciem ex objecto in quod tendit. Sic actui qui, ex objecto, furtum est, accedit malitia sacrilegii ex illa circumstantia quod res e loco sacro sublata est. Considerantur autem a nobis prout ordinem dicunt ad meritum vel demeritum coram Deo : unde pro nobis nullius erunt momenti circumstantiae quae apud alios, ex. gr. jurisperitos, maximi fiunt. Jus enim civile, cum intendat temporale bonum et securitatem civium, severissime punit actus malos ob circumstantias quae vix a nobis attendi merentur, ex gr. furtum vi aperta vel ope falsarum clavium patratum. (Cod. Poen. a. 464 seq.)

Circumstantiae septem hoc trito versu indicantur :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Triplici ratione in moralitatem influunt circumstantiae :

1° Transferendo peccatum in aliam speciem theologicam, nempe efficiendo ut quod ex objecto est grave fiat leve, vel vice versa. Exemplo sint : imperfectio cognitionis excusans a peccato gravi, notabile damnum quod alicui oritur ex ablatione rei minimi pretii.

2° Addendo novam speciem moralem, quando scilicet ratio malitiae quae ex circumstantia accedit est diversi ordinis ac malitia objecti. Sic in furto sacrilego, manet ex objecto malitia contra justitiam, sed ex circumstantia loci vel rei accedit malitia contra religionem.

3° Augendo vel minuendo malitiam intra eamdem speciem tum moralem, tum theologicam. Practice considerari solent tantum circumstantiae notabiliter aggravantes, ut si quis odium grave fovet per annum.

36. FINIS est id propter quod aliquid fit. Reapse inter circumstantias reponendus esset, sed sejunctim a reliquis consideratur quia principem locum in rebus moralibus tenet. Neque enim solis mediis dominatur, sed et ipsi objecto, quod saepe tamquam medium adhibetur, ex. gr. si quis furatur ut sese inebriet. Attendi merentur variae divisiones finis. Sic distinguuntur :

1° Finis *operis* seu *intrinsecus* et finis *operantis* seu *extrinsecus*. Prior est scopus ad quem opus per seipsum tendit : sic largitio eleemosynae natura sua tendit ad inopiam levandam. Posterior est ille scopus ad quem operans libere assumit opus, tamquam medium ad finem, ex. gr. si quis studet ad officium aliquod adipiscendum.

Fieri potest ut nullus sit finis praeter intrinsecum, ex. gr. si quis in ecclesia canit unice intendens Dei honorem. Potest quoque unus finis alteri superaddi, ex. gr. si quis canit in ecclesia ad Deum laudandum, sed simul ad lucrum faciendum. Tandem potest finis intrinsecus omnino negligi, ex. gr. si quis in ecclesia canit unice ad lucrum faciendum.

2° Finis *ultimus simpliciter* et *secundum quid*. Prior ille est qui ad

nullum alium ordinatur ; sic hominis finis simpliciter ultimus est beatitudo seu boni perfecti assecutio. Posterior ille qui, licet ultimus sit in aliqua serie actionum, ad alium tamen finem ordinatur. Ita potest aliquis varia media adhibere ad fratrem suum e carcere liberandum, ex. gr. consulere jurisperitos, intercedere apud regis ministros, etc. Quae omnia referuntur ad liberationem fratris tamquam ultimum finem in hac serie actionum, qui tamen ulterius ordinari potest ad aliud, ex. gr. honorem familiae, gloriam Dei.

Finis dicitur *positive ultimus,* quando ex se vel ex intentione agentis ulteriorem excludit ; *negative ultimus,* quando per se ad ulteriorem ordinari potest, quae tamen ordinatio neque habetur, neque actu excluditur, ex. gr. actus aliarum virtutum quos agens non refert ad finem nobiliorem caritatis.

3° Finis *primarius* et finis *secundarius.* Prior ille est qui per se sufficiens est ut ad actum moveat : unde et multiplex pro eadem actione esse potest. Sic rusticus tendit in civitatem tum ad negotia peragenda, tum ad pompam invisendam, aeque iturus si alter finis deesset. Posterior ille est qui per se non sufficit ad agendum, sed tantum impellit cum alio primario, ut si, in exemplo dato, rusticus non tenderet ad pompam visendam nisi negotia in urbe gerenda haberet.

Cum finis locum principalem inter circumstantias teneat, imo etiam saepe objecto ipsi dominetur, manifestum est eum esse fontem moralitatis praecipuum.

37. Quo clarius determinetur **influxus finis** in moralitatem actus, praesertim peccaminosi, juvat attendere ad sequentes regulas.

REGULA I. Si finis est graviter malus, tota actio mala est, quia fieri nequit ut aliquis ulla ratione placeat Deo per illum actum quo mortaliter peccat et totaliter a Deo avertitur. Exemplum habes in eo qui succurrit pauperi ut eum a fide avertat.

REGULA II. Si finis leviter malus est ratio totalis ob quam actus ponitur, totus actus, etiamsi ex objecto materialiter bonus est, vitiatur. Ratio est, quia sic agens non vult bonum nisi sub ratione mali ideoque ex toto mala est ejus voluntas. (S. Th. 1. 2. q. 19. a. 7. ad 2) Exemplo est qui orat unice ut ab hominibus videatur.

REGULA III. Si finis leviter malus non est totalis ratio ob quam ponitur actus, cujus objectum sit formaliter bonum, actus iste erit partim bonus, partim malus. Ratio est, quia potest simul cum fine leviter malo haberi tendentia voluntatis in bonitatem actionis objectivam, vel in

alium finem bonum extrinsecum. Neque destruitur illa bonitas per tendentiam venialiter malam, quippe quae non avertat simpliciter hominem a fine ultimo.

Potest autem haec hypothesis verificari hac triplici ratione :

a) Quando finis malus se ita miscet aliis finibus ut sit quasi concomitans, ex. gr. si quis tendit ad ecclesiam intentione divini servitii, sed ei interim obrepit intentio vanae gloriae. Notandum tamen hic semper agi de actu exteriore qui sit unus in genere naturae, sed multiplex in genere moris. Nam, ut habet S. Th. 1. 2. q. 20. a. 6 : " Si accipitur unus actus, prout est in genere moris, impossibile est quod sit bonus et malus bonitate et malitia morali ; si tamen sit unus unitate naturae et non unitate moris, potest esse bonus et malus. „

b) Quando finis malus consequitur voluntatem jam bonam, ex. gr. vana gloria quam intendit concionator postquam zelo sincero concionari coepit.

c) Quando antecedit quidem actum, sed ita extrinsece ut potius occasio quam ratio actus subsequentis dicendus sit. Ita puer, qui metu parentum adigitur ad sacramenta suscipienda, potest debita intentione ea suscipere.

REGULA IV. Nullatenus corrumpitur actus formaliter ex objecto bonus, si quis secundarius finis accedat qui sit vel saltem habeatur ut indifferens, ex. gr. si quis ecclesiam adit ad orandum, sed etiam ad musicam audiendam. Id deducitur a fortiori e regula III, siquidem nec finis leviter malus, dummodo non sit totalis causa actus, totum actum corrumpit.

His regulis determinatur sensus illius axiomatis quod crebro usurpatur, nec semper accurate : " Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. „

38. Advertenda sunt quaedam discrimina quae inter bonum et malum ratione imputabilitatis vigent :

1° Ut voluntas bonitatis meritum habeat, oportet ut bonum sub ratione boni appetat : non est enim bona voluntas in qua nullus est motus in bonum qua tale spectatum. Hinc nullum est meritum illius qui Missae interest unice ut musicam audiat, nihil sub honesti ratione intendens.

2° Qui opus jam ex se bonum in alium finem bonum refert, habet duplicis bonitatis meritum, si utramque intendit : nam una alteri non officit. Sic qui jejunat ad castitatem obtinendam, tum abstinentiae, tum castitatis virtutem exercet.

3° Ut actus malus sit, non est necessarium ut objectum ametur propter suam malitiam, aut ut malitia aliquo modo directe sit volita, sed

sufficit eam esse ita conjunctam objecto ut censeatur interpretative volita, quando quis vult objectum, qualis est malitia fornicationi inhaerens, quamvis fornicans nihil nisi carnalem voluptatem intendat. Etenim malum nobis fugiendum est, neque potest bene appeti : quocumque igitur modo a nobis appetitur et non tantum permittitur, jam nobis secundum propriam indolem imputatur. (Frins, op. cit. n. 185) Quodsi, praeter malitiam objecti habetur et malus finis, agens duplicis malitiae reus erit, ex. gr. si quis mentitur ut alteri damnum inferat.

4° Actus ex objecto bonus aut indifferens potest fieri malus vel ex fine vel ex circumstantiis. Exemplo sit religiosus qui contra Superiorum jussa orationi vacet. Actus vero ex objecto suo malus nequit fieri bonus ob finem bonum qui intenditur. Sic peccat qui furatur ut pecuniam cultui divino impendat.

39. QUAER. I. Num dentur actus proprie indifferentes, qui scil. nec bonitatem, nec malitiam moralem habeant.

RESP. Praenotandum est in quaestione non agi de actibus specifice inspectis : siquidem liquet in notione multorum, puta ambulandi, scribendi, etc. nihil esse quod ad normam honestatis referatur. Neque agitur de actibus hominis, sed de iis qui proprie humani sunt quia libere et scienter sub advertentia ad regulam morum eliciuntur, ac proinde soli ad moralitatem pertinent. Nulla etiam quaestio directe fit de merito vel demerito supernaturali : manifestum enim est ad tale meritum indifferentes esse posse actiones naturaliter honestas, puta quia ponuntur ab homine qui gratia careat. Unde quaestio huc redit : num inter actus humanos, quales concrete ponuntur, sint quidam nec boni, nec mali, " ut si quis alicui loquatur ex quadam civili amicitia, vel aliquod opus amicabile ad ipsum exerceat. „ (S. Th. 2. dist. 40. q. 1. a. 5)

Quaestioni sic determinatae respondendum censemus probabilius negative, cum S. Thoma, Suarez et plerisque Theologis : quibus tamen contradicunt non pauci, ut Scotus, Lessius, Vasquez et Sporer.

Ratio sententiae nostrae ita dari potest cum S. Thoma (1. 2. q. 18. a. 9). Omnis actus humanus fit ob aliquem finem, ut ex ipsa actuum deliberatorum natura patet. Atqui hic finis necessario actum vel bonum vel malum reddet. Etenim si finis iste normae honestatis conformis est, actus erit bonus; si ab eadem difformis est, actus erit malus. Ut autem honestus sit finis iste, non est necesse ut semper explicite intendatur bonum honestum, sed sufficit ut implicite idem bonum appetatur : quod fit ab eo qui bonum delectabile prosequitur quatenus illud est moderatum, et consequenter cum humanae naturae necessitatibus justam proportionem habet. (S. Th. l. c. ad 3.)

40. Contrariae sententiae fautores nituntur praecipue his argumentis:

1° Onus fere intolerabile homini imponeretur, si deberet etiam in minimis, ex. gr. in actu manducandi, bibendi, pedem manumve movendi, etc. finem honestum intendere. — Resp. Nihil amplius a nobis quam ab adversariis poscitur; imo vel benignior est sententia nostra quam opposita. Etenim, si verum est quod sentimus, illi actus quos adversarii putant esse indifferentes sunt reapse boni, modo in bono delectabili quod intenditur, nihil intercedat, rectae rationis ordini adversum : quam conditionem adversarii requirunt ne actus sit malus. Deinde advertendum est obligationem intendendi saltem implicite bonum honestum non urgere, nisi cum actus fit deliberate : quod plerumque non contingit in actionibus quae nullius sunt momenti, ut si quis fricat barbam, vel movet manum aut pedem. (S. Th. l. c.) Si quis tamen hujusmodi motus etiam minimos faceret cum attentione ad morum regulam, puta dum etiam in iis minimis modestiam morum (n. 253) servare intendit, hic actum virtutis poneret. Sed nulla lege praescribitur heroicus ille conatus quem quidam Sancti adhibuisse leguntur ut rationis dominium in hujusmodi actiunculas extenderent.

2° Sublatis actibus indifferentibus in individuo, tollitur discrimen inter res quae sunt de consilio tantum et res quae sunt de praecepto. Etenim actus quo quis recusat facere quod meri consilii est, nequit dici bonus; ergo erit malus, cum nullum detur medium, ac proinde res quae de consilio est nequit omitti sine peccato, perinde ac si praecepta esset. — Resp. Omissio vel voluntas omittendi rem perfectiorem est actus bonus, dummodo finis ob quem consilium omittitur, sit rationabilis, ut puta ne mens nimiis conatibus obruatur. Quodsi idem finis rationabilis non est, actus erit malus, non quod res praecepta sit, sed quia in omnibus actibus deliberatis postulat natura rationalis ut finem rationabilem intueamur. Nec quidquam prohibet quominus omissio partis perfectioris maneat bona, ut patet e 1 Cor. VII, 38 : " Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, et qui non jungit, melius facit. „

41. QUAER. II. Num actus externus moralitatem addat actui interno.

RESP. Ut status quaestionis clare pateat, attende hic non agi de operibus quae lege praecipiuntur : illa enim non aestimantur ex intentione agentis tantum, sed e praecepto legislatoris, qui non praecipit ex. gr. internam audiendi Sacri voluntatem, sed realem assistentiam Missae. Neque inquiritur de valore aut fructu qui pendent ab intentione Dei instituentis vel singularem virtutem conferentis, ut in sacramentis vel martyrio : sic dubium non est quin sit magnum discrimen inter commu-

nionem realem et spiritualem. Seponendi sunt quoque actus humani qui per se inefficaces sunt, ut si quis vellet peragere solus quaecumque bene vel male in toto orbe peragantur. Nimis enim manifestum est per hanc velleitatem non contrahi eamdem bonitatem vel malitiam ac si haec omnia exsecutus esset. Inquiritur ergo tantum de moralitate formali actionis humanae per se efficacis, sed quae per accidens inefficax manet, qualis est seria voluntas dandi eleemosynam in eo qui comperit crumenam suam esse inanem. Supponendo actum interiorem ex eadem gratia eodemque motivo procedere, quaeritur num haec volitio eamdem moralitatem ac proinde idem meritum habeat ac si exterior actus eam secutus fuisset.

Juxta communem Theol. sententiam, actus exterior per se non addit moralitatem formalem, sed materialem tantum.

Ratio est, quia formalis moralitas tota quanta desumitur e cognita et libere volita conformitate cum regula morum. Haec autem integra habetur in actu interno. In hunc sensum Christus : "Omnis, inquit, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo. „ (Matth. V, 28) Quae verba sic explicat S. Augustinus (de lib. arbit. l. 1. c. 3. n. 8) : " Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit id eum cupere, et, si potestas detur, facturum esse, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur. „ Frustra adversarii provocant ad obligationem accusandi actum externum in confessione : nam hujus obligationis ratio optime reddi potest in sententia nostra, ut patebit e dicendis in Tract. de Poenitentia. (Vol. II. n. 289)

Per accidens tamen, et plerumque de facto, actus externus auget meritum vel demeritum interni, quia actus, per exsecutionem, solet pluries repeti vel fieri intensior et diuturnior.

CAPUT V.

DE MERITO.

42. Postquam de actuum humanorum moralitate dictum est, juvabit quaedam addere de eorum merito, quo velut ultimum suum complementum et perfectionem obtinent. Solent quaestiones de merito apud Theologos Dogmaticos agitari in tractatu de Gratia. Cfr. Em. Mazzella, Tract. de Gratia habituali, Disp. VI. Quare breviter tantum praecipuas notiones et principia recensebimus.

43. Meritum *in genere* est jus quoddam ad obtinendum praemium pro opere quod in alterius obsequium praestatur. Potest quidem in omni actione bona hominis spectari ejus meritum ad praemium mere naturale obtinendum a Deo in cujus gloriam cedunt omnes actiones honestae. Sed in praesenti conditione naturae per gratiam elevatae, juvat unice spectare meritum supernaturale, quo scil. Deus moveatur ad praemium supernaturale nobis concedendum.

Meritum *supernaturale* dividitur in meritum **de condigno** et meritum **de congruo.** Prius habetur ex opere cujus valor est quodammodo aequalis praemio, ita ut istud ex justitia homini debeatur ; posterius habetur ex opere quod caret omni aequalitate cum praemio et proinde omni justitiae titulo.

Objectum meriti condigni contra Novatorum errores asseruit Conc. Trid. Sess. 6. can. 32, in quo anathemati subjicit eum qui dixerit " ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum. „ Cfr. ib. cap. 16 et can. 26. Adverte haec meriti condigni objecta ad solum operantem restringi.

Objectum meriti congrui sunt aliae gratiae et auxilia quae homo tum sibi, tum aliis mereri potest. Inter haec potissimum recensentur : gratiae efficaces quibus gratiam sanctificantem primam accipiamus, conservemus, augeamus, imo etiam (in sententia Bellarmini, Suarezii et aliorum plurimorum) post lapsum recuperemus ; finalis perseverantia.

Licet nonnullam similitudinem habeant meritum de congruo et vis impetrandi, viget tamen hoc discrimen quod in priori Deus ad dona sua largienda movetur illa aliquali dignitate quam in opere merentis intuetur, in posteriore vero unice liberalitate sua et promissione quam, propter Christi merita, fecit.

44. Praecipue attendendae sunt **conditiones** requisitae ut meritum ex condigno habeatur. Sunt autem sequentes :

1° *Ex parte hominis merentis :*

a) Ut sit viator. Nam post mortem locus nullus merito datur. Cfr. Eccli. XI, 28.

b) Ut sit in statu gratiae. Qui enim dignus est poena aeterna, nequit simul dignus esse praemio quod in visione beatifica consistit vel ad eam ordinatur. Imo valor operis crescit cum perfectiore gradu gratiae sanctificantis ad quem operans pervenit.

2° *Ex parte ipsius operis :*

a) Ut sit actus moraliter bonus : secus enim in obsequium Dei cedere nequit.

b) Ut sit actus supernaturalis : secus enim cum praemio obtinendo nullam haberet proportionem. Ad hoc autem requiritur procul dubio ut ponatur sub influxu gratiae excitantis et adjuvantis.

Insuper communior sententia Theol. necessarium ducit ut actio ponatur e motivo supernaturali quo ad Deum referatur. Ita Lehmkuhl (I. n. 258) ; Bouquillon (Theol. fundam. p. 674); Gury (I. n. 35), etc. Nituntur imprimis pluribus locis S. Scripturae quibus ad praemium supernaturale requiritur ut actus naturaliter bonus ponatur ex motivo fidei, ex. gr. Math. X, 41 : " Qui recipit prophetam *in nomine prophetae* mercedem prophetae accipiet. „ Cfr. Math. V, 46 ; Rom. II, 7.

Nihilominus probabilius opinamur cum Ball. P. (n. 202 seq.) : ad actum meritorium sufficere ut aliquis se semel per actum caritatis in Deum ordinaverit, alias vero actiones in finem earum proximum referat. Hanc doctrinam perspicue pluribus locis tradere videtur S. Thomas, ex. gr. opusc. de Malo, q. 2. a. 5. obj. 10, quam concedit : " Ille qui habet caritatem se et omnia sua ordinavit ad Deum, cui inhaeret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet, nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis ad Deum. Sed hoc esse non potest quin sit peccatum saltem veniale. Ergo omnis actus habentis caritatem vel est meritorius vel est peccatum et nullus indifferens. „ Reapse non carent influxu fidei et motivo supernaturali hujusmodi actus justorum. Christianus enim qui semel elicuit firmum propositum acquirendi actibus suis vitam aeternam, tamdiu ex hoc proposito agit quamdiu illud non revocat, neque positive, neque negative, neque explicite, neque implicite, qualis revocatio adest in omni gravi peccato. Neque necessarium est ut in quolibet bono opere justus cogitet hunc actum in specie revelatum esse a Deo ut salutarem, cum Christiani sciant nobis, tamquam viam ad finem, propositam esse a Deo etiam observationem legis naturalis, ut patet e sermone Christi in monte. (Pesch, Prael. Dogm. t. V. n. 408 seq.)

Verum etiam qui huic posteriori sententiae adhaeret fideles adhortari debet ut crebro motiva supernaturalia, praesertim caritatis, voluntate sua amplectantur. Nam ubi agitur non de obligatione eliciendi actus supernaturales, sed de iis actibus libere eliciendis ut meritum augeatur, non juvat opinionis probabilitas, sed sola veritas : siquidem non foret aeternae vitae meritorius actus cui deesset una ex essentialibus meriti conditionibus ; deinde nemo dubitat quin talis intentio saepius renovata, praecipue e motivis perfectissimis, merita plurimum augeat.

3° *Ex parte ipsius Dei :* promissio conferendi talem mercedem pro tali opere. Ratio est quod Deus, supposito merito condigno, tenetur ex justitia ad praemium supernaturale reddendum. Jamvero fieri nequit ut

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

CAPUT I.

NOTIO ET DIVISIO CONSCIENTIAE.

45. DEFINITIO. Multiplici sensu vox conscientiae adhiberi solet. In acceptione sua maxime propria et in Theologia morali receptissima, designat dictamen rationis seu judicium de liceitate vel illiceitate instantis meae operationis. Haec conscientia a multis dicitur *antecedens* ut discernatur a *consequente*, quae consistit in judicio practico quo factum meum praeteritum approbo vel improbo tamquam honestum vel inhonestum. Si approbo, dicitur testimonium conscientiae ; si improbo, remorsus seu vermis conscientiae. Hoc signum est, nullatenus tamen infallibile, bonitatis vel malitiae actus praeteriti.

Ad formandam conscientiam antecedentem concurrunt quatuor : lex seu regula remota, operatio mea determinate instans, ratio utramque comparans, conclusio quae est ipsa conscientia, ex. gr. " Haec actio mihi est illicita. „ Non consistit igitur in habitu, quo sensu minus proprio conscientia saepe adhibetur, sed in *actu* intellectus.

Distinguenda est conscientia a *synderesi*, seu, ut alii scribunt, synteresi (συντήρησις a συντηρέω, contemplor). Haec est " quidam habitus naturalis primorum principiorum operabilium, quae sunt naturalia principia juris naturalis „ (S. Th. de Verit. q. 16. a. 1) et praebet principia generalia quae per conscientiam ad particulares actiones applicantur.

46. DIVISIO. Conscientia dividitur praecipue :

1° Ratione *firmitatis assensus*, in certam, dubiam, probabilem. Haec summi momenti divisio est, siquidem potissimum a firmitate assensus pendet influxus conscientiae in actus moralitatem.

2° Ratione *normae objectivae*, in rectam vel erroneam, prout dictat id quod est verum vel falsum.

Deus teneatur ad reddendam vitam aeternam ceteraque dona supernaturalia operibus nostris, independenter a liberali promissione sua, cum omnia ad Ipsum, jure creationis, pertineant. Ergo ut existat meritum condignum, requiritur promissio qua Deus se antea obligarit ad tale praemium operibus nostris reddendum.

Igitur opus bonum, antecedenter ad promissionem divinam, habet quamdam proportionem, non tamen absolutam aequalitatem cum vita aeterna ideoque meritorium est in actu primo. Per divinam autem promissionem eamque solam, illud determinatum praemium fit huic operi debitum et exsurgit condignitas meriti in actu secundo. Cfr. Mazzella, l. c. th. 41.

Quodsi deest vel status gratiae in operante vel promissio certa in Deo, opus erit tantum meritorium de congruo, vel absolute, vel saltem relate ad certa quaedam dona non promissa, ut puta gratias efficaces et perseverantiam finalem.

3° Ratione *motivorum* quibus innititur, in rectam seu justam, scrupulosam et laxam. De duabus posterioribus dicemus cap. IV et V.

4° Ratione *obligationis* quam imponit, in imperantem, vetantem, consulentem, permittentem. Harum appellationum sensus obvius est.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA CERTA.

47. DEFINITIO. Conscientia certa est quando dictamen practicum rationis gaudet certitudine saltem morali seu quae excludat prudentem errandi formidinem. Error autem cujus prudens formido excludenda est non versatur circa rei veritatem, sed circa liceitatem operationis hic et nunc ponendae; speculativum igitur dubium cum conscientia certa componi potest.

Fundamentum hujus moralis certitudinis pro varia materia varium esse potest. Interdum enim, in rebus etiam summi momenti, ad moralem certitudinem pertingere possum per meram praesumptionem. Sic certus sum de validitate baptismi vel ordinationis meae, quia praesumo debitam intentionem adfuisse in eo qui me baptizavit vel ordinavit. Talis praesumptio revera nititur solidissimo fundamento. Nam nullus homo sanae mentis vellet grave nocumentum proximo inferre omissione quae ipsi nullum spirituale vel corporale commodum procurare posset. Nec potuit Deus velle ut in rebus etiam summi momenti perfectiorem certitudinem quaeramus: siquidem haec vel nullatenus vel nonnisi aegerrime haberi posset, ac proinde lex quaerendi majorem certitudinem esset physice vel moraliter impossibilis, qualis a sapiente legislatore ferri nequit. (n. 83)

48. PRINCIPIA. I. Conscientia certa, sive recta, sive erronea sit, semper sequenda est ubi quidquam praecipit vel vetat; semper licet eam sequi, ubi quidquam consulit vel permittit.

Ratio est, quod conscientia recta est regula proxima voluntatis per quam homini applicatur summa lex actuum humanorum, scil. lex divina et aeterna; conscientia vero erronea, dummodo sit certa, eadem prorsus ratione voluntatem Dei homini proponit ac si recta esset. Apte comparatur status conscientiae conditioni subditi qui regis sui voluntatem unice per praeconem cognoscat. Sicut subditus implere debet praeceptum quod per praeconem intimatur, sive is verum dicit, sive falsum, ita homo sequi debet dictamen conscientiae, etiam errantis, quando nullam

habet rationem prudenter dubitandi num haec sit Dei voluntas. Cfr. S. Th. 1. 2. q. 19. ad 2. Ideo, quod ad actum *praesentem* pertinet, eodem modo ligat conscientia recta et erronea. Sic peccaret non mentiendo is cui conscientia erronea cum certitudine morali dictaret mentiendum esse, ex. gr. ut proximum a gravi malo liberaret. Cfr. Rom. XIV, 23 : " Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. „

II. Peccatum agentis contra conscientiam certam illius est speciei quam mens apprehendit. Nam objectum tribuit actui speciem prout hic et nunc ab intellectu proponitur. Sic occidens hominem quem falso putat esse presbyterum aeque reus est, in foro conscientiae, sacrilegii ac si reapse presbyterum occidisset.

III. Si conscientia certa erronea oritur ex ignorantia invincibili, nullus omnino aderit reatus, si hanc sequimur : neque in causa hujus erroris, cum supponatur inculpabilis, neque in actu secuto, ut liquet e Princ. I. Ita nullatenus peccat qui, licet moralem diligentiam adhibuerit, ignorat tali die vigere abstinentiam et carnes comedit.

49. IV. Si conscientia erronea oritur ex ignorantia vincibili, duplex fieri potest hypothesis : vel homo, dum acturus est, nullatenus advertit errorem suum, ex. gr. confessarius qui olim culpabili negligentia studium omisit ; vel ignorantiam erroremve suum saltem aliquatenus advertit.

In priore casu, tenetur ad hanc conscientiam sequendam, si vetat vel praecipit ; licet eam sequi, si consulit vel permittit ; culpa tamen adest in causa. Exemplum habes in eo qui, neglecta instructionis religiosae cura, existimaret duellum esse quandoque licitum ad famam servandam.

Ratio est, quod nemo ad impossibile tenetur; quando autem nullatenus ignorantiam meam suspicor, eam deponere nequeo ideoque hic et nunc aequiparanda est ignorantiae invincibili. Culpa autem quae e voluntaria causa oritur semper aderit habitu, nisi quis sincere poenitens eam retractaverit et sufficientem diligentiam adhibuerit ad ignorantiam depellendam. Gravitati hujus reatus in causa applica quae diximus de ignorantia invincibili n. 20. Merito notat Ball. P. (n. 39) : " Nec tamen, quaelibet aut qualiscumque praevisio inducit obligationem tollendi ignorantiam ad mala quaepiam cavenda : quippe mala quaepiam, licet possibilia, quandoque imprudenter timerentur... Ita, v. gr. qui noctu iter facit non tenetur praemittere aliquos qui inspiciant an aliquis infans aut morbo correptus aut vulneratus forte in via jaceat ac possit equorum pedibus aut curriculi rotis conteri. „

In posteriore casu, idem manet reatus in causa. Si vero spectatur actus hic et nunc ponendus in seipso, ejus reatus dijudicandus est e

principiis mox afferendis de conscientia dubia : qui enim aliquatenus advertit ignorantiam vel errorem suum, agit cum conscientia dubia.

50. Secundum haec principia, explicandum est quod Ball. P. (IV. Resp. 3) cum Busembaum aliisque multis statuit : " Si sit conscientia culpabiliter erronea, judicans ex ignorantia vincibili aliquid prohibitum esse aut praeceptum, quod non est, peccas et si contra eam et si secundum eam opereris ; gravius tamen (ceteris paribus) si contra. „ Sensus est, in utroque casu adesse peccatum in causa, quod supponitur nondum retractatum et emendatum; si quis agit secundum hujusmodi conscientiam, hic et nunc delinquit ideoque habebit tantum reatum praecedentis peccati in causa ; si quis vero contra hanc conscientiam agit, huic peccato addit reatum actionis positae contra conscientiae dictamen. Exemplum ultimi casus habes in confessario qui, ex ignorantia graviter culpabili, judicat faciendam esse restitutionem quae facienda non est, sed eam, ob respectum humanum, imponere non audet.

Probabilius ejusdem speciei est peccatum ex erronea conscientia admissum ac si e recta commissum esset. Ideo si quis Missam omisit eo die quo ex errore putabat illius auditionem praecipi, satisfacit se accusando quod Sacrum audire omisit. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 499) Confessarii tamen est, ubi scit vel suspicatur aliquem ex erronea conscientia peccasse, illum interrogare num reapse existimaverit se graviter delinquere, quando ita egerit, et noxiam ignorantiam depellere.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

51. DEFINITIO. Conscientia dubia, sensu stricto, est suspensio assensus circa instantis meae operationis liceitatem. In hoc statu mentis non fertur judicium practicum nisi de insufficientia rationum ad sententiam pro liceitate vel contra liceitatem ferendam.

Dubium, sensu stricto, differt a suspicione, quae est suspensio judicii cum inclinatione in unam partem, et ab opinione, quae est adhaesio mentis uni parti cum prudenti formidine oppositae. Hi tamen status mentis sub dubio late sumpto comprehenduntur, quia etiam in iis persistit prudens errandi formido ideoque plenus assensus denegatur. (1)

(1) A multis AA. praesertim aequiprobabilistis crebro usurpatur divisio dubii in *strictum* et *latum*. Strictum vocant quando ex utraque parte negativum est

52. DIVISIO. Dubium dividitur :

1° In *negativum* et *positivum*. Haec divisio varie a variis AA. intelligitur. Nobis dubium erit positivum quando adest ratio gravis assentiendi, relinquens tamen prudentem formidinem oppositi : unde idem erit ac probabilitas ; negativum vero vocabitur quando nulla vel nonnisi levis ratio erit assentiendi, ita ut fere conveniat cum ignorantia. Patet dubium positivum potius referri ad opinionem quam ad dubium proprie dictum.

2° In *speculativum* et *practicum*. Speculativum dicitur quoties versatur circa veritates universales vel etiam circa actionem omnino concretam et practicam, si non agatur de actione hic et nunc a me exercenda, ex. gr. si quaeram num liceat pingere vel venari die Dominica. Practicum erit quando is qui acturus est dubius haeret de honestate actionis suae, ex. gr. si quaerit a se num hac die Dominica liceat sibi venari. Distinctio igitur non desumitur e duplici veritatum specie, sed e duplici modo quo quis se habere potest circa veritates practicas.

3° In dubium *juris* et dubium *facti*. Prius illud est quod immediate versatur circa legis existentiam vel obligationem, ex. gr. si dubitatur num valeat testamentum formis legalibus destitutum. Posterius versatur circa aliquam rem particularem, ex. gr. si dubitatur num hoc testamentum formis legalibus careat.

Eodem fere sensu divisiones illae applicantur conscientiae quae dicitur positive vel negative, speculative vel practice dubia, etc.

53. PRINCIPIA. I. Numquam licet agere cum conscientia practice dubia ; qui autem sic agit, peccatum admittit ejusdem speciei tum theologicae, tum moralis cujus est peccatum de quo dubitat.

Ratio prioris partis haec est. Qui habet conscientiam dubiam scit se in legis ignorantia versari. Jamvero quisquis id novit, tenetur, antequam agat, de lege inquirere, et reus est si, cum possit, ignorantiam depellere negligit. Quicumque enim ad leges servandas obligatur, simul etiam ad eas cognoscendas atque adeo inquirendas tenetur.

Ratio posterioris partis : qui ita agit, praevidet ex ignorantia sua adesse periculum ne *talia mala in individuo* sequantur, ac, sciens

vel ex utraque positivum, sed rationibus fere aequalibus ita ut mens totaliter suspensa maneat inter judicia contraria ; latum, quando pro una parte tantum adest motivum grave vel si pro una adest motivum certo gravius quam pro altera, ita ut mens uni parti adhaereat. Cfr. Marc. Theol. Mor. I. n. 74 seqq. Nos aliter has voces intelligimus, ut ex h. l. patet, neque admittimus dubium fore necessario strictum quando utrimque affulgent argumenta probabilia, cum voluntas ob varias rationes, puta commodum ex alterutra sententia obventurum, saltem indirecte intellectum movere possit ut alterutri assentiat.

obligationem suam idcirco depellendi ignorantiam, nihilominus culpabiliter illud periculum subit. Reus est igitur hujus *specialis* violationis cui se temere exponit. Nec minuitur ejus culpa etiamsi reapse illa violatio non sequatur. Exemplo sit medicus qui remedium praebet aegroto, dubitans num forte venenum letale praebeat, quamvis reapse salutarem medicinam tradat : is malitiam homicidii contraheret. Si quis ad nullam speciem determinatam attenderet, peccatum esset inobedientiae, cum respueretur voluntas Dei cognita.

II. Qui in dubio practico versatur, tenetur ad illud deponendum antequam agat. Hoc tamen varia ratione fit pro dubii qualitate. Si negativum est, nulla alia inquisitione facta, contemni potest ; si vero positivum, deponendum est inquirendo rationem aliquam vel intrinsecam vel extrinsecam. Qua de re fusius dicetur ubi de Probabilismo.

Manifestum est per se licitum esse etiam abstinere ab actione. Hoc sensu intelligendum axioma : " In dubio pars tutior est sequenda. „

III. Si quis sibi videtur constitutus inter duo, quorum alterum est necessario faciendum, et utrimque peccatum timet, eligere debet id quod ipsi minus malum videtur vel, si utrumque aeque grave apparet, non peccabit alterutrum eligendo.

Supponitur talis necessitas agendi ut nequeant alia media adhiberi ad dubium istud solvendum, qualia forent aliorum consilia, lectio librorum de casibus agentium, etc. Exemplum habes in confessario qui timet ne, absolutionem concedendo, sacramentum indigno ministret, vel eam negando, poenitentem a sacramentorum usu penitus removeat.

Manifesta est ratio ob quam alterutrum eligendo non peccat. Nam nemo peccat invitus vel ad impossibile tenetur ; hic autem supponuntur omnia media exhausta ut malum verum vel apparens vitet. Quodsi quis se negligentia sua in tales angustias conjecerit, ut puta, in exemplo dato, confessarius qui theologiae moralis studium neglexerit, actio ejus in se quidem erit honesta, sed culpabilis in causa.

54. QUAER. num graviter peccet ille qui novit quidem se male agere, sed non attendit utrum peccatum grave an leve admittat.

RESP. Duplici ratione haec quaestio intelligi potest : de re in se spectata et de judicio quod alius, praesertim confessarius, de reatu talis actionis ferre debeat.

Si priore sensu ponitur, respondendum : ad peccatum formaliter grave semper requiri cognitionem gravitatis, saltem confusam. Quare, si non habetur verum dubium vel suspicio de malae actionis gravitate, non

erit nisi peccatum leve. Haec derivantur e Princ. I. (n. 53) Cavendum tamen ne tamquam serium dubium habeatur inanis quaedam phantasiae apprehensio, qualis in scrupulosis crebro occurrit.

Si posteriore sensu accipitur, imprimis patet quaestionem hanc aegerrime solvi posse : pendet enim solutio a natura actus interni de quo is qui peccavit plerumque nihil clari testabitur. Insuper notandum confessario talem quaestionem concretam minime solvendam esse ut rite officio suo fungatur. Plerumque licet praesumere sufficientem cognitionem ad graviter peccandum adfuisse ubi de re objective gravi agitur, praesertim si is qui ita male egit habitualiter paratus est peccata mortalia admittere ; contrarium vero praesumatur ubi res in se levis est vel poenitens habitualiter grave peccatum abhorret. Facilius etiam praesumi possunt leviter peccasse pueri et rudes : quippe qui parum attendant ad gravem obligationem inquirendi. Hoc sensu forsan explicari possunt AA. qui dicunt gravitatem peccati metiendam esse e gravitate vel levitate objectiva. Cfr. S. Alph. l. 1. n. 23.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

55. NOTIO. Conscientia scrupulosa dupliciter sumi solet. Interdum significat dictamen rationis actuale e scrupulis formatum, quo sensu idem est ac conscientia erronea. Saepius designat conscientiam habitualiter scrupulis obnoxiam, quam ita definit S. Alph. (n. 11) : " Est ea quae ob levia motiva, absque rationabili causa seu fundamento, saepe formidat de peccato ubi revera non adest. „ Complectitur autem tum antecedentem, tum consequentem conscientiam, sicut et ipse scrupulus anxietatem injicit tum de actibus ponendis, tum de actibus jam positis.

Scrupulus ipse est " inanis apprehensio et hinc ortus timor et anxietas, alicubi esse peccatum ubi non est. „ (Busemb.)

Probe distinguenda est conscientia scrupulosa a dubia, in qua non adest illa anxietas scrupulorum propria ; multo magis a conscientia timorata quae, ex amore filiali, ab omni peccato et peccati periculo recedit.

56. EFFECTUS scrupulorum.

Scrupuli, sicut quaelibet tentatio, per se in nocumentum hominis tendunt. Attamen, si rite iis resistimus. conferunt nobis plurimas utilitates, quarum intuitu a Deo permittuntur. Ideo, quo efficacius scrupulosi

stimulentur ad hanc suam probationem fideliter patiendam, juvat prae oculis habere tum utilitates, tum damna e scrupulis oriunda. Haec enumerat La Croix (Theol. Mor. l. 1. n. 513), qui de toto hoc argumento consuli meretur.

Utiles sunt scrupuli :

1° Ad conscientiam a minimis delictis emundandam.

2° Ut homo magis sollicite minimos defectus caveat et omnia ad Deum dirigat.

3° Ad humiliationem internam, propter necessitatem se totum alterius directioni tradendi.

4° Ut melius et suavius alios in conscientiae anxietatibus dirigat.

5° Ad ampliora merita acquirenda per acerbos cruciatus internos quos propter Dei amorem patitur.

Nocent vero scrupuli, praesertim quando scrupulosi in suo judicio pertinaces sunt :

1° Corpori cujus valetudinem pessumdant ; imo saepe caput ita debilitant ut scrupulosi in amentiam incidant.

2° Animae, et multipliciter quidem. Nam inanibus cogitationibus tempus teritur ; seria cura profectus spiritualis negligitur ; homo fit saepe ineptus laboribus quibus plurimam utilitatem proximo conferre posset ; imo etiam quandoque, teste S. Alph. (n. 13), adeo desperat de animae suae salute ut vel mortem sibi inferat vel habenas vitiis omnibus laxet.

57. SIGNA conscientiae scrupulosae.

Sedulo cavendum est confessario ne tamquam scrupulosum tractet eum qui, sancto timore Dei plenus, levissima delicta vitare et expiare cupit. Nam, si hoc falsum criterium adhiberetur, omnes Sancti fuissent scrupulosi.

Ut autem accurate discernantur qui vere scrupulosi sunt, investigetur num in iis verificentur omnia quae in definitione supra allata (n. 55) continentur. Praesertim non confundatur aliqua transitoria anxietas cum habituali, vel conscientia timorata cum scrupulosa.

Recensentur etiam a La Croix (l. c. n. 511) varia signa *specialia*, quorum praecipua sunt : pertinacia judicii qua nullius, etiam docti, sententiae acquiescunt, sed ab uno ad alium confessarium currunt ; frequens mutatio in judiciis ex levi apparentia ; timere in omnibus peccatum.

Scrupulosi interdum a prima confessione facile agnoscentur ; interdum res dubia confessario, etiam prudenti, manebit. Is poterit, in eo casu, interrogare poenitentem quomodo a confessario suo ordinario judicari et tractari soleat, et illius judicio stare.

Saepe reperies homines qui in uno alterove argumento scrupulosi sunt, ex. gr. circa Horarum recitationem, in reliquis vero nimis laxi. Hi ergo partim ut scrupulosi, partim ut laxi tractandi sunt.

58. REGULAE pro scrupulosis.

1° Licet scrupulosis agere contra scrupulum suum, dummodo illum tamquam inanem apprehensionem contemnant.

Ratio est, quod illa inani apprehensione non tollitur judicium practicum prius efformatum ex confessarii judicio vel alio modo. " Nec opus est ut in quolibet particulari actu hoc judicium efformet, nempe quod scrupulos contemnere debeat ex praecepto confessarii ; satis enim est quod, ex judicio prius formato, contra scrupulum agat ; quia, propter experientiam praeteritam, in ejus conscientia judicium illud virtualiter seu habitualiter existit, licet tenebris obscuratum. „ (S. Alph. n. 19)

2° Potest interdum esse gravis obligatio agendi contra scrupulos propter plurima damna quae timenda sint si quis iis cedere pergat. (S. Alph. n. 17) Caute tamen dispiciat confessarius ne, hanc obligationem proponens, scrupulosum potius turbet quam adjuvet.

3° Uti possunt iis quae AA. vocant scrupulosorum privilegia. Haec ita recenset Busemb. (De Consc. c. 3. resp. 4) : " 1. Quod non teneantur in agendo adhibere examen et diligentiam nisi valde mediocrem, nec tantam, quantam alii et quod, dum angit scrupulus nec suppetit consilium, possint libere agere quod volunt, nisi certum et evidens sit esse peccatum. 2. Quod nihil teneantur repetere ex praeteritis confessionibus, nisi certo sciant illud esse mortale et se rite confessos non esse. Non est autem certus scrupulosus quamdiu dubitat (intellige etiam levi dubio). Ratio utriusque privilegii est : quia in scrupuloso, ex nimio timore peccandi, turbatur ratio, ita ut non possit recte rem examinare. Unde, esto aliqua confessus non fuerit, non tenetur tamen, cum tanto damno et periculo anxietatis perpetuae, procurare integritatem confessionis, cum ab ea minores saepe difficultates excusent. „

59. REMEDIA scrupulosorum.

1° Omnium praecipuum est ut scrupulosus humiliter judicio confessarii sui acquiescat eique integram obedientiam praestet. Quare summopere cavere debet ne alios confessarios consulat vel etiam ad eumdem saepius recurrat.

2° Otium vitet scrupulosus : nam labore constanti aditus inanibus cogitationibus praecludetur.

3° Scrupulorum causam tollat, quatenus haec ab ejus libera voluntate pendet : qualis esset lectio librorum asceticorum nimiae severitatis in obligationibus inculcandis, consortium cum scrupulosis, ignorantia ex. gr. circa materiam sexti et noni praecepti de qua discrete interroget confessarium, etc. Si penitus tolli nequit causa, conetur tamen eam minuere. Ita qui pertinax est in proprio judicio, ut non raro inter

doctiores contingit, fortiter in caecam obedientiam incumbat; qui propter melancholiam in scrupulos propendet, honestis quibusdam recreationibus atram bilem temperet.

4° Magno animo contra scrupulos agat, eos contemnendo et anxias cogitationes, tamquam pravas et nocivas, repellendo.

60. REGULAE pro confessario scrupulosorum. Cfr. La Croix, l. c. n. 527 seqq.

1° Diligenter causam scrupulorum investiget ut remedia singulis aptiora proponere valeat.

2° Generatim mitem erga scrupulosos se praebeat, ne dolor addatur afflicto; quandoque tamen juvabit major severitas, nempe si qui se pertinaces exhibeant.

3° In dubiis solvendis clare respondeat, nihil haesitans, nec generatim addat rationes quae novam scrupulis causam praeberent. Attamen si quando advertit causam scrupulorum esse ignorantiam, ne omittat poenitentes, praesertim ingenio praestantiores, docere.

4° Ne patiatur sibi proponi quoscumque scrupulos vel dubia, sed quando moraliter certus est nihil nisi scrupulum allatum iri, dimittat ad communionem, etiam non auditum. " Quia hae interrogationes et frequentes recursus ad confessarium sunt veluti frictio scabiei, quae quidem placet, sed nocet. „ (La Croix, l. c. n. 531) Nec permittat repetere confessiones vel dubia, maxime si semel ad satietatem audiverit, " quia alioquin numquam fontem scrupulorum exhauriet. „ (Busemb. l. c.) Igitur quando confessario persuasum erit scrupulosum numquam perventurum esse ad veram certitudinem de peccato vitae praeteritae nondum clavibus subjecto, utiliter eum jubebit nihil in specie accusare de tempore ante ultimam confessionem elapso, dubia autem recentia generali ratione tantum accusare, addendo : " quatenus in his Deum offendere potui. „ Cum scrupuloso qui semper anxius est de praeteritis confessionibus censet S. Alph. (n. 16) expedire ut confessarius ei imponat " ne amplius cogitet de culpis praeteritis, nec de iis verbum faciat in confessione nisi jurare possit certo peccata illa mortalia perpetrasse et insuper numquam de illis confessum esse. „ Attamen discrete hoc medio utendum puto ne forte juramenta emittant quae novam materiam scrupulis praebeant.

5° Poterit scrupulosis prohibere quod numquam aliis poenitentibus rationabiliter prohibebit : ne ad alium confessarium accedant. Ratio patet ex dictis n. 59, 1°.

CAPUT V.

DE CONSCIENTIA LAXA.

61. Conscientia proprie dicta, seu antecedens, est laxa quando quis saepe ob levius motivum judicat licere quod illicitum est vel leve peccatum esse quod reapse est grave. Similiter conscientia consequens laxa esse potest, si quis habitualiter judicat, sine sufficienti ratione, nullum vel leve tantum peccatum a se admissum esse. Generatim utroque modo simul conscientia laxa erit.

Distingui solet conscientia laxa triplex :

1ª *Simpliciter talis*, quae praesertim oritur ex ignorantia voluntaria vel involuntaria.

2ª *Cauteriata* seu habitualiter laxa in re gravi. Desumitur nomen ex 1 Cor. IV, 2. " In hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatam habentium suam conscientiam. „ Vox derivatur a verbo cauteriare (καυτήριον), ferro candente adurere et ita sensum adimere.

3ª *Pharisaica*, quae, in sensu stricto, designat eos qui, Pharisaeos imitati, gravissima Dei mandata parvi faciunt, magni autem reputant externas quasdam levisque momenti observantias. (Matth. XXIII, 23 seqq.) In sensu lato designat conscientiam quae pluris facit opera quaedam supererogatoria quam officia status.

62. Nulla nova principia de conscientia laxa danda sunt. Haec enim est status quidam et inclinatio habitualis, non autem dictamen rationis actuale a quo solo immediate et directe pendet actuum moralitas. Applicanda hic sunt quae supra statuta sunt de ignorantia voluntaria et de conscientia dubia. Manifestum est periculum talis conscientiae in rebus gravis momenti. Nam hac perversa dispositione, quam inducere solet consuetudo peccandi et remorsum contemnendi, homo impellitur ad agendum saepe cum confusa cognitione gravitatis peccati ; postea autem facile id sibi indulget parumque aut nihil a se commissum judicat. Neque tales homines a gravi peccato excusantur : quippe qui plerumque actionis suae malitiam suspicentur, vel saltem in habituali voluntate mala sese obfirment. Exemplo sunt plurimi qui sibi fucum faciunt ratiunculis quibusdam, ex. gr. " Persuadere mihi non possum Deum tam bonum me aeternis suppliciis addicturum esse eo quod carnes die Veneris comederim vel Sacrum die Dominica omiserim. „

CAPUT VI.

DE PROBABILISMO.

§ 1. NOTIONES ET DIVISIONES.

63. Quae de probabilismo dicenda sunt, proprie ad statum conscientiae dubiae referuntur. Praebet enim probabilismus medium quo, manente dubio speculativo, evacuetur dubium practicum et formetur conscientia practice certa, quae sola est tuta morum regula. Cfr. dicta n. 51 seqq. Cum hoc argumentum summi sit momenti in re morali, paulo fusius de eo dicemus.

64. NOTIONES. Opinio probabilis ea est quae nititur motivo tum absolute, tum relative gravi, manente tamen prudenti formidine oppositi.

Motivum dicitur *absolute grave*, quando rem verisimilem efficit et virum prudentem ad assentiendum movere potest. Prudens autem intelligitur quicumque aptus est ad judicium ferendum de rebus practicis, tum ex ingenii proprii acie, tum quia liber est a variis recti judicii impedimentis, qualia sunt praejudicia, studium partium, etc. Idem motivum erit insuper *relative grave*, si hanc vim suam movendi ad assensum servat, etiam inspectis rationibus quae in contrariam partem afferantur. Oportet ergo ut nulla ratio convincens assensum in partem oppositam trahat. Sic rationes quae in se inspectae videantur aptae ad prudentem assensum obtinendum, vim suam omnem amittunt ex quo innotescit eam cui favent sententiam ab Ecclesia reprobatam esse. Attamen necessarium est ut maneat prudens formido oppositi, seu ut appareat motivum sufficienter favens parti oppositae ut etiam huic adhaereri prudenter possit. Si enim pro parte opposita nulla vel levis ratio appareat, jam habebimus certitudinem, vel strictam, vel, quae in materiis moralibus practice aequivalebit, late sumptam.

65. DIVISIO. Probabilitas dividitur :

1° Ratione fundamenti quo nititur in *intrinsecam* et *extrinsecam*. Intrinseca est cum nititur motivis quae ex ipsa re, in se vel in circumstantiis suis inspecta, desumuntur : extrinseca, cum nititur auctoritate eorum qui hanc sententiam tenent.

Regulariter, extrinseca supponit intrinsecam, quia vir prudens nihil sine gravi ratione docere solet : unde mediate etiam nititur rationibus

eorum quorum auctoritas ad assensum movet. Si quis vero has rationes ipse ad trutinam revocavit, jam probabilitate tum intrinseca, tum extrinseca ducitur.

2° **Ratione modi quo argumentum spectatur,** in *speculativam* et *practicam.* Semper hic agitur de argumento quod ad praxim pertineat, non autem de doctrina mere speculativa. Sed argumentum, etiam practicum, spectari potest vel abstracte et in se, non attentis illis circumstantiis quae ei communiter adjunctae sunt, vel cum omnibus circumstantiis quae illud in concreto et secundum hominum naturam, prout communiter se habet, comitantur. In priori casu, judicium quod de hoc argumento fertur dicitur *speculative probabile,* in posteriore, *practice probabile.* Ita AA. quidam dicunt speculative probabile esse, mulierem, vi oppressam, ob metum mortis non clamare, sed se mere passive habere; practice autem id esse improbabile ob summam generis humani in venereas delectationes propensionem. Cfr. Lehmk. I. n. 79. Alii tamen hanc divisionem aliter intelligunt.

3° **Ratione modi quo apprehenditur,** in *certam, dubiam* et *tenuem.* Certo probabilis potest esse aliqua opinio vel *extrinsece* vel *intrinsece :* extrinsece, si viget inter optimos auctores, Ecclesia saltem tolerante ; intrinsece, si vir doctus eam diligenter examinavit et motivo vere gravi niti reperit.

Dubie probabilis erit si motivum quo nititur aliquatenus nutat, ex. gr. si ratio Doctorum qui eam tenent alicui videatur infirma, si unus alterve eam tradant, ceteris contradicentibus, etc.

Tenuiter probabilis dicitur communiter ea quae levibus tantum rationibus nititur. Haec tamen verba invicem pugnare videntur, cum probabilitas ex ipsa natura sua requirat motivum grave.

4° In *absolutam* et *comparativam,* prout sententia probabilis in se tantum spectatur vel cum sententiis oppositis comparatur. In hac posteriore hypothesi distinguere est opinionem *minus probabilem, aeque probabilem, probabiliorem, probabilissimam.* Haec ultima potest esse vel *comparative* vel *absolute probabilissima.* Prior terminus denominat opinionem quae probabilitate excedit omnes opiniones probabiles de eadem quaestione, licet non assequatur summum probabilitatis gradum. Posterior terminus denominat opinionem quae, vi rationum suarum, attingit gradum illum qui, licet nondum excludat omnem errandi formidinem, inter gradus verisimilitudinis maximus censeri possit. Attamen notandum in rebus moralibus raro deveniri posse ad omnimodam certitudinem, ideoque practice in idem redire opinionem absolute probabilissimam et moraliter certam.

Proderit etiam notasse magnum vigere discrimen inter alicujus opinionis *probabilitatem* ejusdemque *securitatem.* Sub hoc posteriore

respectu, tutior dicitur opinio quae favet legi ac proinde excludit omne periculum etiam materialiter peccandi; tuta dicitur opinio quae favet libertati, sed excludit prudentem formidinem formaliter peccandi. Liquet opinionem probabiliorem esse posse minus tutam quam oppositam quae legi faveat; contra, minus probabilem esse posse tutiorem eo quod legi faveat.

5° In probabilitatem *juris* et *facti*. Quae divisio intelligenda est eadem ratione atque ignorantia juris et facti. Cfr. n. 17.

66. Cum summi momenti sit ut opiniones non temere, sed magna prudentia tamquam probabiles habeantur, quaedam hic notasse juvabit quae in hoc judicio efformando dirigere valeant.

1° De probabilitate intrinseca judicare possunt tantum ii qui in rebus moralibus sunt versatissimi, non autem mediocriter docti. Hi tamen de probabilitate extrinseca possunt judicium ferre: nam ad hoc sufficit ut, statu quaestionis rite percepto, hanc opinionem apud scriptores omni exceptione majores assertam reperiant. (Ball. P. n. 121)

2° Multi tradunt hanc regulam: extrinsece probabilem esse illam opinionem cui adhaerent quinque vel sex auctores graves, praesertim usu scholarum probati. (Lehmk. I. n. 80) Supponitur tamen, ut per se liquet, eorum auctoritatem non elidi vel documento aliquo positivo, puta decreto Sedis Apostolicae eorum sententiam reprobantis, vel etiam perspecta falsitate motivi cui innituntur, puta alicujus documenti spurii, erroneae doctrinae veterum physicorum, etc.

3° Haberi potest tamquam probabilis opinio propter auctoritatem vel unius doctoris, dummodo is sit omni exceptione major et afferat rationem quam alii non examinaverint vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat. (Gury, I. n. 54) Neque obstat damnatio prop. 27ae inter proscriptas ab Alexandro VII: "Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem." Feriuntur enim hac damnatione ii tantum qui stulte contendebant ad probabilitatem sufficere quod nuper prodierit aliqua opinio nec fuerit a S. Sede rejecta. Cfr. Viva in hanc propositionem.

4° Non convenit inter AA. utrum tamquam solide an tamquam tenuiter tantum probabilis habenda sit opinio probabiliter probabilis. Recte distinguit Ball. P. (n. 119): "Si verba *probabiliter probabile* adhibeas ad definitionem mere nominalem et arbitrariam, adeo ut significare velis opinionem, pro cujus probabilitate ratio quaepiam gravis ac solida, quae ad prudentem assensum movere possit, nulla militet; esto quod ea non sit vere probabilis. Verum, si verba, uti par est, juxta proprium sensum usurpes, aliter se res habet. Probabiliter enim aliquid affirmare,

idem ex consensu omnium valet, ac aliquid ob gravem solidamque ac prudentem rationem asserere. Ergo si probabiliter quidpiam dicis probabile, spectato proprio verborum sensu, oportet ut ad id affirmandum, prudenti, gravi ac solida ratione ducaris. Abs re ergo... hoc idem negares proprie et solide esse probabile. „

§ 2. VARIA SYSTEMATA DE PROBABILITATE.

67. Supponantur adesse duae sententiae oppositae quarum una legi, altera libertati favet, ex. gr. una obligans ad audiendum Sacrum cum hoc illove impedimento, altera ab eadem obligatione excusans. Quaestio quam solvere intendimus, haec est : quandonam licet, ideoque tutum est, sequi sententiam libertati faventem ? E variis responsis ad hanc quaestionem oriuntur varia systemata quibus probabilismus determinatur vel impugnatur. Haec summi momenti sunt, siquidem in re morali creberrime occurrunt casus in quibus ita duae sententiae oppositae animum suspensum tenent.

1um RESP. Requiritur ut sententia favens libertati sit *certa*. Ratio est, quod quamdiu intra limites probabilitatis haeremus, versamur in periculo errandi ideoque et peccandi. Hic est **tutiorismus absolutus**, damnatus ab Alexandro VIII cum 3a prop. Sinnichii : " Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. „

2um RESP. Requiritur ut eadem sit *probabilissima*. Hoc systema, quod vocatur **tutiorismus mitigatus**, vix differt ab absoluto, ad quem logice et manifeste ducit. Nititur enim eodem principio : vitandum esse omne periculum errandi et peccandi, quod semper manet nisi habeatur certitudo. Deinde, in rebus moralibus nullum practice discrimen viget inter opinionem certam et vere probabilissimam.

3um RESP. Requiritur ut eadem sit *probabilior* quam sententia legi favens. Hoc systema, quod **probabiliorismus** audit, tamquam principium habet : " Tutius est sequendum. „ Fautores ejus praecipui fuerunt plures AA. Ordinis Praedicatorum, ex. gr. Billuart qui probabiliorismum fuse exponit et tuetur. (Cursus Theol. in 1am 2ae t. I. diss. 6a de opinionum probabilitate et delectu) Hodie autem inter scriptores vix ullum fautorem habet : quod potissimum tribuendum est judicio quo S. Sedes doctrinam benigniorem a S. Alphonso propugnatam, tutam declaravit.

4um RESP. Requiritur ut eadem sit *aeque probabilis* ac sententia legi favens. Hoc systema nomen **aequiprobabilismi** gerit. Ut tamen

plene intelligatur, haec insuper addenda sunt. Efficaciam hanc solvendi a lege extendunt aequiprobabilistae ad sententiam *fere* aeque probabilem ac sententiam faventem legi, quia " parum pro nihilo computatur. „ Sed eamdem efficaciam restringunt ad casum quo dubia est legis existentia : nam, eorum sententia, cum dubia est cessatio legis, sequenda est opinio legi favens. Haec restrictio profecto ad essentiam systematis non pertinet, sed constanter fit ab hodiernis ejus fautoribus : eam desumunt e primario principio suo : " Melior est conditio possidentis. „ Extra limites hujusce latae probabilitatis, vincit opinio unice probabilis vel certe probabilior, sive haec opinio legi faveat, sive libertati. Hoc systema propugnant PP. Redemptoristae (Aertnys, Marc, etc.), Ill. Simar Episc. Paderborn. (Lehrbuch der Moraltheol. § 52), etc.

5um **RESP.** Requiritur tantum ut eadem opinio sit *solide et practice probabilis*, etiamsi opinio favens legi sit probabilior. Hic est **probabilismus purus** quem sequuntur communiter auctores Soc. Jesu et Franciscani, ex. gr. Vander Velden (Principia Theol. Mor.) multique alii, ex. gr. D. Bouquillon (Theolog. Mor. fundamentalis), P. Raphael a S. Josepho (Instit. fundam. Theol.), Ill. Waffelaert (De dubio solvendo in re morali.) Horum principium primarium est : " lex dubia non obligat. „

6um **RESP.** Requiritur tantum ut eadem opinio sit *tenuiter probabilis*. Hoc systema vocatur **laxismus.** Fatendum tamen est nullum auctorem talem doctrinam theoretice propugnasse : si qui laxistae nomen merentur, id potius ex eo contingit quod crebro, ob tenues rationes, sententias libertati faventes probabiles vocant.

COROLLARIUM. Inter catholicos scriptores tria tantum systemata fautores suos habent, nempe probabiliorismus, aequiprobabilismus et probabilismus purus. Ideo, in stabiliendo systemate nostro, duplicis tantum speciei adversarios ante oculos habere debebimus. Imo fere unice contra probabilioristas adstruitur generalis demonstratio probabilismi : quippe qui parum ab aequiprobabilismo distet, ut postea explicabitur. Omittemus hic, utpote minoris momenti, systemata quaedam parum feliciter a paucis excogitata, ut prorsus diversa ratione solvantur conscientiae dubia.

§ 3. DEMONSTRATIO PROBABILISMI.

68. THESIS. Quotiescumque de solo licito vel illicito agitur, licet sequi opinionem vere et practice probabilem, etiamsi opinio opposita legi favens est probabilis vel probabilior.

Status quaestionis. 1° Probe advertenda haec verba " quotiescumque de solo licito vel illicito agitur. „ His enim indicatur thesim hanc esse universalem ita ut quilibet tuta conscientia sequi possit opinionem vere et practice probabilem, de quacumque lege agatur, sive humana, sive divina. Ex altera parte, iisdem verbis excluduntur ab hujus theseos ambitu quaestiones omnes in quibus non agitur tantum de liceitate vel illiceitate alicujus actionis, sed simul et proxime de ejusdem efficacia ad certum quemdam finem absolute obtinendum. In his enim operans semper debet adhibere medium certum, si hoc in sua potestate habet, probabilius, si certum non datur. Si enim medium tantum probabile adhibet, relicto tutiore, inducit periculum nullitatis effectus ideoque deest obligationi quam ex religione, justitia, etc. habet ad finem hunc, quantum potest, obtinendum. Nam effectus orietur e solo medio valido, non e quolibet probabili. Hoc praesertim in sacramentis conficiendis usu venit. Sic, licet probabilius valeat baptismus in pectore collatus, perperam inde concluderem : " Ergo mihi licet baptizare infantem in pectore, etiam quando facile aquam capiti infundere possem. „ Similiter medicus, curam aegroti suscipiens, se implicite obligat ad sanitatem ejus quo meliore potest medio restituendam. Igitur si quod medium multo probabilius efficax haberet, non posset aliud probabilis tantum efficaciae adhibere. Cfr. prop. 1am ab Innoc. XI damnatam : " Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore. „ Fusius de hac obligatione in conficiendis sacramentis dicetur Vol. II. n. 116. Similiter in Tract. V. (n. 194) explanabitur aliud hujus doctrinae corollarium, scil. non posse adhiberi sententias mere probabiles ubi de necessariis ad salutem agitur.

Notandum est nullam in his casibus dari exceptionem probabilismo. Nam in illis omnibus probabilitas non afficit actionem hic et nunc a me ponendam, sed efficaciam medii ad finem obtinendum : actio autem ipsa certe illicita est. Hinc si quis, ex. gr. in baptismo administrando, relicta materia certa, probabilem tantum adhiberet, is peccaret, non " quia utitur opinione probabili de liceitate actionis, sed quia utitur opinione probabili de actus validitate, exponens se periculo frustrandi effectum absolute obtinendum. „ (Buccer. Th. Mor. I. de Consc. n. 30)

2° Intelligimus per sententiam vere et practice probabilem eam quae nititur motivis tum absolute, tum relative gravibus (n. 65) et quae respicit omnes circumstantias actus hic et nunc ponendi, nulla abstractione facta. Excluditur ergo sententia quae apparenter tantum vel speculative probabilis foret.

3° Adversarii sunt probabilioristae et, ex parte, aequiprobabilistae, quatenus hi requirunt pro libertate sententiam fere aeque probabilem et excludunt casum quo lex in possessione est. Horum sententias non

damnamus, sed contendimus in conscientia tutum esse qui nostram in praxim deducit.

69. PROBATUR I. ARGUMENTO EX RATIONE.

Lex dubia non obligat.

Atqui lex est dubia, quotiescumque stat pro libertate opinio vere et practice probabilis, etiamsi forsan minus probabilis sit quam opposita.

Ergo, in hac hypothesi, nulla est obligatio sequendi opinionem faventem legi, seu licitum est sequi opinionem faventem libertati.

Prob. maj. " Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti. „ (S. Th. de Verit. q. 13. a. 3) Nam, ut habet S. Alph. (Dissert. scholastico-moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris) : " Certum est Deum libertatis dominium homini concessisse, ut agere posset omnia quae a divina lege non prohibentur, ut ex Apost. I Cor. VII, 37 : " Potestatem autem habens suae voluntatis. „ Hinc ait Sanchez (de Matrim. disp. 41. n. 36) : " Quoties dubium est, an impositum sit praeceptum naturale, divinum vel humanum de aliqua re, non obligari dubitantem : quia, donec constet de praecepto, possidet voluntatis libertas. „ Neque habetur vera scientia legis per opinionem probabilem vel probabiliorem quae ipsi favet. Nam, ut scribit idem S. Doctor (Syst. mor. n. 77) : " Quod sub nomine scientiae intelligatur probabilis notitia, haec est novi vocabularii nova significatio dum philosophi omnes cum S. Thoma distinguunt opinionem a scientia, quae accipitur ut cognitio certa alicujus veritatis. „

Prob. min. Quoties habetur opinio vere et practice probabilis pro libertate, etiamsi pro lege stat opinio probabilior, manet grave motivum opinandi legem non existere vel non obligare. Jamvero propter tale motivum merito dubitari potest num lex existat vel obliget. Ergo semper manet lex dubia.

Ut autem difficultati occurratur, adverte hoc ratiocinium nostrum non aptari hypothesi in qua opinio pro lege est probabilissima, opinio vero pro libertate tenuiter tantum probabilis. Nam quando adhibemus hoc axioma " lex dubia non obligat „, loquimur de lege quam aliquis prudenter in dubium vocet. Imprudens autem foret qui ita, ob tenuem rationem, legem sibi cum summa probabilitate manifestatam negligeret et opinionem tenuiter probabilem sequeretur. Cfr. Ball. P. n. 132.

N. B. Haec demonstratio, cum deducatur ex ipsa natura obligationis per legem impositae, est omnino universalis et dubiis omnibus circa quamcumque legem exortis applicanda. Nec logice distingui potest inter dubia de lege humana et dubia de lege naturali, inter dubia de lege existente et dubia de lege cessante. Ut enim recte scribit Bucceroni

(l. c.) : " Si probabilismus verus est, semper verus esse debet et in omni casu verificari debet.„

70. II. ARGUMENTO EX AUCTORITATE.

1° Ex **historia ecclesiastica** universe inspecta.

Multa aevi christiani saecula elapsa sunt antequam probabilismi principia et conclusiones in unum doctrinae corpus compingerentur. Plurima tamen testimonia ostendunt SS. Patres et Theologos usos esse ea ratione solvendi dubii practici quae postea scientifice a probabilistis proposita est. Sic Novatiano, qui secundas nuptias illicitas esse contendebat, respondit S. Gregorius Nazianzenus : " Quo argumento id confirmas? Aut rem ita esse proba ; aut, si id nequis, ne condemnes. Quodsi res dubia est, vincat humanitas et facilitas. „ (Or. 39. In sancta lumina n. 19.)

Tamquam systema in scholis prodire coepit probabilismus exeunte saeculo XVI°. Anno scilicet 1571 vel 1572. Bartholomaeus de Medina, Professor Salmanticensis, commentarios in D. Thomam edidit in quibus diserte statuit (ad 1. 2. q. 19. a. 6) : " Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit. „ Jamvero ex quo sub hac nova forma in scholis explicari et propugnari coepit, benigne receptus est probabilismus apud Ecclesiae Pastores, Ordines religiosos, celeberrimas Universitates, uno verbo in Ecclesia tota. Id fateri coguntur etiam acerrimi ejus adversarii qui postea exstitere, ut Thyrsus Gonzalez qui (Fundam. Theol. Mor. Introd. n. 6 seqq.) testatur ab anno 1597 usque ad 1656 doctrinam hanc fuisse communem eamque amplexos esse " ex omni religiosa familia et ex omni christiani orbis celebri Universitate auctores gravissimos „, imo inter opiniones scholasticas fortasse nullam inveniri " quae plures cursu non longo temporis sectatores habuerit. „ (ib. n. 1)

Verum quidem est multos probabilismum aggressos esse a medio saeculo XVII°: cujus immutationis ratio praesertim duplex assignatur. Prior est rigor Jansenisticus, cujus fautores probabilismum acerrime impugnarunt tamquam intolerabilis laxismi fontem : nempe, odio infensissimo adversus Societatem Jesu abrepti, in his impugnationibus cernebant medium aptissimum ad deprimendos et calumniandos hujus Ordinis religiosos, qui illi systemati tuendo plurimum addicti erant. Posterior causa fuit damnatio quarumdam propositionum, ex. gr. 27^{ae} ab Alex. VII (cfr. n. 66) et 3^{ae} ab Innoc. XI reprobatae : " Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus. „ Reapse damnatio illa non ipsum probabilismum, sed perversas quasdam ejus applicationes impetebat. Sed multi, opinati laxismum ex ipso systemate oriri, ad probabiliorismum confu-

gere. Nihilominus alii scriptores numero et doctrina minime inferiores, in vetere sententia perstiterunt, nec umquam Romani Pontifices ipsius probabilismi condemnationem, licet saepius ad eam incitati fuerint, edere voluerunt. Haec fusius videsis apud cl. Bouquillon. Theol. Mor. fundam. n. 298 seqq.

Jamvero ex hoc facto quod haec probabilismi doctrina tot saeculis in Ecclesia tradita et applicata fuit, invictum argumentum pro ejus veritate exsurgit. Ita S. Alph. (Dissert. cit.): " Si sententia benigna fuisset opposita traditioni apostolicae et communi sensui Doctorum qui Medinam praecesserunt, quomodo mille contradictores non insurrexissent adversus eam et damnassent ? Tanto magis quod fautores benignae sententiae scripserunt paulo post editum Tridentinum, quod ideo coactum fuit, ut morum pravitatem, quae per orbem christianum irrepserat, eliminaret ; unde Praesules et Pontifices, si illam ut damnosam doctrinam habuissent, totis certe viribus pro ipsius eliminatione incubuissent; anne putabimus Deum tunc temporis Ecclesiam deseruisse, permittendo hoc errore tam pernicioso (ut ipsi clamitant) fideles undique decipi ? Dices : Ecclesia non omnia approbat quae non damnat, sed saepe ex prudentia tolerat. Respondetur hoc concedi quoad aliquas opiniones particulares, sed non quoad alias, quae doctrinam generalem continent, ut est sententia benigna, quae importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus; unde, si esset falsa, universi populi christiani deceptio invecta fuisset. „

2° Ex **approbatione** data a S. Sede **doctrinae S. Alphonsi de Ligorio.**

Praesertim triplici documento haec approbatio effertur :

a) Decreto S. Congr. Rit. (18 Maii 1803) super revisione et approbatione operum Ven. Alphonsi : " Nihil in eis censura dignum repertum fuit. „

Ne ultra debitos limites hujus decreti vis extendatur, nota, juxta Bened. XIV (De beat. et can. Servorum Dei, t. 2. l. 2, c. 28 seq.), unice attendi in hac revisione num aliquid in operibus Servorum Dei censuram theologicam mereretur eo tempore quo conscripta sint, neque inquiri num aliqua controversia forsitan, posterioribus temporibus, auctoritate ecclesiastica dirempta fuerit.

b) Responso S. Poenit. (5 Julii 1831). Etenim interrogata : " An sit inquietandus confessarius qui omnes S. Alph. a Lig. sequitur opiniones in praxi sacri Poenitentiae tribunalis, hac sola ratione quod a S. Sede Apostolica nihil in operibus ejus censura dignum repertum fuerit, cum adnotatione, quod nempe confessarius iste non legit opera beati Doctoris, nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesque, quibus variae nituntur opiniones ; sed existimans

se tuto agere eo ipso quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati Evangelicae contrariam ? " S. Poenit. respondit " Negative, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum Servorum Dei ad effectum canonizationis. „ Hinc sequitur S. Alphonsum esse virum prudentem et in rebus moralibus versatissimum quem prudenter, etiam ob solam auctoritatem ejus, sequi possimus.

Similiter in altera parte ejusdem responsi, S. Poenit. declaravit Theologiae professorem posse tuto sequi et profiteri opiniones quas S. Alphonsus in sua Theologia Morali profitetur, sed, ne quis hac declaratione abutatur, addidit : " quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. „ Liquet etiam eum qui aliquam opinionem a S. Alphonso admissam certo sciret esse falsam, ex. gr. quia recentioribus Sedis Apostolicae legibus contraria esset, non posse ei in posterum adhaerere.

c) Praecipua et solemnior approbatio data est per Litt. apost. Pii IX (7 Julii 1871) super confirmatione tituli Doctoris. In iis laudatur S. Alphonsus quod non solum Jansenismum strenue impugnavit, sed et " plurimos libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent, sive ad Clerum informandum... „ Et confirmato Doctoris titulo, prosequitur R. Pont. " Praeterea hujus Doctoris libros, commentaria, opuscula, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice... citari, proferri atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus. „

Haec omnino positiva approbatio tribuit S. Alphonso auctoritatem maximam, per se tamen non superiorem illi quam cunctis Ecclesiae Doctoribus conciliant eximia sanctitas et insignis doctrina : nam opera ejus habenda sunt *ut aliorum Ecclesiae Doctorum* scripta. Nihilominus, cum S. Alphonsus recentiore tempore vixerit et universam scientiam moralem complexus sit, illa solemnis approbatio Theologo Morali indicat quo potissimum duce in quaestionibus arduis uti debeat ad doctrinam omnino tutam assequendam.

71. Ex his pluries repetitis S. Sedis oraculis magna vis accessit probabilismo universe sumpto, seu quatenus aequiprobabilismum et probabilismum purum continet atque doctrinae rigidiori, tutiorismo nempe et probabiliorismo, opponitur Nemini enim dubium est S. Alphonsum a rigidiore sententia, qua juvenis imbutus fuerat, ad benigniorem conversum esse. Obscurior autem quaestio est utrum S. Doctor aequiprobabilistis an probabilistis puris sit accensendus.

Etenim ambigi nequit quominus aliqua apparens contradictio vigeat inter priora et posteriora S. Alphonsi opera in iis locis ubi suam de probabilismo sententiam exponit. Ita in duabus dissertationibus, quarum una anno 1749, altera anno 1755 typis edita est, docet " licitum esse uti opinione probabili, etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum. „ Postea vero hunc probabilismum purum deserere visus est. Sic anno 1765 docuit non licere " sequi opinionem minus probabilem, quando opinio pro lege est notabiliter et certe probabilior. „ (Apologia in cui se defende la dissertazione circa l'uso moderato dell' opinione probabile.) Imo etiam ea scripsit quae potius ad probabiliorismum quam ad aequiprobabilismum deflectant. Sic anno 1774 : " In dubiis moralibus debemus sequi veritatem : quapropter ubi non possumus veritatem clare invenire, saltem sectari debemus illam opinionem, quae propius ad veritatem accedit : itaque ipsa veritas quae nos obligat ad eam sequendam, nos quoque obligat ad sequendam eam opinionem quae stat pro lege, quando propius accedit ad eamdem illam veritatem. „ (Dichiarazione del sistema che tiene l'Autore etc.)

Hinc magno animorum aestu certatum est de ratione qua haec saltem apparens contradictio explicanda sit. Plerique scriptores putarunt indignum esse tanto Doctore quod revera ab una parte ad alteram fluctuaverit ; quare enixe conati sunt probare oppositionem illam inter varia opera S. Alphonsi esse mere apparentem. Verum eorum plures, quibus antecellunt auctores Vindiciarum Alphonsianarum (t. I. p. 44 seqq.), contenderunt eum constanter, etiam in prioribus illis dissertationibus a probabilismo puro abhorruisse et saltem implicite tenuisse aequiprobabilismum. Alii, inter quos eminet Ballerini (Dissert. de genuina S. Alph. sententia circa usum opinionis probabilis, n. 4), docuerunt S. Alphonsum numquam substantialiter deflexisse a systemate probabilismi puri, quod fuse in duabus dissertationibus citatis demonstraverat. Hanc rationem interpretandi S. Doctoris opera nuper erudite propugnavit Gul. Arendt S. J. in Crisi quam edidit Apologeticae de Aequiprobabilismo Alphonsiano historico-philosophicae dissertationis, a R. P. De Caigny, C. SS. R. exaratae. Quidam autem, praesertim recentissimi, veram oppositionem inter priora et posteriora opera, quoad probabilismi systema, vigere autumant. Ita Marc (Inst. Mor. Alph. t. I. n. 90), Gaudé (de Morali system. S. Alph. historico-theologica dissertatio), etc. Hi concedunt S. Doctorem probabilismo puro adhaesisse in duabus illis dissertationibus, quarum tamen auctoritatem plurimum elevare conantur ; tuentur autem eumdem postea adumbravisse paulatim systema suum aequiprobabilismi, cui tandem in posterioribus operibus et Theologiae Moralis editionibus plene adhaeserit.

72. Non vacat diutius huic disputationi historicae potius quam doctrinali inhaerere. Ad scopum nostrum sufficiat animadvertisse sequentia :

1° Laus a Pio IX S. Doctori tributa (n. 70) quod inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, tutam viam animarum moderatoribus munierit, manifeste tribuitur universae doctrinae morali S. Alphonsi, quatenus practicam regulam confessario suppeditat. Id autem praestitit sapienti moderatione qua totius Theologiae Moralis quaestiones ponderavit, rejectis tum rigoristarum eo tempore vigentium placitis, tum mollioribus quorumdam probabilistarum sententiis, multo magis quam illo discrimine quod in systema suum probabilitatis induxit. Nam illa mutatio ad praxim parum contulit : siquidem, si S. Doctor moderatum probabilismum semper aperte propugnare perrexisset, opera ejus, moraliter loquendo paucisque locis exceptis, fuissent qualia nunc sunt. Immerito igitur recentiores quidam aequiprobabilistae, ut Aertnys (Th. Mor. I. n. 99) contendunt hanc laudem Pii IX potissimum convenire systemati S. Doctoris quatenus reliquis omnibus et speciatim probabilismo puro opponitur. Imo, si constaret S. Alphonsum omnino, et non specie tenus tantum, tenuisse aequiprobabilismum et a probabilismo puro recessisse, minime sequeretur hunc fuisse ejus doctrinae approbatione implicite reprobatum. Etenim ex eo quod aliqua doctrina proclamatur tuta, minime sequitur doctrinam benigniorem reprobari : qua in re apparet prorsus diversam esse rationem probabilismi et probabiliorismi, qui si practice propugnaretur, doctrina S. Doctoris dicenda esset minime tuta.

2° Reapse videtur S. Alphonsus in ultimis operibus suis aequiprobabilismum aperte docuisse, saltem si verbis quae adhibet nativum suum sensum tribuimus. Sic in Tr. de Consc. (n. 59) : " Duabus aeque probabilibus opinionibus concurrentibus,... opinio illa quae stat pro libertate, cum aequali potiatur probabilitate ac opposita, quae stat pro lege, grave immittit dubium an existat lex, quae actionem prohibeat, ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest, ideoque, dum, eo casu, promulgata non est, nequit obligare. „ Et (ib. n. 56) : " Si opinio quae stat pro lege, videatur certe probabilior, ipsam omnino sectari tenemur : nec possumus tunc oppositam quae stat pro libertate, amplecti. „ Insuper expresse profitetur se recedere a sententia quam plerique Jesuitae de probabilismo tenuerant. Sic scribit 30 Junii 1768 ad editorem suum Remondinium : " Meum de probabili opinione systema diversum est a systemate Jesuitarum ; ego enim nego licitum esse opinionis minus probabilis usum, ut talis agnitae ; Busembaum, La Croix et plerique Jesuitae, quibus minus probabilis usus licitus probatur, id affirmant. „ Et alibi : " Hanc sententiam (licere sequi opinionem minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior) elapsi saeculi

auctores quasi communiter tenuere ; sed nos dicimus eam esse laxam et licite amplecti non posse. „ (H. A. tr. I. n. 31) Jamvero, si haec verba in sensu suo obvio sumantur, concludi posset cum P. Gaudé (op. cit. n. 87) : " Ex sola hac improbatione, irrefutabile utique habetur argumentum, eum a priori sententia, id est a simplici probabilismo, recessisse. „

3° Ex altera tamen parte, S. Alphonsus videtur persensisse non tam latum discrimen vigere inter opinionem quam in posterioribus operibus propugnavit et illam quam in prioribus tuitus erat ; imo explicationibus datis discrimen hoc plurimum extenuavit. Nam anno 1765 (Apologia cit.) declarat se nullam substantialem immutationem induxisse, nec recedere velle a solidis probabilistis : " Ego non contendi,nec contendo nova systemata condere, et bene novi nullum probabilistam solidae doctrinae ut licitum tradere usum opinionis tenuiter vel dubie probabilis. Sed, quia multi probabilistae sine distinctione dicunt, licere sequi opinionem minus probabilem... idcirco volui distinguere, statuendo quod non liceat sequi opinionem minus tutam quando notabilis et certus est excessus probabilitatis pro tutiore. „ Rationem autem hujus novae sententiae sic affert (Theol. Mor. de Consc. n. 56) : " Dum opinio pro lege est certe et sine ulla haesitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior. Et eo casu opinio tutior non erit jam dubia (intellige de dubio stricto, ut in altera quaestione dicemus), sed est moraliter aut quasi moraliter certa ; saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se certum habeat fundamentum quod ipsa sit vera. Unde tunc fit quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris.„ Unde concludit D'Annibale (I. n. 261. nota 30) : " In summa S. Doctor opinionem certo probabiliorem accipit probabilissimam. Sane, si non ad hanc pertingit, non caret dubio practico, atque ideo S. Doctori objici posset quod ipse non semel objicit probabilioristis : nempe sententiam, etsi certo probabiliorem, non carere periculo peccandi formaliter. „

Ex his aliisque pluribus quae videri possunt apud Ball. P. (Diss. cit.) vel Bouquillon (Theol. Mor. fund. p. 570 seqq.), patet saltem non esse constantem et apertam oppositionem inter doctrinam S. Alphonsi et probabilismum nostra ratione explicatum. Quare scribit rectissime D'Annib.(I. n.263. nota 10), qui tamen aliud systema sequitur circa usum opinionum probabilium : " Sunt qui putant propositionem hanc cl. Gury (ipsam scil. thesim nostram) explodendam esse quasi laxam, ex S. Alphonsi doctrina ; quod vix credibile dictu est. Ergo ex S. Alphonsi doctrina grave erit eam sequi. Atqui S. Alphonsus perpetuo docuit : " Ut non sit peccatum grave, sufficit ut vera probabilitas habeatur, intelligo illam quae fundamento non tenui nititur, ut tuto (juxta communem sententiam), seposita quaestione de probabiliori et minus probabili, possit

teneri et doceri... Ergo praeter aequiprobabilismum et probabiliorismum, hodie nullum aliud superest morale systema, quod licite defendi et sequi possit, ideoque probabilismus moderatus exsibilandus erit ; tenendumque est turpiter errasse Theologos prope innumeros omnium Ordinum, et in primis O. PP. et S. J. inter quos tot pietate insignes, ingenio, doctrina, consilio praestantissimos, qui ei nomen dederunt ? Et si ita est, ubinam est systema illud morale quod in Ecclesia catholica catholice defendi a Clemente XIII a. 1761 ipsimet S.Alphonso responsum est? Et si illorum sententia laxa dicenda est ex S. Alphonsi judicio, dicant (nam ante S. Doctorem inter probabilismum moderatum et tutiorismum seu probabiliorismum nihil fuit tertium) (1), quaenam est sententia illa quam ipse ann. 1748, 1755 tuendam suscepit quasi pro aris et focis, quam " communissimam et probabilissimam „ appellavit (Dissert. de usu mod. opin. prob.), " quae per duo fere saecula labores tot sapientum exhausit ; „ quaeque ipse ignorabat " quomodo posset rejici „ (Theol. Mor.Edit. 1762, 1763. Praef. ad lect.). „

73. Restat ut breviter dicamus de **systemate aequiprobabilismi** in se inspecto. Dupliciter, ut patet ex ejus expositione facta n. 59, a nostro discrepat. Hic agemus tantum de praecipuo discrimine : quod scil. negant ejus fautores manere probabilem opinionem pro libertate quando opinio pro lege est certe probabilior. Nam de distinctione quam faciunt inter legem existentem et legem cessantem dicetur infra n. 76.

Si prius illud aequiprobabilistarum assertum practice spectatur, sine magno incommodo transmitti potest. Nam ut aliqua opinio constanter ab auctoribus censeatur probabilior, vix non est necesse ut sit probabilissima, contraria autem tenuiter tantum probabilis. Etenim, si haec pro se haberet motivum grave ac solidum, non deessent qui eam alteri praeferrent, atque ita excessus ille probabilitatis facile evaderet dubius. Id vel ex ipsis libris aequiprobabilistarum comprobatur. Hi enim, quamvis fundamentalem theoriam adstruant saltem specie tenus a nostra diversam, practice (exceptis casibus in quibus intervenit principium possessionis) vix in particularibus solutionibus a nobis discrepant : quod liquido ostendit exiguum discrimen principiorum a quibus probabilistae puri et aequiprobabilistae ordiuntur. Et quamvis suam sententiam tam-

(1) Non defuere qui ante S. Alphonsum probabilismum ea ratione explicuerint quam in fine vitae S. Doctor adoptavit. Hi tamen generatim probabilistis accensebantur, eo quod discrimen illud non tantum videbatur ut systema peculiare propugnare censerentur. Neque hi magno erant numero, sed pauci, ut fatetur S. Alph. (Hom. Ap. tr. I. n. 31) et fusius videre est in Period. Oenipont. *Zeitschrift für katholische Theol.* (an. 1895) artic. Doct. Ph. Huppert, *Probabilismus oder Aequiprobabilismus.*

quam systema diversum opponant probabilismo absoluto (Aertnys, I. n. 104), postea fatentur S. Alphonsum, quem omnino sequi se gloriantur, non condidisse novum systema, sed tantum majore perfectione exposuisse antiquum probabilismum. (id. n. 120)

Attamen, theoretice et in rigore verborum sumpta, assertio haec falsa videtur. Nam perperam supponit fieri non posse ut aliqua sententia pro lege sit certe probabilior, et tamen sententia pro libertate nitatur motivo gravi quod nullatenus ab adversariis solvi possit vel auctoritate quae sit omni exceptione major : quod ad veram probabilitatem fundandam sufficit.

Insuper in hoc systemate magnum illud incommodum reperitur quod cogit ad comparationem inter varios probabilitatis gradus : qua re nihil fallacius et instabilius. Optime hoc punctum tangit Terillus (de Consc. prob. q. 23. n. 2) : " Praesens quaestio, quantum spectat ad minorem probabilitatem directam, non est tanti momenti, quanti plures putant, quia raro est necessaria pro praxi, siquidem plurimi nequeunt discernere quaenam ex contrariis opinionibus sit probabilior. Deinde ipsi etiam docti, dum putant unam opinionem esse altera probabiliorem, plerumque solum probabiliter ita judicant : quia quod uni probabilius est, id alteri minus probabile apparet... Haec observatio locum etiam habet quando scitur quaenam ex contrariis opinionibus sit quoad nos extrinsece probabilior : quia adhuc non constat quod illa quae majori fulcitur auctoritate melioribus rationibus confirmetur, cum non desint qui has illis praeferant et contra. Parum ergo interesset pro praxi, etsi concederemus quod nulli liceat sequi opinionem quam actu reputat directe minus probabilem, modo ex partibus aeque probabilibus licitum sit quamcumque amplecti ; quia unusquisque fere semper potest suspendere judicium de majore probabilitate illius partis et utramque ut aeque probabilem considerare atque ita sectari nunc quod paulo ante minus probabile reputabat. „ Plurima exempla quibus haec confirmentur affert D'Annib. (I. n. 266, nota 23) : " Docet Lessius non esse illicitum suadere minus malum parato gravius inferre : haec sententia S. Alphonso probabilior (II, 57), satis probabilis (V, 77), non improbabilis (H. A. VIII, 7) visa est. Ita ea sententia quae docet cessare votum si ea supervenerit mutatio rerum, qua ab initio exstante aut praevisa, non vovisses, cum semel et iterum S. Doctori " probabilis „ (III, 187. 198) et subinde " forte probabilior „ (n. 266) visa fuerit, demum quasi " certam „ eam tradidit (n. 720).

74. OBJECTIONES. — Paucas tantum proponemus : solent enim plures a Philosophis in Logica refelli. Prima a probabilioristis, reliquae ab aequiprobabilistis opponuntur.

1° Obj. Qui se exponit periculo violandi legem peccat. Atqui id facit quicumque sequitur opinionem mere probabilem faventem libertati. Ergo.

Resp. *a)* Nulla datur lex quae nos obliget ad vitanda omnia pericula legem etiam materialiter violandi. Secus enim ne opinionem quidem probabilissimam sequi possemus, ut volebat prop. 3ª ab Alex. VIII damnata (cit. n. 67). Hinc adversariis probandum esset nos imprudenter agere quando, ducti opinione vere et practice probabili, nos exponimus periculo materialiter transgrediendi legem.

b) Distingui potest cum S. Alph. aliisque multis inter legem antecedentem et legem consequentem. Per antecedentem Deus concipitur disponere de rebus independenter ab errore mentis humanae, ex. gr. jubet abstinere a fornicatione; per consequentem, concipitur eas ordinare respectu habito ad hunc errorem, ex. gr. non vult hac lege comprehendi eum qui in ignorantia invincibili legis vel facti versatur, puta eum qui, nullitatem matrimonii a se contracti ignorans, copulam habet cum muliere quam putat suam. In hoc sensu negari potest dari periculum transgrediendi legem hanc consequentem quae sola hominem in concreto obligat.

Similiter fere respondendum huic difficultati : In dubiis datur lex tutius sequendi.

2° Obj. Principium probabilismi : " Lex dubia non obligat „ nequit applicari quando opinioni probabili opponitur altera certe probabilior : tunc enim jam non est verum seu strictum dubium.

Resp. *a)* Principium istud, ut e sensu communi et thesis probatione liquet, de omni dubio, quod solido motivo nitatur, procedit; nequit ergo, sine manifesta petitione principii, ad solum dubium aequale restringi.

b) Etiamsi mens adhaeret existentiae legis tamquam certe probabiliori, lex manet prudenter dubia. Etenim tum a dubio stricte sumpto, tum ab opinione, totalem adhaesionem mentis excludit prudens errandi formido. Id confirmatur e ratione qua S. Th. (de Veritate, q. 14. a. 1) describit statum mentis opinantis, ubi pro una parte motiva solidiora apparent quam pro altera : " Quandoque intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet in ipsum unam partium totaliter, unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, et haec est dispositio opinantis qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius. „

3° Obj. Quando opinio pro lege est certo probabilior, opinio pro libertate veram probabilitatem amittit. Etenim probabilitas major ea parte qua minori aequatur, hanc jam prorsus elidit et detrudit ad locum dubii, quia, si esset aequalis alteri, foret dubium strictum. Igitur ea parte

qua minorem excedit, ipsam infra dubium deprimit seu improbabilem reddit.

Resp. *a)* Regulariter nullatenus continget hujusmodi elisio, nempe quoties motiva utriusque sententiae oppositae non desumuntur ex eodem termino medio, puta dum desumuntur e diversis documentis, rationibus, auctoritatibus. Quare in intellectu non habebitur unus effectus indivisus, sed tria elicientur judicia : duo de probabilitate utriusque partis contradictoriae, tertium de suspendendo assensu firmo et certo ipsi rei de qua inquiritur secundum utramque partem. (Arendt, op. cit. p. 290)

b) Quandoque elidi potest motivum unius sententiae per motivum sententiae certo probabilioris, vid. quando utrumque ex eodem fundamento desumitur, ex. gr. ex eodem documento S. Sedis, ex eadem scientia naturali, etc. Sed tunc versamur extra statum quaestionis : nam ubi opinionem probabilem dicimus, supponimus (n. 64) ejus motivum jam fuisse collatum cum motivo sententiae oppositae et, collatione facta, manere sufficiens ad prudentem assensum.

4° Obj. Ad licite operandum debemus veritatem diligere. (Zach. VIII. 19) Hoc autem sane non praestat qui, posthabita opinione certo probabiliori, se committit minus probabili.

Resp. *a)* Amor veritatis postulat utique ut illam inquiramus et, ubi eam invenerimus, amplectamur. Verum in hypothesi objicientium, non habemus nisi duas apparentias veritatis invicem oppositas, et, quamvis detur major ratio existimandi veritatem reperiri in sententia pro lege, simul cernimus eam posse prudenter supponi in sententia quae pro libertate militat. Ergo nihil cogit nos ut, cum periculo erroris, omnino amplectamur sententiam pro lege.

b) Falso supponitur oportere ut is qui sibi efformat judicium practice certum e principiis reflexis, assentiatur speculative sententiae minus probabili pro libertate : sufficit enim ut judicet hanc sententiam niti motivo objective gravi seu esse probabilem. Abest ergo illa imprudentia qua quis, perspicue cernens unam opinionem esse probabiliorem quam oppositam, hanc prae illa sequeretur tamquam verisimiliorem.

5° Obj. Probabilismus purus ad laxismum ducit, ut constat e multis erroribus in quos inciderunt antiqui probabilistae et e laxitate damnosa opinionum quam videmus etiam nostris diebus vigere inter multos catholicos : quae potissimum e laxitate opinionum in administrando poenitentiae sacramento provenit.

Resp. *a)* Incredibile est systema quod natura sua ad laxitatem ducat, dominatum esse et adhuc dominari (quod ab adversariis non negatur) tum Romae, tum in reliquo orbe catholico, Romanis Pontificibus minime insciis.

b) Errores in quos impegerunt aliqui AA. antiquiores, puta de sequenda opinione minus probabili in conficiendis sacramentis, relicta tutiori, nequaquam ex ipso systemate provenerunt, sed ex imprudenti applicatione probabilismi ubi alius erat status quaestionis. Cfr. n. 68. Quare immerito exprobrantur hodiernis probabilismi puri fautoribus.

c) Si qui impingunt etiam hodie in laxismum qui non sit mere practicus, sed simul speculativus, id potissimum provenit e nimia facilitate qua, sine scientia vel investigatione sufficienti, opiniones probabiles effingunt. Sed hujusmodi homines eadem temeritate fingerent sententias fere aeque probabiles pro libertate si aequiprobabilistarum placitis adhaererent.

d) Manifeste apparet objectionis inanitas e discrimine tam exiguo quod practice inter Theologos utriusque scholae viget. Cfr. n. 73.

§ 4. DE REGULIS SECUNDARIIS PROBABILISMUM DETERMINANTIBUS.

75. Regula primaria probabilismi puri " Lex dubia non obligat „, intellecta de lege cui opponatur opinio vere et solide probabilis, per se ad conscientiam in dubiis practicis formandam sufficit. Adhibentur tamen non raro ab AA. aliae regulae secundariae quae praesertim juvant ad dignoscendum quandonam opinio libertati favens sit vere et solide probabilis. Has proinde breviter hic explicabimus quatenus id ad scopum nostrum conducit.

Hae regulae pleraeque e Sexto Decretalium libro (De regulis Juris, ad calcem libri 5[i]) desumptae ac proinde authentice a Bonifacio PP. VIII promulgatae sunt ; quaedam vero sunt Juris civilis axiomata vel sententiae communiter a DD. receptae, ideoque auctoritate S. Sedis non muniuntur. Directe quidem ad forum externum spectant. Attamen, cum generatim praesumendum sit internum forum cum externo concordare, etiam in dirigenda conscientia attendendae sunt, nisi constiterit eas, ob quamdam discrepantiam utriusque fori, ad solum externum esse restringendas.

76. I. *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.* (Reg. J. 65[a] in 6[o])

Huic principio, quod saepe brevius enuntiatur his verbis : *Melior est conditio possidentis*, plurimum innituntur aequiprobabilistae : quare accuratius explicandum erit.

Sensum hujus regulae pro foro externo, ad quod primario pertinet, ita explanat Reiffenstuel (Jus Canon. univ. h. l.) : " Quando duo in eadem causa rei sunt delicti, v. gr. si unus ex delicto dat et alter ex delicto accipit, melior est conditio possidentis, ita ut restituere amplius

non teneatur. Item si duo parem causam absque delicto habent, pariter melior est conditio possidentis, ideoque a possessione dejici non potest, donec adversarius legitime probet se meliori jure gaudere. „

Adversarii ex hoc principio, cum reliqua doctrina sua collato, hanc conclusionem deducunt : " Concurrentibus argumentis aeque vel fere aeque probabilibus, in dubio de legis cessatione, sequenda est, quae legi favet, opinio. „ (Marc, Thesis II de Probab.) Quam sententiam ita probat idem A. (n. 96) : " Jura libertatis et legis, ut par est, semper aequalia habet S. Alphonsus. Sicut quando lex est certa, inquit, et dubitatur an sit revocata, in dubio servanda est, donec de revocatione constet, quia tunc lex possidet, ita contra, quando lex non est certa, possidet libertas. Quae verba logice in hunc modum convertuntur.Sicut libertas possidet quando lex non est certa; ita contra, quando lex est certa et dubitatur an sit revocata, servanda est, donec de revocatione constet, quia tunc possidet lex. „ Hi scilicet AA. fictione quadam, libertatem et legem exhibent quasi duas personas quae singulae sua jura habeant et circa conscientiam humanam litigent. His applicando axioma de quo agimus, sicut judex illud applicaret duabus personis vere existentibus et aequales probationes afferentibus, litem adjudicant illi parti quae, praeter rationes aequales, habet conscientiae possessionem.

Nos autem hoc principium in foro interno valere admittimus ubi dubium quod exoritur est negativum, seu veram solidamque probabilitatem non attingit. Ideo nobis hunc sensum affundit : Non est attendenda levis ratio contra legem aut libertatem moraliter certam. Negamus vero illud axioma jure applicari in foro interno ad restringendam libertatem cui faveat sententia vere et solide probabilis.

RATIONES. 1° Si (ut nobiscum admittunt aequiprobabilistae) lex dubia non obligat praecise quia dubia est, numquam obligabit lex dubia. Atqui lex est aeque dubia, quando probabile est eam desiisse quam quando probabile est eam non existere. Ergo, etiam quando dubium circa legis cessationem versatur, lex non obligat.

Minor inde patet quod lex obligans non est lex in abstracto, neque lex quatenus antea exstitit, sed lex quatenus hic et nunc nos suo vinculo ligat. Jamvero, si probabile est legem hic et nunc cessasse, probabile est legem me hic et nunc vinculo suo non ligare, perinde ac si numquam ligasset. Cfr. Bucc. Th. Mor. I. de Consc. n. 31.

2° Ubi datur vera probabilitas pro libertate, non est paritas inter forum internum et forum externum. Nam, ut optime scribit Bouquillon (Theol. Mor. fund. n. 296) : " *a*) Statim ac incerta evadit obligatio, simul incerta fit actualis ejus possessio ; privilegium autem, de quo supra, valet tantum pro actuali possessione certa; *b*) praecedens obligationis

existentia minime constituit praesumptionem pro obligatione subsequente, dum rei possessio vel quasi possessio praesumptionem fundat in favorem dominii; *c)* bonum commune non videtur postulare ut obligatio incerta valorem retineat obligationis certae, sicut postulat ut in dubio res possessa non auferatur a possessore. „

3° Quando agitur de obligatione imponenda, homo haberi debet ut reus a quo aliquid exigitur. Hinc, antequam declaretur obligatus, oportet ut ejus obligatio demonstretur et quidem pro illo instanti de quo agitur. Si autem haec demonstratio fieri nequit, ut in casu legis probabiliter cessantis, manet homo liber. Nam " licitum est quod nulla lege prohibetur. „ (S. Th. in 4^{um} dist. 15. q. 2. a. 4) Inde patet non esse paria jura legis et libertatis in opinionum probabilium conflictu. (1)

77. II. *In dubio standum est pro eo pro quo stat praesumptio.*

Sensus est: si pro aliquo peculiari facto non affertur specialis probatio, potest saepe ratio quaedam generalis sufficiens fundamentum praebere ut admittatur ipsum factum vel aliqua ejus conditio. Ita, insurgente dubio de legitimitate mandati a Superiore emissi, generalis ratio quod Superior in hanc materiam vel in hunc hominem potestatem habet, sufficit ut ejus mandatum sit observandum. Haec tamen praesumptio interdum valida ratione in contrarium elidi potest.

III. *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.*

Recte Lehmkuhl (I. n. 110): " Haec regula tantummodo particularis applicatio regulae prioris (II) est, siquidem ex ordinarie contingentibus praesumptio aut probabilitatem aut moralem certitudinem generans oritur. „ Sic qui solet statim post confessionem adimplere poenitentiam, praesumere debet se eamdem adimplevisse, licet hujus facti nullam peculiarem memoriam habeat.

IV. *Factum non praesumitur sed probandum est.*

Haec Juris civilis regula significat: factum principale, ex. gr. mortem alicujus quae asseritur ut haereditas obtineatur, esse argumentis positivis probandum.

V. *In dubio standum est pro valore actus.*

Supponitur certo positum esse aliquod factum principale, ex. gr. me confessionem instituisse, et dubium oriri num actus ille forte sit inva-

(1) His rationibus evertitur quoque systema illorum AA. (inter quos D'Annib. I. n. 260 seqq.) qui solutionem omnium dubiorum moralium a principio possessionis repetunt. De eodem principio applicando ad materias justitiae dicetur Vol. II. n. 6.

lidus, ex.gr. quod timeo ut contritionem sufficientem habuerim. Jamvero ex regula III judicandum est ex ordinarie contingentibus; ordinarie autem solent actus valide poni, ex. gr. soleo elicere contritionem sufficientem. Ergo sine alia probatione possum supponere meam confessionem fuisse validam. Attamen in foro interno, etiamsi actus ex.gr. voti emissi, est certo positus, non urget ejus obligatio si rationem solide probabilem habeo contra ejus valorem.

Eamdem veritatem modo magis generali effert aliud Juris civilis axioma: " *In dubio praesumitur factum, seu recte factum, quod de jure faciendum erat.* „

VI. *In dubio pars tutior est sequenda.*

Ex iis quae demonstrata sunt, hoc axioma pro foro conscientiae valet tantum in dubio negativo vel practico, et in casu quo non tantum de liceitate actionis, sed de effectu aliquo absolute obtinendo agitur. (1)

78. QUAER. de axiomate a multis probabilistis usurpari solito: " *Qui probabiliter agit, prudenter agit,* utrum verum an falsum sit.

RESP. Sententia haec dupliciter intelligi potest. Nam " *probabiliter agere* „ dici potest ille qui, sententia tantum probabili pro libertate nixus, agit, antequam sibi per reflexa principia conscientiam certam efformaverit. Ita intellecta sententia haec merito rejicitur : siquidem, ut ex antea dictis satis liquet, sola conscientia certa est tuta agendi norma. Sed possunt eadem verba sumi de eo qui sequitur opinionem probabilem, formata sibi, per processum supra indicatum, conscientia certa. Hoc sensu axioma istud usurparunt multi et praestantissimi DD. Sic autem intellectum nihil aliud est nisi brevis enuntiatio theseos de legitimo usu probabilismi.

§ 5. DE USU OPINIONUM PROBABILIUM.

79. QUAER. I° Qua ratione confessarius teneatur uti opinionibus probabilibus in poenitente docendo vel absolvendo.

RESP. 1° Etiam cum iis poenitentibus qui rerum theologicarum prorsus ignari sunt, juvat plerumque in partem benigniorem propendere. Excipitur tantum casus in quo usus opinionis probabilis benignioris periculum peccati formalis crearet, ut facilius contingere potest in

(1) Quaedam alia axiomata explicata habes ubi de interpretatione legis. (n. 112)

materia sexti praecepti. Nulla tamen stricta obligatio imponenda est nisi de ea moraliter constet.

2° Confessarius debet permittere poenitenti ut se gerat juxta opinionem revera probabilem, licet ipse oppositae adhaereat. Id potissimum contingit quoties opinio poenitentis est *publice* probabilis, ut plures loquuntur, vid. communiter a DD. tradita tamquam probabilis. Ratio est, quod confessarius, audita confessione, tenetur ad absolvendum poenitentem rite dispositum. Jamvero rite dispositus est qui opinionem probabilem sequi vult, cum hoc sit omnino in conscientia tutum. (Lugo, de Poenit. disp. 22. n. 39)

3° Si confessarius diserte novit errare poenitentem qui opinionem aliquam tamquam probabilem habeat, sive ob rationem intrinsecam falso apparentem, sive ob unius alteriusve doctoris auctoritatem, non tenetur ad eum absolvendum. Nam in hoc casu opinio haec poenitentis est merus error ; absurdum autem videtur obligare confessarium ad absolvendum poenitentem qui in opinione omnino erronea persistere voluerit. Monent tamen Lugo (l. c. n. 46) et Sanchez (in Dec. l. 1. c. 9. n. 30) cavendum esse confessario ne, sine maturo examine et debito consilio, judicet improbabilem sententiam quam ipse non tenet ; neque cogendum esse poenitentem ad relinquendam sententiam quam confessarius quidem improbabilem judicat, eo quod, attento studio, rationes ejus falsas vel labiles esse comperit, alii autem multi et docti adhuc probabilem esse opinantur. Nihilominus vituperari non posset confessarius absolutionem denegans poenitenti qui velit sequi sententiam ab aliquibus DD. propugnatam, sed cujus falsitatem percipiat confessarius, eo quod adversetur principio certo cui videat nullum patere responsum. Hanc enim facultatem ei agnoscit S. Alph. (l. 6. n. 604).

4° Non semper deneganda esset absolutio poenitenti qui ita in sententia aperte improbabili perstare voluerit. Nam applicandae sunt regulae quae dantur in Tr. de Poenit. de ratione agendi confessarii cum iis qui in ignorantia culpabili vel inculpabili versantur. (Vol. II. n. 358 seq.)

80. QUAER. II° An aliquis teneatur adhuc ad satisfaciendum obligationi certo a se contractae, si probabile est illi jam satisfactum esse.

RESP. Seponemus hic casus in quibus de aliquo debito ex justitia agitur : hi enim, cum specialem difficultatem praebeant, melius in Tract. de Contr. n. 592 solventur. In reliquis vero casibus, ex. gr. ubi votum certe emissum, probabiliter impletum est, datur duplex sententia probabilis.

Prior ab obligatione solvit. Hanc sequuntur Suarez (in 3. p. disp. 22.

sect. 9. n. 6), Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 59 seq.) aliique plurimi. Ratio est quod, posita impletione probabili hujus obligationis, ex. gr. voti, jam non certo constat de obligatione in futurum. Licet lex certo antea exstiterit, nunc jam dubia facta est.

Posterior tenet manere obligationem. Ita S. Alph. (n. 28 seq.) aliique complures, praesertim ex ejus discipulis. Sic (l. c.) affert S. D. rationem ob quam improbabilem censet priorem sententiam benigniorem cui olim ut probabili adhaeserat : " Ratio, quia, cum votum est dubie emissum, recte dicitur non adesse obligationem illud implendi, tunc enim possidet libertas ; cum tamen votum est certum, libertas haec ligata remanet ab obligatione voti, donec votum non sit impletum. Tum tantum prima sententia admitti posset, cum probabilitas esset talis quod praesumere faceret, quadam certitudine morali, voto jam fuisse satisfactum. Quod autem diximus de voto,intelligendum est etiam de satisfactione poenitentiae sacramentalis. „Cfr. H. Ap. tr. 5. n. 31. Hanc tamen rationem minime stringentem esse, satis liquet ex iis quae supra (n. 76) dicta sunt de applicatione principii " Melior est conditio possidentis „ ad forum conscientiae. Distinctio nempe illa inter legem probabiliter non existentem et legem probabiliter cessantem est practice mera subtilitas : dubitare num lex hic et nunc cessaverit, practice idem est ac dubitare num hic et nunc existat. Nullatenus demonstratur obligationem adhuc certam esse quoad hanc impletionem voti in futuro faciendam : qua de re unice inquiritur.

81. QUAER. III. Num liceat eidem homini circa eamdem rem nunc hac, nunc illa e duabus sententiis probabilibus oppositis uti.

RESP. 1° Si agitur de duobus casibus similibus, sed tamen omnino ab invicem distinctis, per se nihil prohibet quominus nunc una, nunc altera sententia probabili utar. Sic possum pro uno testamento sequi opinionem quae tenet illud esse invalidum, si forma legali caret, pro altero testamento uti opinione contraria. Attamen in iis praesertim qui munere aliquo publico funguntur, potest aequitas vel justitia interdum obstare ne hac inconstanti agendi ratione propriam auctoritatem minuant vel alios in errores perniciosos inducant.

2° Si agitur de actu moraliter uno, non licet eodem tempore utramque opinionem probabilem usurpare vel semel assumptam opinionem mutare :

a) Si ita certa aliqua lex vel certum jus tertii violatur. Ex. gr. si quis duplici opinione de necessitate formae legalis utitur circa idem testamentum, una ut haereditatem accipiat contra haeredem ab intestato, altera ut se ab onere solvendi legata liberet. Is enim violat certum jus

tertii : nam legata illa nullo titulo conservare potest. Similiter non licet ea die qua jejunandum est sumere mane plenam refectionem, quia probabile est horam illius non pertinere ad jejunii substantiam, et meridie iterum prandere, quia probabile est jejunium esse substantialiter laesum. Ut enim dicit Lugo (de Euch. disp. 15. n. 52) : " Sicut praeceptum obligat certo ad opus injunctum, sic obligat ad non mutandam sententiam, cujus mutandae libera facultas impediret praecepti observantiam. „ Propter eamdem rationem, non licet eidem homini in eadem refectione sumere duos cibos quorum alteruter sit certe vetitus.

b) Si alterutra e duabus legibus certe violatur, quamquam dubium manet utra lex reapse infringatur. Ex. gr. sacerdos aliquis in pervigilio Pentecostes, propter duo horologia, dubius haeret utrum media nox jam advenerit necne ; unius autem horologii probabilitate utitur ad coenandum ; alterius vero probabilitate ad celebrandum, quasi adhuc a media nocte jejunus foret. Ut enim ait Lugo (l. c. n. 53) : " Stante illo duplici praecepto, ego debeo ex complexione utriusque praecepti abstinentiam a cibo post comestionem unicam diei praecedentis, seu post refectiunculam serotinam usque ad Missam vel communionem diei sequentis, et Superior habet jus ex vi utriusque praecepti ad hoc totum ; ergo habet jus ad prohibendam variationem horologii ex qua impediatur observantia et redditio totius illius debiti ad quod certum habebat jus. „ Secus tamen dicendum foret (Lugo, ib. n. 47) si quis, audito prioris horologii pulsu, diem jejunii elapsum esse putaret coenamque sumeret, postea vero agnosceret hoc prius horologium errasse necdum adfuisse mediam noctem quando coenam sumpserit. Tunc enim nihil prohiberet quominus, errore detecto, Sacrum celebraret.

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET ESSENTIA LEGIS.

82. DEFINITIO. Lex moralis (nam de physicis non est quod agamus) *late sumpta* est *recta agendorum vel omittendorum ratio.* Sic complectitur praeceptum et aliquatenus ipsum consilium. *Stricte sumpta* cum S. Th. (1. 2. q. 90. a. 4) definiri solet :*Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata.* Cujus definitionis verba breviter explicentur oportet.

Ordinatio rationis. Ratio intelligitur *practica* seu intellectus et voluntas. Actus ergo causativus legis est ab intellectu in quantum ordinat, et a voluntate in quantum obligationem inducit. Ita S. Th. (1. 2. q. 97. a. 3) : " Omnis lex proficiscitur a ratione et voluntate legislatoris. „

Ad bonum commune. His verbis indicatur legis *causa finalis ;* simul subindicantur et *subjectum* (communitas qua talis) et *objectum* (actiones seu omissiones subjecti ad hunc finem ordinabiles).

Adverte : *a)* aequivalenter ferri in communitatem legem quae aliquam tantum civium classem obliget, ex. gr. milites, mercatores : revera enim non fertur tantum in eas personas quae hic et nunc in illa classe versantur, sed in omnia communitatis membra quae aliquando huic classi adscribantur ; — *b)* effectum legis immediatum saepe afferre incommodum, ut patet in lege tributorum ; incommodum tamen illud mediate ad bonum majus referri posse, ex. gr. perfectiorem justitiae administrationem quae per majora tributa obtineatur.

Ab eo qui curam habet communitatis. Nam " ordinare aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis. „ (1. 2. q. 90. a. 3) Indicatur auctor legis de quo n. 86 seqq.

Promulgata. Quod ita explicat S. Th. (l. c. a. 4) : " Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. „

83. In omni lege divina reperiuntur, atque in lege humana, ut valeat, reperiri debent sequentes **conditiones :**

1° Ut sit *honesta.* Scil. nihil inhonesti praecipere potest, quamvis interdum, ad majus malum vitandum, minus malum permittere possit, ex. gr. publicum falsi cultus exercitium in locis mixtae religionis. Ratio est quod omnis obligandi vis, saltem mediate, descendit a Deo qui hominibus dare nequit potestatem obligandi ad inhonesta.

2° Ut sit *justa,* seu ut secundum normam justitiae distributivae feratur. Haec conditio deesset in lege qua aequalia tributa divitibus et pauperibus imponerentur.

3° Ut sit non tantum physice, sed et *moraliter observatu possibilis.* Nequit ergo esse nimis difficilis pro majori parte communitatis, inspectis moribus et consuetudinibus eorum quos regere debet. Ideo lex optima in una regione fieret nulla si pro alia ferretur, nec possunt imponi multitudini imperfectae quae perfectionem sectantibus utiliter imponuntur, ex. gr. bonorum temporalium communitas.

4° Ut sit *necessaria* vel saltem *utilis.* Secus enim legislator absque causa rationabili libertatem subditorum restringeret; ad hoc autem nullam habet legitimam potestatem. Unde per se non peccant cives qui non servant legem manifeste inutilem.

5° Ut, saltem mediate, *conducat ad bonum commune,* seu ad commoda majoris partis communitatis. Cfr. n. 82. Hinc tamen inferri nequit ea quae lege sanciuntur jam ante ejus promulgationem obligare ob officium quod cuique incumbit promovendi boni communis. Nam ubi deest legis obligatio, non tenetur quisque bono communi consulere etiam in longinquis consectariis actionum suarum : quod perpetuis scrupulis ortum daret. Deinde actiones singulorum saepe non proderunt ad bonum commune, nisi per conspirationem cum actionibus reliquorum civium : quae tantum per legem obtinebitur.

Praeter has quinque conditiones, antiqui DD. requirebant ut lex esset perpetua, seu ut ex seipsa et intentione legislatoris nullo certo tempore circumscriberetur. Rationem afferunt: usu Jurium et DD. reservari nomen legis ordinationibus stabilibus, quales profecto requirit recta reipublicae gubernatio. Ordinationes quae etiam omnes subditos ligent, sed ad certum tantum tempus ferantur, iidem DD. statuta vocabant. Ceterum fatentur minime repugnare ut princeps supremus vim et privilegia legis

ordinationibus temporaneis tribuat. (Suarez, de Leg. l. 1. c. 10. n. 16) Hodie autem, usu in Jure civili recepto, passim leges vocantur quaelibet ordinationes, modo ab iis qui supremam potestatem legiferam detinent solemniter prodeant, sive ad tempus, sive in perpetuum ferantur.

In Jure autem ecclesiastico, ut discernatur utrum aliqua ordinatio sit vera lex an non, saepe potius ad ejus conditiones quam ad nomen attendendum est. Sic legis vim habent ea quae dici solent " Statuta synodalia „ et decreta quaedam Congregationum Romanarum e speciali S. Pontificis potestate edita. Utraque de se in perpetuum obligant.

84. Praesertim notanda sunt **discrimina** quae **inter legem** et **praeceptum** vigent. Differunt nempe :

1° Ratione *jubentis et subjecti*. Nam praeceptum datur personis privatis et etiam a privatis dari potest ; lex vero fertur semper a persona publica et in communitatem, sensu explicato n. 82.

2° Ratione *finis*. Praeceptum per se ad privatum bonum, lex ad publicum tendit.

3° Ratione *loci*. Praeceptum afficit directe personas, seu, ut aiunt, *ossibus haeret*, quocumque se transferat subditus ; lex vero directe afficit territorium ideoque existentes extra territorium non obligat.

4° Ratione *durationis*. Praeceptum per se cessat cum praecipiens moritur vel officio decedit ; lex vero, etiam mortuo legislatore, vim retinet.

85. DIVISIO. Lex dividitur :

1° Ratione legislatoris in *divinam* et *humanam*. Divina complectitur naturalem, quae in ipsa rationali creatura promulgatur, et positivam, quae libera Dei voluntate superaddita est. Humana autem sub se complectitur ecclesiasticam et civilem.

2° Ratione objecti in *affirmativam* et *negativam*, prout aliquem actum poni vel omitti jubet.

3° Ratione effectus in *obligantem, permittentem, irritantem*. Obligans ea est quae immediate adstringit ad aliquid faciendum vel omittendum, vel saltem ad poenam, in casu violationis, subeundam ; permittens ea est quae aliquam actionem, ex. gr. falsi cultus exercitium, civiliter licitam declarat et vetat ne eam ponentes ab aliis impediantur ; irritans tandem vocatur ea quae actus quosdam effectu juridico privat.

Plura de his aliisque legis divisionibus in decursu hujusce tractatus declarabuntur.

CAPUT II.

DE SINGULIS LEGIS ELEMENTIS.

§ 1. DE AUCTORE LEGIS.

86. Potestas legis ferendae residet in sola societate perfecta, i. e. in societate quae in se completa est adeoque media ad finem suum assequendum sufficientia in seipsa habet. Jamvero, in genere humano, duae tantum sunt societates perfectae, " altera civilis, cujus proximus finis est humano generi bonum comparare temporale et mundanum, altera religiosa, cujus est homines ad veram illam felicitatem perducere, ad quam facti sumus, coelestem ac sempiternam. „ (Leonis XIII Encycl. *Nobilissima Gallorum gens*) Nullus ergo erit legislator nisi qui in alterutra illa societate supremam auctoritatem obtineat vel facultatem legem ferendi ab eodem acceperit. Haec supponimus in Theologia Dogmatica vel Jure Canonico demonstrata.

87. Ut determinentur ii qui in **Ecclesia** potestate leges ferendi pollent, juvat distinguere inter eos qui eam ordinarie habent et eos qui tantum obiter illam exercent.

Ordinarii legislatores in Ecclesia sunt :

I. *Romanus Pontifex* pro omnibus Ecclesiae subditis. Hoc jus solet exercere triplici ratione :

1° Suprema sua auctoritate aliquam Constitutionem edendo qua manifestet suam voluntatem omnes fideles obligandi.

2° Particularem legem ferendo pro certo regno, provincia, ordine religioso.

Ad vim obligandi quod attinet, respicienda sunt tantum verba quae a R. P. adhibentur. Parum autem refert utrum in forma Bullae an Brevis vel aliter edatur lex : nam variae formae Constitutionum Apostolicarum tantum ad externam solemnitatem spectant. " Brevia Apostolica rite confecta tantam vim habent in illis materiis, in quibus conficiuntur, quantam Bullae in ceteris materiis. „ (Reiffenstuel in l. 1. Decr. tit. 2. n. 18)

3° Edendo decreta vel leges ope variarum Congregationum Romanarum, quando istae non propriae tantum auctoritati permittuntur, sed Pontifex documentum, a Congregatione exaratum, suum facit et

suprema jussione confirmat. Exemplo sit decretum „ Quemadmodum „ de confessario extraordinario et ratione conscientiae, editum 17 Dec. 1890 per S. Congr. Ep. et Reg. (Vol. II. n. 89)

II. *Episcopus* pro omnibus dioecesanis non exemptis.

Verae legis perpetuitatem procul dubio habent Constitutiones ab episcopo in Synodo promulgatae, et probabilius etiam Statuta extra Synodum, audito tamen Capitulo, facta et promulgata. (Bened. XIV. de Synodo, l. 13. c. 5. n. 1)

Probabilis tamen videtur sententia, quam post Scavini tradunt Ball. P. (n. 4 in nota) et Lehmk. (I. n. 122) : ordinationes ab episcopo extra Synodum datas censendas esse veras leges, ideoque perpetuas, tantum in duobus casibus : primo, si ipse episcopus hanc voluntatem suam expresse manifestaverit; secundo, si ordinatio dioecesanos omnes tum clericos tum laicos adstringat.

De conformitate autem quae vigere debet inter episcoporum ordinationes et universales Ecclesiae leges, haec notat Ill. Aichner (Comp. J. Eccl. § 18) : " Possunt quidem esse sancitae praeter jus, non vero contra jus universalis Ecclesiae. Unde 1°) Episcopi non possunt prohibere quod per jus universale expresse et indubitanter permissum est (nisi canones id eis diserte concedant) et, e converso, non possunt permittere quod jure universali prohibitum est. — 2°) Valent autem illud propius definire quod lege canonica universali, quoad modum, tempus et circumstantias non tam accurate definitum est (v. gr. determinare ut pueri infra octo dies sint baptizandi dum canones dicunt tantum " quamprimum commode fieri poterit „) aut quod definiendum canones episcopis permittant (v. gr. quoad cohabitationem clericorum cum mulieribus, quoad venationem et vestitum clericalem.) — 3°) Item possunt episcopi res, nonnisi probabiliter jure communi permissas, per leges dioecesanas vetare (v. gr. nundinas prohibere diebus festivis). „

Patriarchae in Ecclesia latina hodie titulo mere honorifico, sine ulla vera jurisdictione fruuntur. Archiepiscopi vero, licet proprie nullam in suffraganeos suos jurisdictionem habeant, possunt exercere in ipsos jura quaedam ad supplendam eorum negligentiam vel ad corrigenda quae suffraganei perperam egerint.

III. *Supremi Praelati Ordinum Religiosorum* solent legiferam potestatem in subditos suos habere. Quaenam autem determinatae personae vel coetus hac potestate gaudeant, e concessionibus quas RR. PP. singulis religiosis ordinibus fecerunt, eruendum est. Sic in Soc. Jesu sola Congregatio Generalis potest veri nominis leges condere.

88. Extraordinarie potestatem legiferam in Ecclesia exercent :

I. *Concilia generalia* cum R. P. unita et ab eodem confirmata. Sepo-

nimus hic quaestionem, quam tractant Dogmatici, quid in adjunctis difficilibus Sedis Apostolicae vacantis vel Papae dubii Concilia generalia facere valeant.

II. *Concilia provincialia* pro provincia ecclesiastica cujus episcopi in iisdem adunantur. Idem tenendum pro toto territorio alicujus nationis cujus episcopi, praeside Primate vel Delegato Apostolico, in *Concilium nationale* seu plenarium convenerint. Haec tamen nationalia concilia tantum de expresso mandato seu licentia Sed. Ap. convocari possunt.

Ut autem horum conciliorum partialium decreta vim obligandi obtineant, requiritur ut a Sed. Ap. revisa fuerint. Quae revisio, in hodierna disciplina, in hoc consistit quod acta Concilii ad S. Congr. Conc. vel Prop. Fidei transmittuntur, a qua examini subjiciuntur et, si quid minus rectum irrepserit, corriguntur. Facta hac revisione, decreta Concilii promulgari permittuntur, neque antequam haec promulgatio facta sit, vim obligandi obtinent. (1)

Per hujusmodi revisionem illa Synodorum particularium decreta nequaquam vim legum Pontificiarum accipiunt, etiam pro illa provincia vel natione pro qua lata sunt. Ad hoc enim requireretur approbatio quam vocant " in forma specifica „ cui scil. " praemittitur causae cognitio et singula statuta diligenter expenduntur ac deinde, nulla adjecta conditione, auctoritate Apostolica, cum clausula *motu proprio atque ex certa scientia confirmentur.* „ (Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 5. n. 11. collato c. 3. n. 4)

III. *Capitulum sede vacante,* seu *Vicarius capitularis,* quamquam nihil innovare potest in iis quae pertinent ad episcopi dignitatem et jura, probabilius habet potestatem ferendi leges, cum in potestatem episcopi defuncti succedat. (Reiff. l. c. n. 89 seq.) Nullam vero potestatem condendi leges habent Superiorissae monialium, utpote jurisdictione carentes.

89. Ad nostram disciplinam non pertinet determinare quinam **in societate civili** legiferam potestatem habeant. Quaestio haec e variis populorum *Constitutionibus* hodie solvenda est. Interdum apud unum supremum regni moderatorem, interdum apud plures sive personas, sive corpora moralia residet potestas legifera. Sic in Belgio collective exercetur a Rege, Deputatorum Camera et Senatu. (Constit. Belg. a. 26)

Si gubernium aliquod illegitime quidem, sed pacifice, regnum obtinet, regnicolae ejus leges servare tenentur, quatenus hoc necessarium est

(1) Cfr. Acta et Decreta Conc. Plen. Baltimor. 3i. Ex Decreto promulgationis et Decreto recognitionis quae iisdem praemittuntur clare patet qua ratione hodie leges conciliorum particularium a S. Sede approbentur.

ne ordo socialis perturbetur. Nam societas sine aliquo legali ordine subsistere nequit; alius autem ordo in casu impossibilis est. In hoc sensu generatim licebit fidelitatem eidem gubernio jurejurando promittere. Insuper licet multa praestare quae in se indifferentia sunt, cedunt tamen in utilitatem injusti gubernii, ut agere excubias, tributa solvere, etc. Haec enim sine gravissimo incommodo a subditis recusari nequeunt, neque talis resistentia legitimo principi prodesset: unde is in ea consentire censetur. Illicita vero sunt quaecumque tendunt ad usurpationem confirmandam et fovendam, vel ad principem legitimum laedendum aut impediendum ne regnum suum recuperet : siquidem illius jus laedunt. (Ball. P. n. 13 seq.)

§ 2. DE LEGIS OBJECTO.

90. Ex ipsa legis definitione patet ejus materiam esse posse id omne et solum quod ad bonum commune conducere potest. Si autem de objecto alicujus legis determinatae quaeritur, erit illud omne et solum quod honeste et practice ordinari potest ad finem quem singulae societates sibi praefigunt assequendum. Sic legis civilis objectum esse potest quidquid honeste et practice ad temporalem felicitatem civium conducit.

91. QUAER. I. Num **actus heroici** i. e. qui extraordinariam difficultatem superandam praebent, lege praecipi possint.

RESP. Liquet hujusmodi actus lege divina praecipi posse, tum ob supremum Dei in homines dominium, tum quia Deus gratia sua debilem voluntatem adjuvare nimiamque difficultatem levare potest. Generatim vero non potest lex humana, civilis vel ecclesiastica, hujusmodi actus imponere. Idem dic de Superiore praeceptum dante. Ratio est quia rem moraliter impossibilem juberet. (n. 83)

Excipe: 1° Si bonum commune praevalens poscit ut talis actus privato imponatur. Sic miles jubetur, tempore belli, sese exponere imminenti mortis periculo ad patriam tuendam.

2° Si quis libere amplexus est statum cui annexa est talis obligatio, ex. gr. proficiscendi ad missiones maxime periculosas.

3° Si Superior judicat aliquid esse moraliter necessarium ad status alicujus conservationem. Sic videntur Bonifacius PP. VIII et Conc. Trid. (Sess. 25. c. 5. de Reg.) perpetuam clausuram imposuisse etiam illis monialibus quae ex regula ad eam non tenebantur. Ratio est, quod assumendo aliquem statum virtualiter nos obligamus ad ea quae in tali statu sunt moraliter necessaria. Cfr. Suar. de Relig. t. 4. tr. 8. l. 1. c. 8. n. 8.

92. QUAER. II. Num **actus interni** lege humana praecipi possint.

RESP. Claritatis causa juvat triplicem speciem actuum discernere: externos, qui scil. organis corporeis externis perficiuntur, ex. gr. solvere tributum, infantem ad baptismum ferre ; mere internos, qui solis potentiis internis perficiuntur, ex. gr. emittere votum, meditari; mixtos, qui partim internis potentiis, partim externis organis absolvuntur, ex. gr. celebrare Missam cum intentione consecrandi. Videlicet,

Certum est: 1° Lege civili actus mere internos praecipi non posse : hi enim ad finem societatis civilis conferre nequeunt. Potest tamen eadem lex praecipere actus mixtos, ex. gr. juramentum, quod praestari nequit ut oportet sine interno religionis actu.

2° Ecclesiam praecipere posse actus mixtos, etiam actus externos occultos : hi enim ejusdem generis sunt ac ceteri qui cognosci possunt, neque ullum dubium praxis relinquit.

3° Potestatem fori poenitentialis se ad actus mere internos injungendos extendere. Constat ex praxi et ex utilitate talium actuum ad finem ad quem Christus hoc forum instituit.

4° Ecclesiam posse praecipere actus mere internos indirecte, quod facit : *a)* ubi interpretatur vel determinat legem seu jus divinum : sic definiendo fidei articulum, internae fidei obligationem imponit ; — *b)* ubi, favorem aliquem largiendo, actum mere internum tamquam conditionem ponit: sic requirit meditationem de Passione Christi ad lucrandas indulgentias Viae crucis ; — *c)* quando subditi se sponte etiam quoad actus internos subjecerunt, ex. gr. religiosi amplexi regulam in qua facultas imponendi orationem mentalem Superioribus agnoscitur.

Disputatur num Ecclesia actus internos directe et absolute praecipere possit. Negantem sententiam tenent S. Thomas, Suarez, S. Alph. et plerique DD. Pro affirmante stant quidam antiquiores AA., ut Elbel, Schmier et plures e recentioribus, ut Ball. P. (n. 122 seqq.) et Bouquillon (Theol. Mor. fund. p. 259 seqq.) ; in hanc partem propendet Lehmkuhl (I. n. 132).

Rationes praecipuae negantium sunt: 1°) Non potuit talis potestas Ecclesiae concedi, quia repugnat ut leges ferantur de actibus quos judex punire nequit. — 2°) Non debuit conferri, quia Ecclesia est corpus visibile, et ideo materia accommodata ad ejus communem et externam gubernationem debet esse et ipsa sensibilis et externa.

His respondent adversae sententiae patroni : ad 1^{um}) Ecclesia saepe praecipit sine externa sanctione, delinquentes relinquendo propriae conscientiae et judicio divino ; imo posset, absolute loquendo, eos qui legem de actu mere interno violarent punire per poenam seu censuram latae sententiae ; — ad 2^{um}) Potestas illa est omnino consona indoli et

fini Ecclesiae quae societas est supernaturalis, ad animarum sanctificationem instituta. Igitur potestas circa actus internos comprehenditur connaturaliter in generali potestate legifera Ecclesiae concessa ; limitatio ad actus externos et mixtos admittenda non est nisi clare probetur.

Ad praxim parum conducit haec disputatio ob multiplicem potestatem indirectam in actus internos quam omnes in Ecclesia agnoscunt.

§ 3. DE LEGIS SUBJECTO.

93. PRINCIPIA. I. Omnes homines sunt **legi naturali** subditi, etiam ii qui habitualiter rationis usu carent, ut infantes et perpetuo amentes. Ratio est, quod in omnibus est natura humana pro qua illa lex lata est; unde quidquid objective legi naturali repugnat, ex.gr. fornicatio, involvit inordinationem naturae rationali repugnantem. Si qui AA. ut Laymann (l. 1. tr. 4. c. 10), negant infantes et perpetuo amentes ullis legibus subjici, intelligi possunt de subjectione perfecta et in actu secundo ita ut peccare possint eam violando.

Inde sequitur peccare eos qui infantes vel amentes ad actus legi naturali contrarios, ex.gr. ad blasphemias, provocant. Haec enim, quae veram inordinationem inducunt, tribuuntur principali agenti qui infante vel amente tamquam instrumento utitur. (Laymann, l. c. n. 3) Adde : interdum dari scandalum videntibus vel audientibus, interdum foveri in infantibus habitus qui postea ad peccatum formale ducant, ex. gr. si nutrix docet infantem verenda mulcere.

Notandum aliud esse quod aliquis lege non teneatur, aliud quod a lege excusetur, quamvis ei subditus sit. Talis excusatio haberi potest per ignorantiam, ebrietatem, dementiam transeuntem et similia. Cfr. dicta in tr. de Act. Hum. cap. III.

94. II. Legi ecclesiasticae universali subditi sunt omnes et soli baptizati, habitualiter ratione utentes.

Ratio est, quod omnes et soli baptizati societatem supernaturalem Ecclesiae ingressi sunt ideoque ad ejus finem per leges idoneas ducendi sunt. Cfr. Conc. Trid. Sess. 14. c. 2. Ad hunc tamen finem duci nequeunt per regulam positivam et externam nisi habitualiter ratione polleant. Hinc,

1° Legibus ecclesiasticis minime tenentur infideles seu non baptizati, ac proinde per se licet eis opera servilia die Dominica imponere.

2° Iisdem legibus non tenentur catechumeni, quamvis utiliter plerumque ab iis earum observantia exigatur tamquam conditio sub qua ad baptismum admittantur.

3° Tenentur per se haeretici et schismatici qui baptismum accepere: qui tamen plerumque invincibili ignorantia excusantur quando transgrediuntur leges quae in eorum secta a longo tempore obsoleverunt. Nec desunt AA. qui existiment Ecclesiam nolle urgere leges suas, saltem illas quae directe ad animarum sanctificationem tendant, ex. gr. leges de festis et jejuniis, erga eos qui in secta jamdudum constituta infeliciter nascantur. Rationem non spernendam afferunt, quod Ecclesia tales leges urgendo potestate sua potius in destructionem quam in aedificationem uteretur.

4° Tenentur quoque excommunicati. Potest tamen quoad praecepta quaedam esse specialis ratio ob quam ab iis servandis excusentur, ut dicetur Vol. II. n. 582 seq.

5° Infantes et perpetuo amentes legibus ecclesiasticis non subjacent ac proinde per se non sunt ducendi ad Sacrum, cogendi ad abstinentiam, etc. Expedit tamen ut infantes, quamprimum ratio sese evolvere coepit, legibus quas servare possunt assuefiant.

Praesumuntur autem infantes ad usum rationis sufficientem pervenire quando septennium impleverunt. Si qui citius rationis usu potiuntur, probabiliter legibus ecclesiasticis non tenentur, quia Ecclesia censenda est eas ferre secundum communiter contingentia. (S. Alph. l. 4. n. 270) Neque iisdem tenerentur si, completo septennio, rationis usu carerent.

6° Legibus ecclesiasticis subjacent amentes ad breve tempus vel qui sufficientem rationis usum servant ut eas cum fructu et merito servare queant. Cfr. n. 15. Videndum tamen num ab iisdem servandis aliunde excusentur, ex. gr. a lege abstinentiae ne deterius habeant vel quo citius valetudinem recuperent.

7° Ebrius manet subditus legibus ecclesiasticis, ideoque peccat qui die abstinentiae illi carnes porrigit, etc.

III. Legibus ecclesiasticis particularibus regulariter subditi sunt ii tantum qui, baptizati et ratione habitualiter utentes, in territorio particularis legislatoris domicilium vel quasi-domicilium habent.

Ratio est, quod potestas legislatoris particularis, ex. gr. episcopi, Concilii provincialis, certo territorio circumscribitur, ideoque eos qui ad illud non pertinent afficere nequit. De iis qui obiter in eodem territorio versantur dicetur infra. (Princ. V)

95. IV. Peregrini non tenentur legibus *particularibus* territorii sui.

Peregrini dicuntur qui in uno loco (dioecesi, paroecia) domicilium vel quasi-domicilium habentes, in alio obiter versantur. Ratio autem asserti patet: siquidem lex particularis territorialis est et, mediante territorio, fideles afficit. Hinc,

1° Si quis die jejunii particularis extra territorium suum versatur, ad illud servandum non tenetur.

2° Potest aliquis mane discedens e loco in quo non sit jejunium, carnibus plene refici, quamvis meridie redux futurus sit in loco domicilii in quo jejunium viget; illic tamen a carnibus abstinere debebit.

3° Si quis e loco domicilii in quo viget jejunium abit, certo sciens se vespere futurum in loco in quo eadem jejunii lex non viget, potest jam mane jentare, licet carnibus vesci non possit. Cfr. nn. 441 et 444.

96. V. Peregrini et vagi probabilius non tenentur, *saltem regulariter*, legibus *specialibus* locorum in quibus versantur. Ita S. Alph. (l. 1. n. 156) cum multis aliis contra Navarrum, Suarez, etc.

Vagi dicuntur ii qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium habent, ut sunt perpetuo navigantes, histriones nullam fixam sedem habentes.

Ratio est quod lex solos subditos afficit; subditi autem hujus particularis legislatoris non sunt qui in ejus territorio nec domicilium, nec quasi-domicilium habent.

Dicitur tamen *regulariter*. Nam tenentur certe servare illas leges quae ab omnibus servandae sunt ne bonum commune pereat, ex. gr. non inferre quaedam mercimonia tempore morbi contagiosi. Deinde si contractus quosdam ineunt, eos juxta peculiares loci leges condere debent. Possunt quoque interdum obligari ad alias leges observandas ratione scandali quod aliter vitari nequeat. Universaliter etiam receptum est vagos puniri posse ubi delinquunt, ne scelera impunita maneant.

Addit ipse S. Alph. (l. c.), cum communiori sententia, hanc limitationem : peregrinos ad legem particularem teneri si eadem viget in patria sua. Haec tamen limitatio parum cohaeret cum principiis supra positis. Nam peregrinus hac lege teneri nequit, ut est lex patriae, cum in ea non versetur (Princ. IV), neque ut est lex alterius territorii (Princ. V). Quare censemus cum Gury (I. n. 95), Ball. P. (n. 204), etc. eam non esse admittendam.

Qui hoc Princ. V rejiciunt praecipue hanc duplicem rationem afferunt :

1° Verba notissima S. Ambrosii : " Cum Romam venio, sabbato jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. „ (Decr. Grat. dist. 12. c. 11) — Sed responsum hoc S. Augustino datum non tam praeceptum quam consilium videtur, excepto casu quo aliter vitari non posset scandalum. Id innuunt verba S. Aug. in eadem epistola (54) e qua haec desumpta sunt : " Respondit mihi nihil se docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius observaret. „

2° E juris axiomate : *Qui sentit commodum, et onus sentire debet,*

deducunt aequum esse ut peregrini, qui a patriae legibus solvuntur, ligentur legibus territorii in quo obiter versantur. —Verum hoc axioma stricte applicari nequit nisi iis rebus quae *intime connexae* sunt, ut inde deducatur, ex. gr. eum qui parochi munus suscipit debere non solum illius commodis frui, sed et onera ferre.

97. VI. Regulares exempti per se non tenentur legibus episcoporum in quorum dioecesibus resident. Exemptio enim in hoc praecise consistit quod ab ordinaria episcoporum jurisdictione subtrahuntur ut soli Rom. P. immediate subsint.

Sed plurimi sunt casus in quibus exempti subjiciuntur jurisdictioni sive ordinariae, sive delegatae episcoporum : hos enumerant Canonistae. In ceteris etiam interdum per accidens se subjicere debebunt, nempe ubi id necessarium erit ad scandalum vitandum vel commune bonum procurandum. (Schmalzgr. in l. 1. Decret. t. 2. n. 38)

S. Alph. (l. 1 n. 156) valde probabilem vocat opinionem illorum AA. qui regularium monasteria reponunt inter loca exempta ita ut personae non exemptae, dum in iis versantur, legibus dioecesanis minime subsint.

98. VII. Subjectum **legum civilium** jurisperitis determinandum relinquimus : ceterum quale sit, per analogiam e principiis de lege ecclesiastica datis haud aegre colligi potest.

Dubitari tantum posset num legibus civilibus subsint clerici, cum e Jure canonico pateat eos ad solum forum ecclesiasticum pertinere. Jamvero, juxta communem sententiam, clerici legibus civilibus subjiciuntur secundum vim directivam. Quamvis enim jure divino a potestate legislatoris civilis exempti sint, leges tamen sacris canonibus minime repugnantes servare debent, ob voluntatem RR. PP. usu universali comprobatam et aequitati naturali maxime consonam, cum deceat onera civilis societatis ferre eos qui ejusdem commodis fruantur. (Laymann, l. 1. tr. 4. c. 13) Attamen vi coactivae legum civilium clerici regulariter non subsunt, sed a judicibus ecclesiasticis coercendi sunt : qua de re cfr. Vol. II. n. 590.

99. SCHOLION DE DOMICILIO ECCLESIASTICO.

Quo melius applicari possint quae supra de legibus particularibus dicta sunt vel in aliis locis dicenda occurrent, juvabit breviter exponere conditiones quibus domicilium vel quasi-domicilium ecclesiasticum acquiritur vel amittitur. Patet hoc argumentum unice e legibus ecclesiasticis definiendum esse : Ecclesia enim numquam dispositiones legum civilium recentiorum de domicilio adoptavit.

I. Ad comparandum in aliquo loco *domicilium*, duo, et quidem copulative, requiruntur :

1° *Animus* seu voluntas in eo loco constituendi habitationem de se perpetuam.

2° *Factum* quo quis reapse in tali loco sedem ponit.

Locus hic proprie intelligitur paroecia vel, ubi nondum canonice erectae sunt paroeciae, quasi-paroecia. Nam, sicut in jure civili domicilium proprie habetur in municipio, non autem in provincia vel alia ampliore regionis cujuslibet divisione,ita in jure ecclesiastico domicilium proprie habetur tantum in infima territorii ecclesiastici divisione.

Si autem quaeritur qua ratione voluntas illa perpetuo manendi in eodem loco juridice cognosci possit, triplex criterium assignare est :

a) Ipsam legem quae animum supplet vel exprimit. Sic uxor, ubi maritus, minorennes, ubi parentes, nutritii, ubi tutor, verum habent domicilium quod et *legale* seu *necessarium* vocatur.

b) Varia signa, qualia sunt habitatio assidua ac praesertim decennalis, translatio majoris partis bonorum in hunc locum vel bonorum immobilium in eodem acquisitio, etc. Vocatur domicilium *arbitrarium*.

c) Indubitatam assertionem, praesertim juramento firmatam, de voluntate ibidem perpetuo manendi.

In Jure tum romano, tum ecclesiastico fieri potest ut quis habeat plura domicilia. Ad hoc requiritur quaedam aequalitas in modo se habendi ad plura illa loca ; sufficit tamen ut in singulis per magnam anni partem, quamvis non aequalem, stabiliter habitetur. Cfr. Schmalzgr. in l. 2. Decr. t. 2, n. 13 ; Aichner, Comp. Jur. Eccl. § 164.

100. II. Ad acquirendum *quasi-domicilium* in aliquo loco, requiruntur copulative haec duo :

1° *Animus* manendi in hoc loco per majorem anni partem seu sex menses.

2° *Factum* habitandi in loco de quo agitur.

A primo die quo haec duo concurrunt, habetur quasi-domicilium. Hoc hodie omnino certum est e Litt. Encycl. S. Inqu. ad Episc. Angliae, 7 Jun. 1867 (Coll. P. F. n. 1407). Juxta Lehmkuhl (II. n. 775) satis probabile est sufficere voluntatem habitandi per notabilem anni partem seu per quatuor menses. Attamen non censemus hanc sententiam manere practice probabilem, eo quod decreta Romana tam clare postulant majorem anni partem.

Ut constet de animo illo permanendi in eodem loco per sex saltem menses, videndum est num directe, ex. gr. per indubitatam assertionem eorum de quibus quaeritur, vel saltem indirecte, per varia indicia, illa voluntas satis manifestata fuerit. Inter haec indicia praecipue attendendum est illud quod Bened. XIV (Litteris *Paucis abhinc hebdomadis* 19 Martii 1758 ad Archiep. Goanum) indicat ; nempe, habitatio in eodem

loco per unius mensis spatium. Ex hac enim habetur praesumptio juris, etiam in ordine ad matrimonium contrahendum, pro intentione manendi per majorem anni partem. Haec tamen praesumptio elidi potest contrariis probationibus quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo modo exstitisse. Cfr. Litt. Encycl. S. Off. cit. (1)

Non sufficeret tamen actualis habitatio ad quasi-domicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scil. ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent. (ib.)

Ideo quasi-domicilium habet uxor ubi servitia praestat; minorennis, ubi studiorum vel famulatus causa commoratur; miles, in civitate in qua stativa habet: non acquirit quasi-domicilium qui, animo ad breve tempus morandi, in villam se confert, licet praeter exspectationem diutius maneat, etc. Cfr. Schmalzgr. in l. 2. Decret. t. 2. n. 19 et Reiffenst. ib. n. 23.

101. III. Ad *amittendum domicilium* vel *quasi-domicilium* haec duo copulative concurrere debent:

1° *Actualis derelictio* domicilii hactenus possessi.

2° *Animus* se alio transferendi.

Non sufficit ergo cessare titulum domicilii hucusque possessi; potest enim domicilium legale, deficiente legis titulo, transire in arbitrarium. Ita filia in civitate famulans, quae majorennis facta est, retinet domicilium apud parentes in loco natali, quamdiu paternae domui non omnino valedixerit. Ii vero qui, plene dimisso priore domicilio, aliud petunt, ex. gr. migrantes ex Europa in Americam, vagis accensentur donec in locum novi domicilii pervenerint.

§ 4. DE LEGIS PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE.

102. PRINCIPIA. I. Ut aliqua ordinatio obligationem in membra alicujus communitatis inducat, necessarium est ut a legitimo Superiore publicetur ita ut ejus voluntas obligandi subditos manifesta fiat: in quo sita est legis **promulgatio**. Hinc neminem ligat privata legis promulgandae notitia, aut privata declaratio voluntatis suae a legislatore facta:

(1) Omnino speciale est decretum quo, petentibus Patribus Conc. 3i Baltim. S. C. Inqu. approbavit ut, in Statibus Foed. ii qui se transferunt e loco in quo decretum " Tametsi „ viget in alium locum censeantur ibi habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, dummodo ibi continuo commorati fuerint per unius mensis spatium, quin facienda sit inquisitio de animo manendi per majorem anni partem.

quamquam saepe laudabile est huic Superioris menti conformari, dummodo non imponatur ceteris. Promulgatio confundenda non est cum cognitione legis a singulis acquisita. Haec, in foro externo, *praesumitur* post certum quoddam tempus, quod sufficiens esse debet ut lex moraliter potuerit omnibus communitatis membris innotescere. (1) In foro tamen interno praesumptio semper cedit veritati.

103. II. In ratione promulgationis peragendae distinguenda sunt ea quae lex naturalis et ea quae lex positiva, praesertim ecclesiastica, requirit. Ex *jure naturali*, talis esse debet promulgatio ut communitas in legis cognitionem moraliter et humano modo devenire possit. Cum autem plura hujusmodi media praesto esse soleant, arbitrio legislatoris relinquitur quodnam eligere malit. Hinc, intra limites jure naturae praefixos, inspicienda est legislatoris voluntas, et huic omnino standum.

De promulgatione *legum ecclesiasticarum* haec observanda sunt:

1° A pluribus saeculis, RR. PP. tamquam sufficientem legum suarum promulgationem habuerunt earumdem affixionem in locis publicis urbis in qua resident. Id manifeste elucet e clausulis solitis quibus jubent constitutiones suas Romae affigi et publicari, ut singulos ad quos spectant obligent perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuerint. Insuper, in curia Romana, universi orbis lites judicantur secundum leges quae Romae tantum promulgatae fuerint. Reliqua interdum adhiberi solita, ex. gr. exemplaria ad episcopos mittere, jubere ut ab iisdem lex nuntietur fidelibus, sunt tantum media quibus cognitio legis facilius ad omnes perveniat. Cfr. Bouquillon, Theol. Mor. fund. p. 271 seqq.

Igitur tamquam praxi et saepius manifestatae menti S. Sedis contrariam rejicimus sententiam quam olim multi magni nominis AA. tenebant (Billuart, de Leg. diss. 3. a. 2. § 1) et plerique probabilem censebant (S. Alph. n. 98): leges pontificias, quibus jus novum statuatur, saltem virtualiter in singulis provinciis vel dioecesibus promulgandas esse, *nisi R. P. contrarium exprimat*. Hac enim opinione abusi sunt Janseniani et Gallicani ut talem promulgationem *prorsus et absolute* necessariam esse contenderent, atque ita principibus civilibus facile medium tribuerent quo leges pontificias efficacia sua privarent. Hinc factum est ut Canonistae, jam melius illius sententiae incommoda et S. Sedis mentem attendentes, communiter illam deseruerint.

2° Pontifices interdum sponte decernunt ut lex obliget tantum postquam in variis locis extra Romam promulgata fuerit. Ita Leo PP. XIII

(1) Sic in Belgio leges obligare incipiunt decimo die postquam typis vulgatae sunt in diario " Le Moniteur. „ (Lex Belg. 28 Febr. 1845.)

voluit Constit. *Romanos Pontifices* (8 Maii 1881) obligare tantum post publicationem in Anglia factam.

3° Episcoporum leges sufficienter promulgantur quocumque modo publicantur, dummodo adsint jure naturali requisita, ex. gr. si decretum publice in ecclesia cathedrali legitur vel folio dioecesano inseritur.

III. Si de **actuali obedientia** constitutionibus pontificiis praestanda inquiritur, distinguendum est inter definitiones fidei et leges disciplinares. Prioribus ab unoquoque assensus praestandus est statim ac definitionem promulgatam esse certo noverit: haec enim nihil aliud est quam legis divinae jam exstantis declaratio. In legibus disciplinaribus exsequendis procul dubio servandus est terminus qui in ipsis praefigatur. Sin autem nullus praefixus reperitur, duplex datur sententia. Probabilius pro singulis regionibus prudenti arbitrio determinandum est quantum tempus moraliter necessarium sit ut promulgatio, mediis ordinariis, inter hujus regionis incolas communiter divulgetur. Si quis eam medio extraordinario citius cognosceret, certe in foro externo et probabiliter in foro interno non teneretur ad eam observandam.

Alii, ut S. Alph. (l. 1. n. 96) qui eam sententiam probabiliorem vocat, tenent tempus illud *universaliter* extendi posse ad duos menses; unde semper per hoc temporis spatium exspectari possit antequam legi obedientia praestetur. Nituntur Jure Romano (Authent. *Ut factae novae)* in quo leges non obligabant nisi duobus mensibus post promulgationem. Ubi enim deficit specialis canonicae legis dispositio, standum est Juri civili quo utitur Ecclesia, vid. Juri Romano. Nam " Sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. „ (Decr. l. 5. t. 32. c. 1)

104. IV. De **acceptatione legis**, quae consistit in formali vel virtuali consensu majoris et sanioris partis subditorum in legis exsecutionem, haec praecipue attendi merentur:

1° Numquam legis obligatio directe tollitur ob defectum acceptationis a populo factae. Hoc manifestum est de legislatoribus ecclesiasticis qui ab ipso Deo potestatem fideles regendi acceperunt. Legislator autem civilis, etiamsi eum auctoritatem a populo accepisse opinamur, eam modo independenti *exercere* debet: secus enim illusoria foret, nec plus posset legislator quam subditi vellent. Cfr. prop. 27am ab Alex. VII damnatam: " Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. „

2° Fieri potest ut, acceptatione deficiente, indirecte impediatur quominus obligatio inducatur, vel jam inducta cesset. Quod praesertim continget e tacito legislatoris consensu: quia, quando princeps novit legem a subditis non servari et dissimulat, statim, post aliquot actus contrarios

toleratos, prudenter censetur lex revocata. (Suarez, de Leg. l. 4. c. 16. nn. 5-8) Qua ratione per consuetudinem contrariam cessare possit lex, dicetur n. 127. Imo, etiamsi culpabiliter major populi pars legi subjacere detrectaverit, neque haec abolita censeri possit propter tacitum principis consensum vel contrariam consuetudinem, reliqui ab ea servanda abstinere possunt donec Superior eam denuo urgeat. Ratio est, quod princeps non est putandus velle ut pauciores legem observent quam plerique non recipiant : unde etiam id plerumque sine magno incommodo fieri nequiret. (S. Alph. l. 1. n. 139)

3° Si qua lex videatur aequo durior, poterunt subditi ad Superiorem recurrere ut ipse haec, quae forte ignorat, incommoda consideret et definitivam sententiam edat. Interim autem, per quamdam epikeiam, legem tamquam suspensam habere poterunt. Sic laudabiliter agere posse episcopos, si quando aliquam legem pontificiam minus suae dioecesis conditionibus convenire judicent, exponit Bened. XIV de Syn. l. 9. c. 8. Sed oportet ut in hoc recursu magnam reverentiam erga S. Sedem ostendant, et, si R. P. eorum rationibus non acquieverit, legem statim exsequantur. Fidelibus autem licet ab episcoporum suorum statutis ad S. Sedem appellare. Sed in plerisque casibus licet tantum uti illa appellatione quae vocatur " in devolutivo „ vel recursu extrajudiciali ad R. P. et, donec Romae causa dirimatur, episcopo parendum est. Casus illos enumerat Bened. XIV Const. *Ad militantis* (30 Martii 1742).

105. Quidam antiquiores Canonistae, potestatis civilis jura plus aequo extendentes, contenderunt leges pontificias in singulis regionibus obligare tantum postquam a gubernio civili acceptatae fuerint. Hanc doctrinam quae *Placiti regii* appellatur, diserte condemnavit Conc. Vat. (Const. *Pastor aeternus*, III) : " Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Ap. Sede vel ejus auctoritate ad Ecclesiae regimen constituuntur, viam ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur. „

Attamen *per accidens* posset defectus hujus acceptationis quarumdam legum disciplinarium obligationem tollere vel suspendere :

a) Si Ecclesia ipsa alicui gubernio jus quoddam Placiti erga leges gubernationem exteriorem respicientes concessisset.

b) Si, ex oppositione gubernantium, oriretur grave incommodum quo fideles a lege servanda excusarentur.

c) Si gubernium impediret promulgationem alicujus Constitutionis quae ex ipsa dispositione S. Sedis vim non haberet antequam in singulis

provinciis promulgaretur. Ita Fredericus II in Prussia et Catharina II in Russia impedivere ne Societas Jesu supprimeretur per publicationem Brevis Clementis XIV *Dominus ac Redemptor.*

§ 5. DE LEGIS OBLIGATIONE IN SE IPSA.

106. PRINCIPIA. I. Quaelibet lex, cum sit vinculum morale, aliquam obligationem in conscientia imponere debet. Haec tamen obligatio e quibusdam legibus indirecte tantum oritur. Sic per privilegium uni concessum vetantur ceteri ne ipsum in usu favoris a principe dati impediant.

II. Sub respectu obligationis, distinguitur *lex moralis* et *lex mere poenalis.* Prior illa est quae immediate obligat ad faciendum vel omittendum quod per eam praecipitur vel vetatur; posterior, quae, licet sine peccato violari possit, obligat tamen ad subeundam poenam quae transgressoribus apponitur. Si legi morali additur poena in hac vita luenda, ut semper fit in legibus civilibus, lex illa dicitur *mixta.*

III. Ut habeatur *lex sub gravi obligans,* oportet ut materia legis sit gravis et simul ut legislator eam sub gravi imponere voluerit. Si alterutrum deficit, non exsurgit nisi levis obligatio.

Ratio *prioris conditionis* est : quod irrationabile esset sub gravi praecipere ea quae nullam habeant gravitatem, neque ex objecto suo, neque e circumstantiis vel fine intento. Non unice tamen attendendum est ad actionem materialiter sumptam quae jubetur vel vetatur. Sic propter mysticas significationes, quas explicat Conc. Trid. (Sess. 22. de Sacr. Missae, c. 7), sacerdos sub gravi modicissimam aquae quantitatem vino consecrando admiscere jubetur.

Ratio *posterioris conditionis* est : quod omnis obligatio statuitur per voluntatem Superioris, qui saepe rationabiliter, etiam in materia gravi, potest tantum sub levi praecipere, nempe quotics hac levi obligatione efficaciter finis intentus obtineri potest.

IV. Lex affirmativa dicitur obligare *semper, non pro semper;* lex negativa *semper et pro semper.* Ita lex confitendi singulis annis semper habet in se vim obligandi, sed non adstringit singulis momentis ad confitendum : lex vero non blasphemandi obligat singulis momentis ne blasphemetur.

107. QUAER. I. Quomodo dignosci possit utrum materia legis humanae obliget sub gravi an sub levi.

RESP. 1° Imprimis attendendum ad *verba* quibus legislator utitur. Ubi materia capax est obligationis gravis (Princ. III), censetur legislator velle imponere obligationem sub gravi per verba : *Jubemus, interdicimus in virtute sanctae obedientiae, graviter mandamus ;* etiam per simplex verbum *praecipimus*, quando materia est certo, non dubie gravis. Nam in materia gravi non est censendus Superior vere praecipiens imponere obligationem sub levi, nisi id diserte exprimat. (Suar. de Leg. l. 3. c. 26. n. 7)

2° Gravitas etiam desumi potest ex *gravi poena spirituali* annexa scil. excommunicationis latae sententiae, depositionis, etc. E poenis suspensionis vel interdicti colligi potest gravitas culpae si censuram proprie dictam constituunt (Vol. II. n. 568), et probabilius etiam quando per modum poenae vindicativae feruntur, sed ad longum tempus et multis bonis privant, ex. gr. suspensio ab officio vel beneficio per annum. Ubi censura est ferendae sententiae, indicat grave praeceptum si edicitur pronuntianda absque alia monitione : sic enim certo supponitur ipsam legis violationem esse peccatum grave. Sin autem talia verba non adduntur, probabilius e censura ferendae sententiae argui nequit ad peccatum grave: tunc enim judex nequit eam ferre nisi praemissa monitione, ideoque censura ista potius in contemptum monitionis quam in violationem legis cadit. (Salmant. de Leg. n. 44 seq.)

Poena vero temporalis gravissima legi civili apposita nequaquam indicium est gravis obligationis in conscientia ; imo non desunt AA. qui existiment ita potius indigitari legem mere poenalem. Non enim aequum esse reputant ut legislator transgressores velit addicere poenae aeternae praeter temporalem gravissimam, cujus timor ad effectum obtinendum sufficiat. Exemplo sint poenae gravissimae quae lege civili statuuntur contra milites qui exercitum deserunt : quod tamen Theologi omni culpa gravi per se vacare communiter docent. Cfr. S. Alph. n. 147.

3° Ex *consuetudine* quae legem in sensu gravis obligationis interpretetur. Cavendum tamen ne inanis aliquorum devotorum timor tamquam universalis persuasio habeatur.

Cfr. dicenda de criterio quo peccatum grave a levi discernatur, n. 153.

108. QUAER. II. Num contemptus gravem efficiat transgressionem legis quae per se sub levi obliget.

RESP. Distinguendus est *formalis* contemptus a *virtuali*. Formalis dicitur quando aliquis sciens volens legem transgreditur e contemptu ipsius *auctoritatis qua talis* : quod raro contingit et in iis tantum hominibus qui animum omni auctoritati inimicum gerunt. Manifestum est

transgressionem legis, etiam levissimae, cum hoc formali contemptu factam, esse semper gravem. Nam profecto contemptus auctoritatis qua talis necessario recidit in Deum omnis auctoritatis fontem. Virtualis autem dicitur contemptus qui cadit in aliquid ab ipsa auctoritate diversum, ex. gr. in materiam quae videtur tenuior vel ridicula, in personam legislatoris seu praecipientis quae censetur singularis indolis vel ingenii retusi. Nihil est in tali contemptu quod per se grave peccatum involvat.

§ 6. DE RATIONE SATISFACIENDI LEGIS OBLIGATIONI.

109. PRINCIPIA. I. Lex prohibens seu negativa, ex. gr. " ne fureris, „ impletur nuda omissione rei prohibitae. Inter leges autem praecipientes seu affirmativas distinguendae sunt *reales*, ex. gr. " debita sunt solvenda „ et *personales*, ex. gr. " Sacrum die Dominica est audiendum. „ Priores implentur quacumque ratione res praestatur, ex. gr. debitum exstinguitur etiam per occultam creditoris compensationem; posteriores vero non implentur nisi actu humano, et ideo ex. gr. non satisfacit praecepto qui Sacrum die Dominica prorsus violenter coactus audit. (n. 341) Cfr. S. Alph. n. 165; Lehmk. I. n. 151.

II. Ad satisfaciendum legis obligationi non requiritur ut aliquis ei satisfacere intendat; imo satisfit, etiamsi diserte hanc intentionem excludat, dummodo ponat opus quale praescribitur a lege. Ita legi ecclesiasticae satisfecit qui Missam die festo audivit, quamvis ignoraret diem esse festum, vel intenderet Sacro ex mera devotione interesse, postea satisfacturus.

Obligationi tamen quae e voto oriretur non satisfaceret qui actum ad quem teneretur, poneret cum expressa voluntate non satisfaciendi: quia talis obligatio e voluntate promittentis provenit, qui, sicut ab initio libere se debitorem constituit, sic libere in debito permanere potest. Satisfaceret autem qui opus quod vovisset, poneret, sed sine intentione expressa satisfaciendi. (S. Alph. n. 163 seqq.)

III. Neque requiritur ad satisfaciendum ut intendatur finis quem sibi, in lege ferenda, legislator praestituit. Ut enim habet sententia trita (*Finis praecepti non cadit sub praecepto.*) (1. 2. q. 100. a. 9) Hinc satisfacit praecepto jejunii qui ex avaritia abstinet a cibo, et praecepto abstinentiae qui ex gula pisces delicatos optimo vino conditos comedit.

110. IV. Necessarium non est ad satisfaciendum ut lex impleatur in statu gratiae, nisi de contraria mente Ecclesiae constet, ut de ea constat

quoad communionem paschalem. Cfr. prop 16am Baii a Pio V damnatam : " Non est vera legis obedientia quae fit sine caritate. „ Probe igitur distinguenda est legis impletio a merito : hoc enim sine caritate haberi non posse manifestum est. Satisfacit vero qui implet praecepti substantiam per actum qui ex fine vel circumstantiis sit peccaminosus, ex. gr. qui ob vanam gloriam jejunat vel confitetur. Et similiter impleri potest votum, licet ipse actus sit peccatum. (S. Alph. n. 162)

V. Plura praecepta *uno actu* impleri possunt nisi constet contrariam esse mentem legislatoris vel praecipientis : haec enim est omnis obligationis norma. Si de hac mente non constat aperte, attendendum est ad circumstantias ut ex iis intentio illa conjiciatur. Inter rationes autem potissimas conjiciendi novum opus imponi, hanc recensendam ducunt Salmant. (de Leg. c. 2. n. 150) : quod eadem materia, a legislatore, prioris obligationis conscio, iterum e diverso motivo imponatur. (Ball. P. n. 231) Sic norunt omnes non esse duo Sacra audienda, quando dies festus in Dominicam incidit; minime vero satisfieri duplici debito centum fr. unica centum fr. solutione. Cum enim in justitiae debitis attendatur aequalitas rei ad rem, nequit summa una centum fr. esse aequalis duobus centum fr. debitis : unde in his alia est intentio et mens se obligantis. (Bus. ap. S. Alph. n. 166) Neque *generatim* potest aliquis uno actu, ex. gr. unius Missae auditione satisfacere duabus obligationibus, quarum una e lege ecclesiastica, altera e poenitentia sacramentali oritur, eo quod alia solet esse mens confessarii poenitentiam imponentis.

Similiter potest aliquis eodem tempore pluribus obligationibus satisfacere *actibus diversis*, dummodo unus alterum non impediat. Ita poterit clericus, ad Horas canonicas obligatus, eas recitare dum Missae de praecepto audiendae interest. (Bus. l. c.)

VI. Qui praevidet se impeditum iri per partem temporis quo impleri potest praeceptum affirmativum, puta audiendi Sacrum die Dominica, tenetur illud implere tempore apto et libero, puta audiendo Sacrum hora sexta si per reliquum mane Sacro interesse nequit.

A voluntate autem legislatoris, per verba legis vel consuetudinem manifestata, pendet solutio quaestionis utrum, elapso tempore quo aliquid praestandum praecipitur, tota legis obligatio exspiret, an adhuc perduret. Plerumque sane tempus indicatur ad finiendam obligationem, ex. gr. in recitatione breviarii, jejuniis, Sacri auditione, etc. De legibus in quibus videatur indicari tantum ad obligationem urgendam, suo loco dicetur.

§ 7. DE LEGIS INTERPRETATIONE.

111. DIVISIO. Interpretatio legis generice sumpta est declaratio sensus legis. Dividitur :

1° In authenticam, doctrinalem et usualem.

Authentica ea est quam ipse legislator qua talis ejusve successor facit. Haec dicitur *comprehensiva,* quando declaratur tantum id quod jam in lege, licet obscurius, continebatur; *extensiva,* quando lex ad alium casum non comprehensum extenditur. Posterior nova indiget promulgatione, quia quoad extensionem factam novae legi aequivalet.

Doctrinalis dicitur ea quam, ope scientiae et experientiae, periti faciunt. De hac judicandum e regulis datis de extrinseca probabilitate. (n. 66) Manifestum est eam, si recte fit, fore comprehensivam.

Usualis tandem desumitur e ratione qua lex observatur, seu e consuetudine quae dicitur secundum legem. Inde tritum adagium : *Consuetudo optima legum interpres.*

2° In strictam et latam : quae divisio potissimum ad interpretationem doctrinalem refertur.

Nempe verba legis saepe intelligi possunt duplici sensu quorum uterque est proprius, sed unus prae altero plura comprehendit. Hinc *stricta* erit interpretatio, si verbis illis affigitur sensus minus latus; *lata,* si sensus latior eligitur. Ex. gr. in lege quadam, vox *clerici,* interpretatione stricta, sumetur tantum de iis qui saltem prima tonsura initiati sunt; interpretatione lata, complectetur omnes personas ecclesiasticas. Similiter vox *religiosi* potest restringi ad solos regulares vel extendi ad eos omnes qui in congregatione votorum simplicium versantur, etiam novitios.

112. REGULAE INTERPRETATIONIS DOCTRINALIS.

Plures regulae ab omnibus passim AA. traduntur (S. Alph. l. 1. n. 200), quarum hae sunt praecipuae :

1ª Interpretatio potius *menti* quam verbis legis convenire debet. Nam " certum est quod is committit in legem qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. „ (Reg. Juris ult. in 6°) Mens autem legis colligitur tum ex materia legis, tum ex circumstantiis, praecipue ex ratione in lege posita et quae ejus *anima* a DD. dicitur. (Reiffenst. in l. 1. Decr. t. 2. n. 386 seqq.)

2ª Verba legis sumenda sunt in sensu proprio nisi aliud suadeat manifesta ratio, quae praesertim erit ne admittatur aliquid iniquum vel absurdum aut ne verba quaedam fiant prorsus inutilia. (Reiffenst. l. c. n. 389 seqq.)

3ª Regulariter lex non est extendenda, ob similitudinem vel identita-

tem rationis, ad casum qui, *sub lata verborum forma*, in lege non comprehandatur. Ratio est quod ad obligationem inducendam, praeter rationem justam, requiritur voluntas legislatoris; is autem omnino potest de uno disponere et non de alio, vel quia non vult, vel quia non expedit omnia simul jubere vel prohibere. (Schmalzgr. in l. 1. Decr. t. 2. n. 48)

Excipe tamen casus in quibus legislator injustitiae vel imprudentiae argui posset si hujusmodi extensio, vel potius interpretatio, non fieret. Hoc autem praesertim contingit: *in correlativis*: sic lex quae maritum a debito reddendo eximit ob adulterium uxoris, interpretanda est ita ut ob adulterium mariti, eadem facultas detur uxori; — *in iis quae Jure aequiparantur*, ut sunt electio, postulatio et praesentatio ad beneficium; — *in connexis*, ita ut unum contineatur in altero, vel alteri subordinetur. Tunc enim applicanda Reg. 53ª Juris in 6º: *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.* Sic qui cum illegitimo dispensare potest ad suscipiendum sacerdotium, potest etiam dispensare ut ordines inferiores recipiat. His et similibus casibus applicandum axioma: *Ubi eadem est ratio, eadem est Juris dispositio.*

4ª In materia *favorabili* verba late sunt interpretanda; in materia vero *odiosa*, stricte, juxta Reg. J. 15ªm in 6º: *Odia restringi et favores convenit ampliari*, et 30ªm: *In obscuris minimum est tenendum.* Quae posterior sententia ita est intelligenda ut ubi, attentis omnibus, sensus legis manet obscurus, eligatur ille qui minus gravat.

Non semper ita facile patet quaenam legis dispositiones favorabiles, quaenam odiosae seu gravantes censendae sint. Si in eadem lege una pars favorem, altera odium continet, prior late, posterior stricte erit interpretanda. Quodsi duae illae partes ita sunt connexae ut ab invicem separari nequeant, tota lex censenda erit favorabilis et late interpretanda, quando primarius ejus finis est alicui favorem concedere, licet iste favor redundet etiam in alterius detrimentum; tota vero lex censenda erit odiosa et stricte interpretanda, quando finis ejus primarius tendit in alicujus detrimentum. Plerumque odiosae habentur leges poenales, irritantes, derogantes juri communi et pristinam libertatem restringentes. Attamen, etiam in poenalibus, interdum favor ab odio separandus est. Sic famosus canon, quo excommunicatione percelluntur clericorum percussores, late interpretandus est ubi agitur de personis ecclesiasticis in quorum favorem statutus est; stricte vero, ubi de injuria quae hac censura punitur. Cfr. Reiffenst. l. c. n. 437 seqq.

113. Huc quoque refertur usus *Epikeiae* (ἐπιείκεια, *aequitas*) quae est " benigna legum interpretatio secundum aequum et bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris, ob suas circumstantias speciales, sub lege universaliter lata non esse comprehen-

sum. „ (Reiffenst. l. c. n. 378) Haec a legis interpretatione eatenus differt quatenus interpretatio *verba legis obscura* declarat, epikeia vero *mentem legislatoris* explicat, quando constat de universali verborum sensu, dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem ob certas circumstantias voluerit vel potuerit sub generali locutione legis comprehendere.

Ex hac epikeiae natura liquet ejus usum ad solam legem humanam coarctari. In hac autem, e communi DD. sententia, interdum applicari potest, quia legislator humanus attendere solet tantum ad ea quae frequenter contingunt ; unde, in casu particulari, in quo iniquum vel saltem nimis difficile foret legi obedire, praesumi potest legislatorem noluisse ut etiam ad talem casum lex sua extenderetur.

CAPUT III.

DE IIS QUAE A LEGE EXCUSANT.

114. PRINCIPIA. I. Obligatio legis positivae generatim desinit quando ejus observatio per accidens cum gravi damno vel incommodo conjuncta est.

Quod ut melius intelligatur, juvabit notasse sequentia :

1° Non agi de lege naturali vel divina negativa, qua vetantur ea quae sunt proprio sensu intrinsece mala, ut blasphemia; includi vero omnem legem humanam, sive civilem, sive ecclesiasticam, imo et naturalem vel divinam positivam, ex. gr. legem restituendi bona injuste ablata.

2° Dici : *generatim*. Nam interdum, propter bonum commune, lex etiam cum gravissimo incommodo servanda est. Ex. gr. parochus tenetur lege residentiae, etiam cum evidenti periculo contrahendi morbi contagiosi. Cfr. n. 91.

3° In singulis legibus determinandum esse quam grave incommodum esse debeat ut ab iis servandis excuset. Hoc enim pendet a natura legis, intentione legislatoris et adjunctis peculiaribus. Plerumque leges negativae gravius incommodum postulant ad excusandum quam affirmativae, leges divinae gravius quam humanae. Sic in gravi necessitate non licet furari, licet vero retinere pecuniam alteri solvendam.

4° Necesse esse ut incommodum illud *per accidens* legis observationi conjungatur, non autem ex ipsa lege oriatur. Quaedam enim leges, ex. gr. lex divina integritatis in confessione, ex ipsa natura sua maximam habent difficultatem, quae proinde, in casibus particularibus, earum obligationem non tollit.

Ratio hujus principii, quatenus spectat ad leges humanas, in eo est quod lex debet manere moraliter possibilis ; quatenus vero etiam leges divinas positivas complectitur, nititur prudenti praesumptione qua opinemur Deum nolle urgere legem suam ubi tanta difficultas plane extraordinaria omnino mutat adjuncta. Cfr. Lehmkuhl, I. n. 156. A fortiori excusat impotentia physica : siquidem ad impossibile nemo tenetur.

115. II. Per se nemo prohibetur quominus e territorio suo exeat et ita se subtrahat *obligationi particulari* quae in eodem vigeat, ex. gr. audiendi Missam in die festo patroni loci. (n. 95) Lex enim non obligat ut quis in territorio maneat, sed tantum ut, quamdiu in eodem remanet, legem servet. Similiter licet exire e territorio in quo viget lex communis, ex. gr. audiendi Missam in die Epiphaniae, et tendere ad alium locum in quo (ut in Belgio) ex privilegio illa lex communis vigere desiit. Qui enim sic agit, utitur jure suo se conjungendi cum parte communitatis quae privilegio donata est. (Lehmk. I. n. 159) Neque, in hoc casu, tenebitur ad Sacrum summo mane audiendum, si aliud tardius in eodem loco celebratur, modo hora ultimi Sacri jam versetur extra territorium in quo viget lex : nam " si mansisset in loco ubi praeceptum obligabat, poterat differre ad id tempus ; quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligari. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 157)

Imo etiamsi quis directe intendit ita effugere obligationem, nihil inhonesti in hac voluntate reperitur. Duae tamen *exceptiones*, ob positivam S. Sedis dispositionem, attendendae sunt : scil. ne quis ex industria se in aliud territorium conferat ad vitandam legem de nullitate matrimonii clandestini vel ad absolutionem a reservatis accipiendam. Sed de his suo loco dicetur.

116. III. Si quis voluntarie causam posuit ob quam, licet subditus legi maneat, physice vel moraliter impossibilis fiat ejusdem observatio, non peccat quidem legem non servando (n. 114), sed interdum peccare potuit hujusmodi causam impedientem ponendo. Etenim quaelibet lex implicite obligat ad adhibenda media ordinaria et communia ut servari possit, qualia sunt adire haereditatem vel munere lucrativo fungi ut debitis satisfacere queas, comparare cibos licitos diebus abstinentiae, etc. Id enim manifeste continetur in obligatione procurandi finis. Igitur a fortiori obligatus lege tenetur ad non ponenda voluntarie impedimenta quae legis impletionem impossibilem reddant.

Difficillimum autem est determinare quandonam in hac causa ponenda peccetur. Ideo praestat a regulis generalibus abstinere et casus practicos solvere in singulis argumentis ad quae pertinent. Aliquas tamen generales animadversiones cum Sanchez (in Dec. l. 1. c. 15. n. 4) et

Ball. P. (n. 260 seqq.) subjiciemus, quae juvent praesertim ad mentem legislatoris prudenter investigandam.

1° Spectanda est vis praeceptorum quorum alia graviores, alia leviores causas ad excusandum exigunt. Leges enim naturales obligant ad adhibenda omnia media observandae legi necessaria, nisi magnam difficultatem per accidens secum trahant; positivae vero leges saepe, ob voluntatem legislatoris nihil amplius exigentis, obligant tantum ad vitanda vel tollenda quaedam impedimenta intime cum observantia legis connexa. (Castrop. de Leg. I. disp. 21) Sic facilius poterit poni impedimentum quo impossibilis fiat Missae auditio quam muneris exsecutio.

2° Consideranda necessitas vel utilitas impedimenti. Sic a Missa audienda excusabit labor ultro susceptus ad exstinguendum incendium, non vero ad theatrum parandum.

3° Considerandum utrum impedimentum proxime an remote tantum impediat ne impleatur praeceptum. Sic licet iter arripere, etiam sine peculiari causa, quamvis hoc praevideatur impedimento fore ne, post aliquot dies, praecepto Sacri audiendi satisfiat. Non licet iter ob meram recreationem aggredi, quando jam instat hora Sacri audiendi. Limitem autem quo secernantur impedimenta proxima a remotis accurate determinare difficillimum est. Juxta Lehmkuhl (I. n. 158): " Praecepta seu leges quarum obligatio saepe recurrit, ut jejunium, abstinentia, assistentia Missae sacrificio, tum tantum prohibent quominus impedimentum indirecte ponatur sine justa causa, quando jam fere instat dies obligationis, summum pridie tempore pomeridiano. „ Ita iter, quo impediatur Sacri auditio, liceret ingredi e mera voluptate, toto die Sabbati usque ad unam alteramve horam ante diem Dominicam. (Gury, I. n. 111)

4° Considerandum utrum impedimentum per se et intrinsece ad rei praeceptae materiam pertineat, ut si desit breviarium ad officium canonicum recitandum, an per accidens et remote tantum, ut si desit valetudo sufficiens ad eamdem recitationem. Ita peccat contra praeceptum officii divini recitandi qui breviarium, quod unicum habeat, in mare projiciat, non autem qui se imprudenter pluviae exponens, morbum contrahit quo ab officio recitando impediatur.

5° Sententia communior est: semper reum esse violatae legis eum qui apponit impedimentum etiam remotum cum directa intentione ut a lege, ex. gr. Sacri audiendi, excusetur. (La Croix, l. 1. de Leg. n. 784) Jus enim Romanum prohibet ne quid in fraudem legis fiat: quod etiam legibus canonicis et, a fortiori, legi naturali applicandum est. (S. Alph. l. 4. n. 104; D'Annib. I. n. 171. nota 60) Attamen, ubi certo constat actionem externam esse licitam, ex. gr. iter suscipere duobus diebus antequam urgeat obligatio audiendi Sacri, existimamus probabilem esse plurium AA.

sententiam (Tambur. Expl. Dec. l. 4. c. 2.; Salmant. de Leg. n. 164) : non violari legem positivam ab eo qui directe intendit tali impedimento a lege implenda excusari. Nam, cum utatur jure suo, non apparet cur ejus intentio dicatur inhonesta magis quam intentio exeuntis e territorio animo vitandae legis particularis. Aliud sane dicendum de casu quo lex ex. gr. abstinentiae proxime urget. Qui enim tunc ex industria impedimentum ponit, ex. gr. curando ut ad prandium invitetur ubi nihil praeter carnes apponetur, manifeste legem eludit, et ab omnibus timoratis fidelibus legem violare censebitur.

CAPUT IV.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

§ 1. DE NATURA ET AUCTORE DISPENSATIONIS.

117. DEFINITIO. Dispensatio est exemptio alicujus ab obligatione legis, facta a legislatore aut ab eo qui ab ipso hanc potestatem accepit. Supponit ergo legem universe manere cum sua vi obligandi, sed, propter voluntatem Superioris, transeunter vel etiam modo stabili jam non adstringere personas aliquas particulares.

Differt a *licentia*, quae legi consentanea potius quam contraria est. Ex. gr. si lex vetat ne religiosus domo egrediatur sine Superioris licentia, is qui licentiam petit non petit legis relaxationem, sed legem observat. Quare ad licentiam concedendam non requiruntur eaedem conditiones atque ad dispensandum.

Sedulo quoque distinguatur oportet dispensatio a *declaratione exemptionis*. Prior enim pertinet ad eamdem potestatem jurisdictionis qua legis obligatio inducta est, posterior vero, sine ulla potestate dominativa vel jurisdictionis, a privato fieri potest, ex. gr. a medico qui declarat ita nocere posse jejunium huic homini debili ut ab eo servando excusetur. (Ball. P. n. 268 seqq.)

Potest dispensatio concedi *expresse* et *tacite*. Expresse, quando verbis vel aliis signis manifestis datur; tacite, quando prudenter colligitur ex aliqua actione Superioris, ex. gr. e collatione beneficii ab episcopo facta clerico quem excommunicatum esse novit, vel ex ejus silentio quando scit inferiorem agere contra legem et facile contradicere posset. (n. 10) Numquam autem sufficit praesumptio de futuro, nixa persuasione quod Superior dispensationem, si peteretur, concessurus

esset. Hinc patet iterum discrimen dispensationis et licentiae. Ratio ejusdem, juxta Suarez (de Leg. l. 6. c. 13. n. 20), in eo est quod, ubi vetatur aliquid fieri sine licentia, actio non est simpliciter prohibita, sed solum ut non fiat absque Superioris voluntate, quae conditio extenditur, ex communi usu et prudenti ratione, ad voluntatem praesumptam. Ubi vero agitur de dispensatione, actio supponitur absolute prohibita et ob eam rationem mala, et ideo de praesenti necessaria est aliqua voluntas quae prohibitionem et consequenter malitiam auferat.

Potestas dispensandi, sicut quaelibet ecclesiastica facultas, potest esse *ordinaria* vel *delegata*. Ordinaria est quando habetur jure proprio seu vi officii quod quis obtinet, ex. gr. episcopi vel parochi; delegata est, quando non habetur vi proprii officii, sed ex beneficio et commissione alterius exercetur. Inter delegatos autem eminent qui vocantur *delegati ad universitatem causarum*, eo quod ipsis vel omnes universim causae vel saltem certum genus causarum, ex. gr. matrimonialium, committuntur. (Reiffenst. in l. 1. Decret. t. 28. n. 27 seqq.) Hi proxime accedunt ad habentes potestatem ordinariam. Plura alia, quae Canonistae de hac divisione potestatis ecclesiasticae ad h. t. tradere solent, omittemus, cum ad forum externum et potissimum ad judicia ecclesiastica pertineant; ceterum saepe alii alium sensum iisdem vocibus affigunt. (Aichner, op. cit. § 24. nota 6)

118. PRINCIPIA. I. Legislator dispensare potest valide in lege propria vel praedecessorum suorum, etiam sine justa causa.

Ratio est quod causa obligationis est legislatoris voluntas; hac retractata, cessat eo ipso effectus seu obligatio. Hoc verum manet etiamsi legislator voto vel juramento se ad non dispensandum obligasset: nam haec vincula faciunt quidem dispensationem illicitam in materia religionis, sed potestatem non adimunt.

II. Inferior nullam habet potestatem dispensandi in lege Superioris nisi quam ab eo delegatam habeat. Cum autem Superior non communicet eam facultatem nisi ut dispensetur ob justas causas, dispensatio facta sine justa causa ab eo qui habet tantum delegatam facultatem est irrita.

III. Romanus Pontifex dispensare potest:

1° In quibusdam legibus divinis, saltem probabiliter, quamvis multi hanc *proprie dictam* potestatem dispensandi Papae denegent, eo quod nullibi talis concessio facta reperiatur. (S. Alph. n. 189) Haec tamen controversia potius ad modum loquendi quam ad realem potestatis extensionem refertur. Omnes enim conveniunt tolli posse per auctoritatem S. P. vincula quae ex jure divino oriantur, ut vota, juramenta,

matrimonium ratum, etc. Sed posterioris sententiae fautores negant in tali relaxatione juris divini contineri proprii nominis dispensationem. (Ball. P. n. 290 seqq.) Haec autem extra dubium sunt : hujusmodi relaxationem voti, juramenti, vinculi e matrimonio rato oriundi esse nullam, si sine justa causa fiat (Princ. II) ; insuper hanc potestatem non extendi ad ea quae traditio probat esse prorsus immutabilia, ut vinculum matrimonii inter Christianos consummati.

2° In omnibus legibus ecclesiasticis, etiam in Concilio Oecumenico latis, cum habeat potestatis ecclesiasticae plenitudinem.

119. IV. Episcopi *de jure ordinario,* seu vi muneris episcopalis dispensare possunt :

1° In omnibus legibus suis vel antecessorum suorum, etiamsi in Synodo dioecesana latae sunt, cum etiam illae solius episcopi auctoritate sanciantur.

2° In decretis Concilii Provincialis vel Nationalis, nisi dispensatio in antecessum reservata sit. Ita probabilius sentiunt Barbosa, Suarez, de Angelis, Aichner contra Ferraris, Bouix, etc. Cfr. Aichner, op. cit. § 118.

3° In legibus communibus quarum observatio crebro recurrit. Id enim et boni communis ratio postulat et consuetudo ratum habet. Talia censentur jejunium, abstinentia, observatio festorum, recitatio officii, vota non reservata.

4° Quando facultas dispensandi episcopis in ipso jure communi tribuitur, vel expresse, ut in quibusdam irregularitatibus et in censuris occultis quae non reservantur speciali modo R. P., vel implicite, ubi in lege additur *nisi dispensetur* : talia enim verba frustra adderentur si de solius R. P. dispensatione intelligenda forent. (S. Alph. n. 190)

5° Quando difficilis est recursus ad R. P. et periculum est in mora. Tunc dispensare potest episcopus etiam in rebus quae non frequenter contingunt, ex. gr. in irregularitatibus, in votis reservatis et similibus. (S. Alph. ib.)

6° Quando dubitatur num casus dispensatione indigeat. (S. Alph. n. 192) Tunc dispensatio episcopi datur tantum *ad cautelam,* cum possit, absolute loquendo, unusquisque uti opinione probabili. Consultius tamen ad episcopum recurritur, praesertim ab indoctis qui facile hallucinari possunt. (Ball. P. n. 287)

Praeter illas facultates ordinarias, solent habere episcopi adhuc ampliores, quae ipsis non ex munere, sed ex speciali et temporanea S. Sedis concessione competunt. Hae pro variis locis et argumentis conceduntur ad quinque, decem vel quindecim annos.

Ordinarias facultates, secundum Juris principia, aliis delegare possunt. Pariter, juxta resp. S. Inqu. 17 Dec. 1898, quo controversiae de hac re vigenti finis impositus est, potest episcopus dioecesanus subdelegare,

absque speciali concessione, suis Vicariis Generalibus, aut aliis ecclesiasticis viris, generali modo vel pro casu particulari, facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas, dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi jus pro aliquibus tantum coarctetur : in hoc enim casu servanda erit ad amussim forma rescripti. (Act. S. S. t. 31. p. 384)

Tandem juvabit notasse eum qui ab uno Ordinario obtinuit dispensationem in lege communi, ob motivum quod non sit proprium territorio dispensantis, sed personae dispensati, posse eadem dispensatione uti ubique, puta ad manducandas carnes diebus abstinentiae ob causam debilitatis. Ratio est, quia privilegium mere personale adhaeret personae dispensatae, ideoque eam comitatur quocumque perrexerit. (Schmalzgr. in l. 5. Decr. t. 33. n. 111)

E principiis I et II manifeste sequitur episcopum invalide dispensare, sine justa causa, in omnibus legibus hic recensitis, iis tantum exceptis, quae sub 1° numerantur.

120. V. Parochi cum ovibus suis dispensare possunt in legibus jejunii, abstinentiae et observationis festorum, etiamsi facilis recursus ad episcopum patet. Hanc autem facultatem, utpote ordinariam, aliis delegare possunt. (Ball. P. n. 287)

Confessarii autem, extra casum specialis concessionis, nullam dispensandi facultatem habent ; possunt tantum declarare rationem quamdam sufficere ad excusandum a lege.

121. QUAER. I. Num Superior secum ipso dispensare possit.

RESP. Distinguendum inter ipsum legislatorem et Superiorem subordinatum. Prior probabilius subjicitur tantum vi directivae, non coactivae legum suarum : quare, secluso gravi scandalo aliorumve damno, venialiter tantum peccat ubi, sine justa causa, legem propriam non servat. Nulla autem videtur manere obligatio si rationabilem causam habeat ob quam se communitati non conformet. Vel si manet obligatio (ut aliis placet) secum ipso dispensare potest : quia exercitium jurisdictionis voluntariae non requirit distinctionem personarum. Qui autem, potestate ordinaria vel delegata, in legibus Superioris dispensant, possunt hac facultate etiam in sui favorem uti. Quod praestare possunt vel directe secum ipsis dispensando, vel facultatem dispensandi alii viro prudenti, ex. gr. confessario, committendo. (Bouquil. Th. Mor. fund. n. 170)

QUAER. II. Num episcopus dispensare possit cum peregrinis.

RESP. Probabile est hanc facultatem ei competere erga eos omnes qui, etiam sine animo diutius commorandi, in ejus dioecesi versantur, eamque extendi non solum ad leges communes, ex.gr. abstinendi ab operibus servilibus, sed etiam ad vota et juramenta. Rationes varias afferunt AA. Quidam (cit. a S. Alph. n. 158) innituntur vinculo subjectionis quo autumant, per accessum etiam unius diei, peregrinum cum episcopo loci ligari. Unde sicut, eorum sententia,tenetur loci illius legibus, aequum est ut gaudeat ejusdem privilegiis. Alii, ut Ball. P. (n. 203), rectius recurrunt ad consensum episcopi proprii peregrinorum, qui supponendus est velle ut subditi sui, etiam in alieno territorio, gaudeant hac facultate quae omnibus ubique in promptu esse debet.

Similiter opinamur parochis inesse facultatem dispensandi cum peregrinis in sua parochia commorantibus : nam par est ratio. Id tamen non est extendendum ad incolas alienae paroeciae qui ad propriam redierunt: id enim, ob summam facilitatem adeundi alias paroecias, confusionem et dissidia gigneret.

QUAER. III. Num episcopus dispensare possit cum Regularibus exemptis.

RESP. Per se id nequit, cum Regulares aliive Religiosi exempti non sint ejus subditi, neque privilegio suo renuntiare possint ut se episcopo subdant. Attamen, ne quod in eorum favorem concessum est in ipsorum detrimentum retorqueatur, possunt, cum Praelati sui consensu, uti episcopalibus dispensationibus. Imo, ubi episcopi non dispensant auctoritate propria, sed tantum promulgant dispensationes nomine Sedis Apostolicae, ut contingit in annuis indultis quadragesimalibus circa observantiam ciborum, iisdem uti possunt omnes Regulares qui speciali voto ad has observantias non tenentur. Hae enim sunt dispensationes Pontificiae potius quam episcopales. (1) Quare si horum Regularium Superiores vetant ne subditi talibus dispensationibus utantur, haec prohibitio obligabit tantum sicut reliqua Superiorum mandata.

Ceterum cum singulis Regularibus possunt Praelati eorum, etiam locales (nisi aliter in ipsorum Constitutionibus definiatur), dispensare in legibus Ecclesiae communibus, ut abstinentiae, observationis festorum, Horarum Canonicarum, etc. Habent enim hujusmodi Praelati in suos potestatem quasi episcopalem. Eamdem vel etiam ampliorem facultatem solent quoque habere per specialia privilegia. (Lehmk. I. n. 165 seqq.)

(1) Cfr. Piat. Prael. J. Reg. I. p. 385, (1ª edit.) ubi allegatur responsum S. Officii in hunc sensum.

§ 2. DE CAUSIS DISPENSATIONUM.

122. PRINCIPIA. I. Ut Superior licite concedat et inferior licite petat dispensationem, requiritur justa causa.

Ratio pro Superiore est, quod dispensando sine causa committit vitium *acceptionis personarum* et querelis locum praebet; pro inferiore vero, quod Superiorem ad rem illicitam inducit. (Ball. P. n. 273) Attamen si dubitatur num causa sit justa, licet dispensationem petere et concedere: secus enim durissimum onus Superiori et inferioribus imponeretur, cum in moralibus tam crebro hujusmodi dubia solvi nequeant. (S. Alph. n. 178)

Per se venialiter tantum peccat legislator sine justa causa in lege sua dispensans, quamvis interdum grave peccatum fieri posset ob damna et mala magni momenti, quae ex dispensatione arbitraria praevideantur secutura. Similiter dicendum de subdito qui tali dispensatione uteretur, quippe quae, cum valida sit, tollat legis obligationem. (S. Alph. l. c.) Verum, ob contrariam rationem, graviter peccant inferior praelatus qui, sine justa causa, in lege Superioris graviter obligante dispensationem concedit, et subditus qui eadem utitur. Semper tamen praesumendi sunt Superiores ob justam causam dispensare, donec contrarium evidenter pateat.

II. *Justa* censetur causa dispensandi quae nec tanta est ut per se a lege eximat, nec tam levis ut censeatur personarum acceptio aliquam partem communitatis propter talem causam a generali obligatione eximere.

Desumi autem potest justa causa non tantum ex incommodo quod alicui e legis observatione oriatur, sed etiam a majore bono obtinendo, a personae dispensandae meritis, etc. (Ball. P. n. 280) Nulla tamen generali regula haec justa mensura determinari potest. Plurima enim inspicienda sunt in singulis argumentis, ex. gr. utrum lex majoris an minoris sit momenti, utrum bonum commune in his locis et temporibus severitatem an benignitatem postulet, etc. Quandoque etiam durities cordis seu metus gravioris mali ad facilius dispensandum impellet.

123. III. Quotiescumque in petenda gratia, *dolose* i. e. per fraudem vel malitiam falsitas exprimitur vel veritas reticetur (1), rescriptum

(1) Multi AA. distinguunt inter subreptionem seu suppressionem veri et obreptionem seu expressionem falsi. Haec tamen distinctio nullius momenti est, cum juridice in eodem censu ponantur reticentia veri et expressio falsi.

et quidem probabilius quoad omnes suas partes, invalidum est. Etenim Decr. l. 1. t. 3. c. *Super litteris,* statuit Innocentius III de iis qui dolo utuntur: " Quod ipsi, in suae perversitatis poenam, *nullum* ex illis litteris commodum consequantur. „ Attamen pro foro saltem interno, probabilis est sententia Sanchezii (de Matr. l. 8. disp. 21. n. 70) et aliorum docentium per hujusmodi dolum illud tantum vitiari capitulum in quo adhibitus sit, non item aliud a priori separatum penitusque independens.

Quando per simplicitatem vel ignorantiam falsitas exprimitur vel veritas reticetur in petenda gratia, rescriptum vitiatur tantum si error versatur circa causam *motivam* seu *finalem*, i. e. talem ut, cognita veritate, rescriptum non fuisset concessum; rescriptum manet validum si error versatur circa causam mere *impulsivam*, i. e. talem ut, veritate cognita, rescriptum nihilominus fuisset concessum.

Quaenam causa finalis et quaenam impulsiva dicenda sit, praesertim *e stylo curiae* dijudicandum est. Si, investigatione facta, dubium manet, praesumitur impulsiva: quia in dubio standum est pro valore actus. Ita pariter communis doctrina Canonistarum ex eadem decretali. (Reiffenst. l. c.) Hinc si in rescripto una tantum causa allegatur eaque falsa, dispensatio nulla est: nequit enim Superior supponi dispensare absque causa. Idem dicendum si plures causae allegatae tantum copulative sumptae, e stylo curiae, ad dispensandum sufficerent et partim falsae forent. (Ball. P. n. 354)

IV. Dispensatio metu extorta valet, dummodo justa sit dispensandi causa. Excipitur tantum casus quo constaret Superiorem rescriptum dedisse sine animo dispensandi. (S. Alph. n. 184) Ratio est quod metus, jure naturae, voluntarium non tollit, neque ulla lege positiva tales dispensationes irritantur. Si tamen metus injuste incussus fuisset, liberum foret Superiori dispensationem revocare.

§ 3. DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

124. Triplici ratione cessare potest dispensatio jam concessa vel etiam in usum deduci coepta: cessatione causae motivae, revocatione Superioris, renuntiatione dispensati a Superiore acceptata.

I. Cessante totaliter causa motiva, cessat quoque dispensatio quam Superior voluit concedere tantum sub tacita conditione *si causa perduret;* non cessat ea quae absolute concessa est.

Non raro autem difficile est discernere utrum sub illa conditione an

absolute concessa fuerit. Saepe ad stylum curiae, consuetudinem et probatos auctores recurrendum erit. Regulam hanc tradit Suarez (de Leg. l. 6. c. 20. n. 18) : Cessante causa motiva, cessat dispensatio quae non ita datur ut statim totum vinculum legis auferat, sed potius ita ut illud successive auferat prout successive ipsa lex obligaverit. Sic desinit dispensatio a jejunio quadragesimali data ob morbum, quando hic penitus cessavit. Idem dicendum de dispensatione indefinite data in abstinentia, recitatione breviarii et similibus. Nam in tali materia nequit justa esse causa dispensationis nisi quatenus habet *tractum successivum* cum ipsa lege. — Absolute autem et independenter a duratione causae motivae datur dispensatio " quae statim *tota simul* conceditur et habet quasi indivisibilem effectum, tollendo inhabilitatem, impedimentum aut votum.„ (Suar. ib.) Ita manet dispensatio in impedimento consanguinitatis data et ab exsecutore exsecutioni commissa ad legitimandam prolem e commercio incestuoso susceptam, licet infans moriatur antequam dispensati matrimonio uniantur, neque ulla alia causa motiva allegata fuerit. Pariter is qui ob paupertatem dispensatus est a constituendo titulo patrimonii quo sacros ordines suscipiat, manet ab hac obligatione solutus, etiamsi ante ordinum susceptionem fiat dives.

125. II. Revocatio dispensationis facta ab ipso legislatore est semper valida quia eamdem obligationem quam abstulit, potest semper, saltem valide, iterum imponere. Excipe tamen casum quo obstaret aliud vinculum jam usu dispensationis contractum, ex. gr. vinculum matrimonii legitime initi post sublatum impedimentum. Nec vota, semel per dispensationem sublata, per Superioris voluntatem reviviscere possunt.

Praelatus inferior qui, potestate vel ordinaria vel delegata, in lege Superioris dispensavit, ex. gr. episcopus in lege abstinentiae per Quadragesimam, potest illam dispensationem ex justa causa revocare; si tamen justa causa deesset, vel si dispensatio semel absolute concessa esset, puta ad tollendam irregularitatem, invalide revocaret. (S. Alph. n. 197)

III. Per renuntiationem a dispensato factam, effectu nondum secuto, cessat dispensatio, sed tantum quando renuntiatio a Superiore acceptata est. Si quis enim a legis vinculo solutus est, nonnisi Superioris auctoritate iterum eodem ligari potest. Per se autem licita est talis renuntiatio nisi redundet in damnum alterius vel communitatis, in cujus favorem dispensatio concessa sit : nam per se unusquisque favoribus sibi datis renuntiare potest.

Nemo autem censendus est renuntiasse dispensationi eo quod per longum tempus, ex. gr. decennium, ea usus non est vel actum contrarium posuit, puta si dispensatus ad matrimonium ineundum cum Bertha, duxit Titiam. (S. Alph. n. 198)

Morte dispensantis non cessat dispensatio absolute concessa, quia gratia, etiamsi nondum ad ejus exsecutionem processum sit, non perimitur morte concedentis (c. *Si super,* de Off. et potest. judicis delegati, in 6°). Idem dicendum si concessa est *donec revocetur* vel *ad arbitrium Sedis Apostolicae* vel *episcopi.* Cessat autem si Superior dispensaverit *donec ei placuerit* vel *ad suum arbitrium.* (S. Alph. n. 197) Attamen etiam pro his posterioribus formulis potius standum est consuetudini, qua interdum prioribus aequiparantur, quam nativae verborum significationi. Cfr. Vol. II. n. 327.

CAPUT V.

DE CESSATIONE LEGIS.

126. Triplici ratione cessare potest lex ecclesiastica (nam de hac tantum directe agimus) : abrogatione, desuetudine, cessatione finis ob quem lata est.

I. Abrogatio legis in hoc consistit quod totius legis obligatio per ipsum legislatorem ejusve successorem aut superiorem tollitur. Hoc fieri potest vel simpliciter declarando legem jam vi obligandi carere, vel ferendo novam legem quae legi praeexistenti sit *prorsus contraria.* Ita Romanus Pontifex abrogare potest omnes leges mere ecclesiasticas, etiam in Concilio generali latas. Cfr. n. 87 seqq.

Abrogationi affinis est *derogatio* qua Superior tantum unius alteriusve articuli obligationem tollit, reliqua lege robur suum servante.

127. II. Desuetudo, seu consuetudo contraria legi, ejus obligationem tollere potest ; sed necesse est ut gaudeat debitis conditionibus, quae ad quatuor capita reduci possunt : ad communitatem, ad legislatorem, ad consuetudinem ipsam, ad tempus quo vigere debet. Cfr. praesertim Aichner, Comp. Jur. eccl. § 12.

1° Ex parte *communitatis* requiritur :

a) Ut consuetudo vigeat in communitate quae saltem sufficiens sit ut ei vera lex, non tantum simplex praeceptum, imponatur. Hinc legem abolere potest consuetudo contraria vigens in aliqua dioecesi, in corporatione ecclesiastica, in peculiari hominum classe, ex. gr. clericorum vel judicum; inefficax vero est consuetudo privatae familiae vel personae. Cfr. Reiffenst. in l. 1. Decr. t. 4. n. 110 seqq.

b) Ut consuetudo vigeat in majore communitatis parte : siquidem haec sola communitatem repraesentat.

c) Ut actus sint *frequentati,* quamvis numerus actuum requisitus prudentum judicio relinquendus sit; — *publici,* ita ut usus ex iis demonstrari possit; — *voluntarii,* eo sensu quod populus cognoscat legem et contra eam praescribere velit. Non desunt tamen AA. qui existiment valere consuetudinem diuturnam etiamsi populus legem prorsus ignorasset. A fortiori valebit si populus, bona fide, existimavit legem ad se non pertinere vel ad quosdam casus revera inclusos non extendi.

2° Ex parte *legislatoris,* requiritur et sufficit consensus saltem *legalis* seu modo generali legibus expressus. Talem autem consensum in Jure ecclesiastico dari omnibus consuetudinibus rationabilibus et legitime praescriptis, eruitur ex. gr. c cap. fin. de Consuet. in quo Gregorius IX scribit : " Licet etiam longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura ut vel juri positivo debeat praejudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime sit praescripta. „

Quodsi legislator novit aliquam consuetudinem contrariam legi suae vigere et silet, quamvis commode contradicere possit, probabilius statim legis obligatio cessat. (Reiffenst. l. c. n. 93) Cfr. nn. 10 et 104.

3° Ex parte ipsius *consuetudinis,* requiritur ut sit *rationabilis.* Hanc conditionem ita explicat Reiffenst. (l. c. n. 34) : " Ea consuetudo, generatim loquendo, est irrationabilis quae vel juri naturali aut divino adversatur, vel a Jure canonico reprobatur, vel peccandi licentiam aut occasionem praebet, vel alia ratione communi utilitati perniciosa est; quae vero in nullo horum deficit, censetur rationabilis. „

De clausulis autem quae Constitutionibus Pontificiis addi solent et quibus prima fronte videri possint reprobari in perpetuum omnes consuetudines contrariae, haec breviter notasse juvabit :

a) Clausula : *Nulla obstante consuetudine,* tollit consuetudines praesentes, non futuras.

b) Clausula : *Nolumus contra hanc legem consuetudinem valere* vel *exclusa consuetudine contraria in futurum,* non impedit quominus contra talem legem valeat consuetudo immemorialis vel, ut alii opinantur (ex. gr. Suarez, l. 7. de Leg. c. 9. n. 21), etiam tempore ordinario vigens. Rationem optime explicat Aichner (op. cit. § 17) : " Omnes leges disciplinares, sive facilius, sive difficilius, veluti natura sua rationabiles consuetudines admittunt. At vero clausula legibus apponi solita *exclusa quavis consuetudine contraria in futurum* pariter non est nisi lex disciplinaris, quae *natura sua* admittere potest consuetudinem contrariam... Proinde valor et finis hujus clausulae, si apponatur, non alius esse potest, quam difficiliorem reddendi consuetudinem novae legi contrariam, ac vigilantiam peculiarem auctoritatis ecclesiasticae excitandi, ne consuetudo contraria invalescat. „

c) Clausula : *Consuetudinem contrariam, quae potius corruptela*

dicenda est, penitus reprobamus et similes, absolute impediunt ne valeat consuetudo contraria, quippe quae ab ipso legislatore irrationabilis esse declaratur. Nihilominus si, mutatis adjunctis, tollitur a consuetudine ratio ob quam a legislatore reprobata est (quod crebro contingere potest), jam poterit contra legem, tali clausula munitam, praevalere. (Reiffenst. l. c. n. 45 seq.)

4° *Tempus* requisitum et sufficiens ad legem ecclesiasticam per contrariam consuetudinem abrogandam universe statui potest decennium. Ita probabilius Reiffenst. (l. c. n. 105) cum multis DD. contra alios qui longius tempus requirunt vel nullum tempus determinari posse putant. Hic tamen supponitur nullatenus agi de praescribendo jure alieno.

128. III. Cessatio finis adaequati in aliqua communitate tollit legis obligationem. Hoc autem ita intelligendum ut finis legis cesset *totaliter* : nam si e duobus finibus ob quos lata est lex, unus subsistit, non cessat finis adaequatus, quippe qui utrumque complectitur ; — *universaliter*, seu pro majore communitatis parte ; — *constanter* : nam si brevi tantum tempore cessaret, obligatio tantum ad tempus suspenderetur. Ratio asserti est quod nequit obligare lex inutilis. (n. 83)

Quodsi finis legis cessat tantum in casu vel persona particulari, convenit inter AA. cessare legis obligationem, quando finis cessat *contrarie*, i. e. quando observatio legis foret nociva vel cum nimia difficultate conjuncta (n. 114) vel prorsus inutilis. Ideo liceret librum prohibitum legere absque facultate, si ea forent adjuncta ut nec facultatem petere, nec lectionem absque impotentia defendendae religionis catholicae omittere possis. Sic etiam non teneris denuntiare sectae occultae coryphaeum ubi publice tamquam coryphaeus notus est. (Vol. II. n. 596) Neque ipsa lex naturalis, ex. gr. correptionis fraternae obligat, ubi constat finem illius nullatenus attingi posse. (n. 219)

Verum ubi finis legis cessat tantum *negative*, i. e. si lex neque prorsus inutilis, neque moraliter impossibilis evadit, sed tantum non obtinetur in casu vel persona particulari finis a legislatore intentus, manet obligatio legis. Nam, ut leges positivae, praesertim maxime usuales, efficaciter vigere pergant, moraliter necessarium est ut omnes eisdem adstringantur : secus plurimi, recte vel perperam opinati finem legis pro ipsis cessare, a legis observatione recederent aliosque multos post se traherent. Quare legislator ecclesiasticus, perinde ac civilis, regulariter censendus est leges suas urgere etiam pro iis casibus vel personis in quibus tantum negative cessant. (La Croix, de Leg. n. 868) Sic ex ipsa praxi manifestum est non solvi a lege abstinentiae eum qui piscibus magis quam carne delectetur. Idem a fortiori dicendum est de legibus quae fundentur in periculo universali, puta perversionis e lectione

librorum pravorum secuturae, invaliditatis matrimonii ex omissis proclamationibus, etc. Nam, si unicuique parocho vel fideli liceret hujusmodi legum observantiam omittere quotiescumque censerent ex hac omissione nullum sequi perversionis, nullitatis, etc. periculum, finis legis attingi non posset. Plurimi enim optima fide crebro existimarent molestas humanae socordiae cautiones non esse necessarias : ac proinde multa matrimonia invalide contraherentur, plurimi (ut lugenda experientia constat) librorum prohibitorum, quos innocuos putarent, lectione fidem moresve amitterent, etc. (Ball. P. n. 376 seqq.)

Quidam AA., ut Tamburini (in Dec. l. 2. c. 1. § 38), saltem probabile censent : cessare legem quotiescumque etiam mere negative cessat ejus finis in casu particulari. Nituntur paritate cum cessatione legis ubi pro communitate cessat adaequate ejusdem finis : fit enim inutilis saltem in illo casu vel particulari persona. Sed, ut supra dictum est, falso asseritur inutile esse ad bonum commune ut unusquisque legem servet, etiam ubi pro eo cessat finis ejus adaequatus : siquidem haec universalis obligatio ad legis efficaciam vix non necessaria est. De hac opinione scribit S. Alph. (de Leg. n. 199) : " Si aliquando casus accideret quod aliquis omnino certus et securus esset abesse omne hallucinationis periculum, tunc non auderem secundam sententiam improbare : sed hujusmodi casus rarissime poterit evenire. „ Sed haec qualiscumque probabilitas vix non mere speculativa est, tum quia hypothesis qua nititur rarissima dicitur, tum quia praecipua ejus consequentia quoad libros prohibitos passim ab AA. et ab ipso S. Alph. (l. c.) rejicitur. (1)

129. SCHOLION DE CONSUETUDINE. Consuetudine quae dicitur *praeter legem* etiam nova obligatio introduci potest. Ad hoc autem

(1) Non censemus tamen hanc consequentiam, admissa probabilitate hujus sententiae, logice repudiari. Rationes affert S. Alph. (l. c.) : 1° Non cessare omnino periculum in lectione librorum pravorum. Verum saepe de absentia periculi pro certa persona in quibusdam libris legendis experientia omnino constat : imo licentia non tollit periculum, sed datur iis pro quibus deesse supponitur. — 2° Non cessat finis adaequatus, cum finis sit etiam ut servetur obedientia Ecclesiae in materia tam periculosa et ne detur ansa haereticis vel malis scriptoribus perniciosa typis demandandi. Sed gratis asseritur Ecclesiam intendisse *tamquam finem* ut sibi obedientia praestetur in hac re. Haec enim obedientia in hac lege, perinde atque in ceteris omnibus, non est nisi medium quo finis ab Ecclesia intentus obtineatur. Reapse Ecclesia in prohibitione librorum intendit " ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet „ ex quo fiat " ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. „ (Leonis XIII Const. *Officiorum ac munerum*) Insuper saepe nulla dabitur ansa edendi libros pravos, ut puta si jam penes me habeam librum haereses propugnantem.

requiruntur conditiones similes illis quae necessariae sunt ut consuetudo legi contraria obligationem tollere possit. Nempe oportet ut major pars communitatis diuturno tempore (saltem per decennium) actus aliquos tamquam obligatorios frequentaverit. Quodsi omnes illae conditiones adsunt, consentiunt Canonistae consuetudinem hujusmodi, in lege ecclesiastica, per legalem R. P. consensum vim legis obtinere. Ita communiter admittitur introductum esse impedimentum dirimens disparitatis cultus. At si populus ex mero errore actus aliquos tamquam obligatorios exerceret, ex. gr. Missam aliquo die audiret, eo quod perperam existimaret eam esse praeceptam, nulla inde obligatio induceretur. Ceterum haec potius juvant ad originem aliquarum legum hodie vigentium explicandam quam ad novas introducendas : nam raro constabit de animo communitatis aliquam obligationem sibi imponere volentis quam tamen aliunde abesse norit.

Si lex quaedam consuetudine abrogata est, postea autem iterum observari coepit, plures AA. ut Suar. (de Leg. l. 4. c. 16. n. 13) censent legem hanc statim iterum obligare, quia suspensa est tantum donec communitas in sua consuetudine vult persistere, nec jure suo cedere incipit. Alii, ut Schmalzgr. (in l. 1. Decr. t. 4. n. 38), opinantur non renasci obligationem, utpote exstinctam, antequam nova consuetudo legitime praescripta sit, nempe per decennium. Quidam, ut Reiffenst. (in h. t. n. 196 seqq.), utramque sententiam, nihil definientes, proponunt. In foro igitur interno nulla obligatio urgenda est antequam decennium elapsum sit.

CAPUT VI.

DE PRAECIPUIS LEGUM SPECIEBUS.

§ 1. DE LEGE NATURALI.

130. DEFINITIO. Lex naturalis est ordinatio rationis per Sapientiam divinam facta et per lumen rationis a Deo omnibus manifestata. (Schmalzgr. in Prooem. n. 54) Manifestatio haec se habet promulgationis instar et ad perfectam naturam legis ducit eam quae dici solet *lex aeterna*. Haec enim *modo generalissimo* sumpta " nihil aliud est quam ratio divinae Sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum creaturarum in suos fines. „ (S. Th. 1. 2. q. 93. a. 1) Ut autem *speciatim* ad creaturas rationales spectat, est actus divini

Intellectus ab aeterno concipientis regulas necessarias ut creaturae liberae, quae creari possint, ad Deum tamquam finem suum dirigantur et divinae Voluntatis obligationem creaturis liberis imponentis ad easdem regulas servandas. Plura de his apud Philosophos Morales.

DIVISIO. 1° Praecepta legis naturalis, sicut ceterarum legum, possunt dividi in affirmativa, negativa, permissiva, irritantia.

Affirmativa praecipiunt ea quae a natura rationali ita exiguntur ut necessario a Deo praecipienda sint. *Negativa* similiter vetant ea quae ita eidem naturae rationali adversantur ut necessario sint vetanda.

Permissiva vero praestant facultatem ut actiones quaedam valide aut licite hac vel illa ratione fiant, ex. gr. ut matrimonium valide sine testibus contrahatur; non requirunt tamen ut semper eaedem actiones maneant validae vel licitae. *Irritantia* tandem faciunt quosdam actus ob defectum substantialem nullos, ex. gr. polyandriam simultaneam.

2° Distinguuntur praecepta *absoluta,* seu ab omni conditione independentia, ex. gr. Deus colendus est, et *conditionata,* quae supponunt aliquod factum, ex. gr. juramentum est servandum. Hoc factum quandoque potest esse supernaturale. Ita dicitur lex naturalis praescribere actum fidei homini cui credibilitatis motiva satis proposita fuerint. Hinc oritur jus naturale *absolutum* et *hypotheticum.*

3° Inter varia juris naturalis dictamina distinguuntur etiam ea quae exprimunt id quod absolute a natura rationali exigitur, ex. gr. ne sit polyandria, et ea quae exprimunt naturae rationalis inclinationem, ex. gr. ne sit polygynia. Priora jus *strictum* seu *primarium,* posteriora jus *latum* seu *secundarium* constituere dicuntur.

N. B. Ad legem naturalem prope accedunt ea quae sunt *Juris gentium,* secundum S. Thomam et communem veterum consuetudinem intellecti: " Nam ad jus gentium pertinent ea quae derivantur ex lege naturae sicut conclusiones ex principiis, ut justae emptiones, venditiones et alia hujusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt: quod est de lege naturae, quia homo est naturaliter animal sociabile. „ (1. 2. q. 95. a. 4) Angelicus affirmat quidem (l. c.) jus gentium contineri sub jure positivo; sed tamen, ubi discrimen ejus a lege naturali explicat, id valde exiguum esse innuit." Jus gentium (ib. ad 1^{um}) est quidem aliquo modo naturale homini, secundum quod est rationalis, in quantum derivatur a lege naturali per modum conclusionis, quae non est multum remota a principiis, unde de facili in hujusmodi homines consenserunt; distinguitur tamen a lege naturali, maxime ab eo quod est omnibus animalibus commune. „ Quod ultimum fusius explicat in 2. 2. q. 57. a. 3. ubi ponit duplicem sensum quo aliquid possit dici naturale, et concludit: " A jure autem naturali recedit

jus gentium, ut Jurisconsultus dicit (Lib. I ff. de Just. et Jure), quia illud omnibus animalibus, hoc solum hominibus inter se commune est.„ Quare plura ex iis quae a S. Thoma aliisque veteribus dicuntur esse juris gentium eo quod jus naturale strictiori sensu usurpabant, hodie, cum jus naturale latiori sensu adhiberi soleat, ad hoc referenda sunt. Exemplum habes in divisione bonorum.

Alio prorsus sensu jus gentium apud recentiores plurimos usurpatur pro jure quod inter gentes viget seu quo relationes variarum gentium inter se reguntur : quod profecto partim ad jus naturale et immutabile, partim ad jus conventionale et mutabile pertinet. Videsis egregium libellum P. Van Gestel S. J. de Justitia et Lege civili, cap. I. § 4.

131. QUAER. I. Quatenus legis naturalis praecepta ab homine rationis usu gaudente ignorari possint.

RESP. 1° Dari facile potest ignorantia facti, qua scil. homo, conscius prohibitionis generalis, nescit hoc illudve concretum factum prohiberi. Insuper, si excipiuntur principia plane universalissima, ex. gr. *bonum faciendum, malum fugiendum,* cetera *vincibiliter* ignorari posse satis constat. Possunt enim de cordibus hominum deleri propter pravas consuetudines et habitus corruptos. Cfr. Rom. I, 24 seqq.

2° *Invincibiliter* ignorari nèqueunt, saltem diu, ea quae cum modica consideratione e primis et communibus principiis derivantur. Haec enim statim ratio naturalis per se judicat facienda vel non facienda esse. Talia sunt pleraque Decalogi praecepta, ex. gr. *Honora patrem et matrem. Non furtum facies.* (S. Th. 1. 2. q. 100. a. 1) Haec tamen interdum invincibiliter ignorari posse videntur, praesertim a rudibus, a pueris, ab iis qui in gentibus plane barbaris educati sunt. Ita a pueris ignorari potest malitia pollutionis, a rudioribus malitia mendacii officiosi, etc. Attamen, antequam admittatur error tamquam invincibilis, interrogandi sunt qui eo laborare videntur num confusam saltem malitiae cognitionem habuerint et inquirendi obligationem perceperint. In iis enim quae cuique obvia sunt *praesumendus* est error fuisse vincibilis.

3° *Invincibiliter* ignorari possunt illa praecepta legis naturalis quae subtiliori consideratione a generalibus principiis deducuntur. Haec enim rudiores tantum a sapientibus discere possunt. (S. Th. l. c.) Imo etiam sapientissimos invincibiliter ignorare posse quasdam conclusiones remotiores, liquido patet e dissensu DD. et etiam Sanctorum Patrum circa quasdam legis naturalis, praesertim in extraordinariis adjunctis, applicationes. Cfr. Ball. P. de Act. Hum. n. 80 seq. ubi citatur textus S. Augustini (de Serm. Dom. in monte, l. 1. c. 16. n. 50) dubitantis num,

in quibusdam adjunctis, uxor, consentiente marito, adulterium patrare debeat.

Facilius admittendus est error quando duo praecepta in partem oppositam trahere videntur, ex. gr. proposita quaestione num ad eleemosynam faciendam furari liceat, vel quando lex civilis aliquid moraliter malum permittit aut saltem tolerat. Ita Sporer (Theol. Sacr. P. IV. c. 3. n. 572) citatis aliis DD. admittit dari posse ignorantiam invincibilem de malitia fornicationis, etiam inter Christianos, in locis ubi permittuntur meretrices publicae, eo quod rudes non distinguant inter licitum sine culpa et permissum sine poena, quod testimonio confessariorum in iis locis constare dicit. Etiam S. Thomas (de Malo, q. 3. a. 8) admittit invincibiliter ignorari posse fornicationis prohibitionem.

Speciatim inquirere solent DD. num dari possit in rudioribus ignorantia invincibilis circa malitiam pravi desiderii quando norunt ipsum actum externum, ex. gr. fornicationis, esse graviter malum. Consentiunt autem ut negent hoc fieri posse, ubi de desideriis *vere efficacibus* agitur, eo quod nequit a peccato excusari qui vult exsequi rem quam a Deo prohibitam esse novit. Plerique tamen admittunt talem ignorantiam dari posse in desideriis *inefficacibus* et *conditionatis* : quod valde probabile est, siquidem tot quaestiones circa malitiam talium desideriorum inter DD. disputantur. Cfr. S. Alph. de Consc. n. 9 ; Ball. P. de Consc. n. 46.

In tali argumento confessarius praesumptione quidem duci debet, sed simul prudenter investigare num, in casu dato, praesumptio cedere debeat veritati, cum difficillimum sit certos limites ignorantiae humanae ponere.

132. QUAER. II. Quatenus legis naturalis praecepta sint mutabilia.

RESP. 1° Nequit lex naturalis mutari *ab intrinseco*, cum in ipsa rerum natura fundetur. Si qui DD., ex. gr. S. Th. (1. 2. q. 94. a. 5), tenent eam mutari posse in aliquo particulari propter speciales causas impedientes observantiam aliquorum praeceptorum, id unice videntur intendere : legem naturalem, utpote in mentibus tantum scriptam, efferri solere formulis valde generalibus, ex. gr. *depositum est reddendum, secretum servandum*, subauditis quibusdam conditionibus quas lex ipsa naturalis supponit, ex. gr. *dummodo depositum repetatur rationabiliter, dummodo secretum sine detrimento reipublicae servari queat.* Hinc, ubi non verificantur hujusmodi conditiones, videtur cessare in casu particulari lex naturalis dum revera servatur.

2° Neque *ab extrinseco* mutari vere potest lex naturalis per dispensationem : siquidem ipse Deus, supposita creandi voluntate, necessario

velle debet ut ordo ex ipsis rerum naturis oriundus servetur. Dispensationes autem apparentes praecipue explicantur mutatione quae in ipso objecto facta sit. Ita Deus, dum Abraham jussit filium suum immolare, non dispensavit in praecepto quo homicidium vetatur, sed concessit Abrahae jus quod Ipsi in omnium hominum vitam competit. Similiter relaxando jus quod Ipsi ex voto acquisitum est, efficit ut jam non habeatur objectum quod lex naturalis intendit ubi jubet votum servandum esse. Magis manifestum est non dari dispensationem proprie dictam in lege naturali, ubi permittuntur quaedam quae juri tantum lato adversantur, ex. gr. polygynia, divortium. Cfr. Bouquillon, Theol. Mor. fund. n. 68 seqq.

§ 2. DE LEGE POSITIVA DIVINA.

133. Lex positiva divina ea dicitur quae oritur a libera Dei voluntate. Manifestum est de ea per solam revelationem constare posse. Ideo, ut cognoscamus quaenam leges positivae divinae homines obligent, ad revelationem tum veteris, tum novi Testamenti recurrendum est.

I. E **revelatione primitiva et Mosaica** remanent hodie servanda tantum *moralia* praecepta.

Ratio est, quod cetera praecepta, nempe caeremonialia et judicialia, abolita sunt cum forma cultus divini et oeconomia politica quam Deus populum judaicum servare praeceperat donec Christus novum Testamentum instituerit.Moralia vero servanda remanent : his enim declaratur tantum magisque determinatur jus naturale ; deinde Christus non solum ea nullatenus abrogavit, sed et diserte confirmavit. (Matth. V, 17) Talia sunt Decalogi praecepta et lex ab initio mundi lata ad sanciendam matrimonii unitatem et indissolubilitatem. (Matth. XIX. 4 seqq.)

134. II. In **revelatione Christiana** pariter distinguere est praecepta divina quae immediate ad mores dirigendos et praecepta quae immediate ad cultum divinum vel oeconomiam reipublicae spectant.

Praecepta *moralia* nulla Christus addidit iis quae jure naturali omnes adstringebant. Verum quidem est praecepta virtutum theologalium se extendere ad quaedam objecta nova, ex gr. ad credendum *explicite* Incarnationis mysterium, ad sperandam remissionem peccatorum *explicite* per Christum.Sed ista extensio,supposita horum objectorum propositione a Christo facta, ex ipsa lege naturali sequitur. (n. 130) Proposuit insuper divinus Legislator altiorem prorsus perfectionem, sed per modum consilii, non praecepti.

Praecepta *caeremonialia* seu ad cultum pertinentia dedit Christus dum N. L. Sacrificium et Sacramenta instituit.

Praecepta *judicialia* seu ad oeconomiam reipublicae christianae spectantia, Christus non dedit nisi quatenus Ecclesiam hierarchicam instituit cui fideles omnes subesse jussit.

Leges immediate a Christo latae videntur afficere omnes homines, eo sensu quod omnes obligantur ad Ecclesiam ingrediendam et, postquam illam ingressi fuerint, ad implenda cetera praecepta quae baptismum supponunt, ex. gr. suscipiendi S. Eucharistiam. Ratio est quod, saltem a tempore quo Apostoli per omnem terram Evangelium praedicavere, sufficienter promulgata est lex Christi ut moraliter in omnium cognitionem venire possit. Quodsi multi eam adhuc ignorant, ii propter deficientem cognitionem legis ab ea servanda excusantur. (n. 102)

§ 3. DE LEGE ECCLESIASTICA.

135. Pleraeque quaestiones de hac lege jam supra enodatae sunt, praecipue Cap. II. § 1. Hic manet tantum tractanda quaestio satis implexa de auctoritate decretorum quae a SS. Congregationibus Romanis eduntur.

Breves quasdam notiones praemittemus de iis Congregationibus quarum decreta frequentius a Theologis Moralibus citantur.

1° *Congregatio S. Officii seu Romanae et Universalis Inquisitionis* a Paulo III anno 1542 instituta. Ei praesidet ipse R. Pontifex. Illius S. C. est judicare de causis haeresis vel aliorum scelerum quae, ex Jure, aliquem de haeresi suspectum faciunt; insuper quaestiones ad fidem et sanam doctrinam pertinentes decreto disciplinari dirimere.

2° *S. Congregatio Indicis* a S. Pio V instituta et a Benedicto XIV novo ordine composita. Haec, tamquam subsidium S. Inquisitioni ferens, libros fidei vel moribus infensos reprobat ac prohibet.

3° *S. Congregatio Concilii Tridentini Interpretum*, quae brevius dici solet *S. C. Concilii*, a Pio IV anno 1564 erecta. Haec initio nullum aliud munus habebat quam ut Concilium Tridentinum interpretaretur. Postea autem a Pio V et Sixto V insuper potestatem accepit dirimendi tum per viam judicii, tum per viam interpretationis, dubia quae, etiam extra Tridentini materiam, in quacumque Juris canonici parte orirentur. Decreta sua, interdum sua tantum auctoritate, interdum, in gravioribus rebus, consulto R. P. emittit.

4° *S. Congregatio Episcoporum et Regularium*, in unam conflata e duabus quas Sixtus V anno 1587 erexit, alteram super negotiis Episcoporum, alteram super negotiis Regularium. Ejus est dirimere causas quae exoriuntur inter Episcopos vel Regulares, et definire quaecumque ad rectum statum et regimen Ordinum regularium pertinent.

5° *S. Congregatio Rituum* a Sixto V instituta ad cultum Dei recte ordinandum et abusus extirpandos. Haec quoque curat quaecumque ad processus beatificationis et canonizationis spectant.

6° *S. Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum* a Clemente IX anno 1669 erecta, cum munere curandi ne indulgentiae apocryphae vulgentur, nec reliquiae falsae colantur, et dirimendi quaecumque dubia et difficultates de utrisque occurrant vel proponantur.

7° *S. Congregatio de Propaganda Fide* erecta a Gregorio XV anno 1622 ad tractanda omnia negotia quae ad fidem in universo mundo propagandam pertinent. Ipsi subsunt omnes missiones et regiones quae ad instar missionum administrantur.

Non raro quoque, praesertim in materia matrimonii vel censurarum, citantur responsa *S. Poenitentiariae Apostolicae*. Hoc est tribunal ad absolutiones, dispensationes similesque gratias conferendas institutum. Habet Major Poenitentiarius facultatem declarandi, cum consilio Doctorum et Theologorum suorum " dubia omnia in materia peccatorum seu forum poenitentiale alias quomodolibet concernentia. „ (Bened. XIV Const. *Pastor bonus*)

136. In quaestione de vi decretorum quae a Romanis Congregationibus eduntur, semper supponuntur decreta *plane authentica*. Scilicet oportet ut a Praefecto Congregationis firmata, a Secretario subscripta et sigillo munita producantur vel alia ratione de eorum authentia constet. Generatim in rebus gravioribus nonnisi consulto R. P. edi possunt. Ceterum de authentia decretorum hodie vix dubium manebit, sive quod in authenticis decretorum collectionibus reperiuntur, sive quod ephemeridibus fide dignis ubique vulgantur.

Authenticitate supposita, satis constat de sequentibus :

1° Vis verae Constitutionis Pontificiae inest iis decretis quae, ab aliqua S. Congregatione exarata, specialiter a R. P. approbantur, additis clausulis clarissimis, et ad omnes locorum Ordinarios mitti jubentur. Nemini enim dubium esse potest quin haec documenta auctoritate simul et promulgatione requisita polleant. Exemplo sit decretum *Quemadmodum* jam supra (n. 87) citatum.

2° Tenentur omnes catholici " se subjicere decisionibus, quae, *ad doctrinam pertinentes*, a Pontificiis Congregationibus proferuntur. „ Ita Pius IX in epist. ad Archiep. Monac. 21 Dec. 1863. (Denz. n. 1537) Tales autem decisiones doctrinales eduntur praecipue a S. Officio. Cfr. epistolam a Leone PP. XIII ad Archiep. Mediolanensem 1 Junii 1889 datam, qua vehementer queritur de iis qui, ob inanes praetextus, obedientiam detrectabant decreto S. Officii quo 40 Propp. Rosminianae proscriptae fuerant. (Act. S. S. t. 21. p. 709 seqq.)

3° Licet omnibus *tamquam probabili* adhaerere sententiae quam Romanae Congregationes theoretice statuunt vel practice sequuntur. Hinc nemini licet aliis imponere obligationem quam decreta Romana esse negant, vel rejicere probabilitatem alicujus opinionis quam eadem decreta affirmant vel supponunt.

137. Ut autem stricta obligatio in foro conscientiae definiatur, juvat, claritatis causa, distinguere inter declarationes quae generaliter et motu proprio a SS. Congregationibus eduntur et eas quae ex aliqua particulari occasione proferuntur.

1° Declarationes quae *proprio motu* eduntur et ad omnes diriguntur, practice omnes obligant. Nam, si *extensivae* sunt (cfr. n. 111), non obligant quidem tamquam decreta Congregationis, quae novas leges ferre nequit, sed tamquam leges a R. Pontifice per Congregationem latae. Numquam enim vere extensivae declarationes videntur ad omnes dirigi sine speciali approbatione R. P. et promulgatione sufficienti. Si vero mere *comprehensivae* sunt, obligabunt etiam ob auctoritatem quam R. P. hujusmodi Congregationibus, praesertim S. C. Concilii, dedit leges ecclesiasticas consulto R. P. interpretandi.

2° Difficultas potissima versatur circa decisiones particulares quae vel ad causam aliquam dirimendam feruntur vel tamquam responsa ad dubia SS. Congregationibus proposita dantur. Hae procul dubio jus faciunt in causa particulari ad quam dirimendam latae sunt; sed dubitari potest num etiam in similibus casibus et ab omnibus tenenda sit illa legis ecclesiasticae interpretatio cui innituntur.

Duplex autem sententia probabilis inter AA. viget. Cfr. S. Alph. l. 1. n. 106. Alii obligationem affirmant, eo quod ita satis manifestatur voluntas SS. Congregationum quae facultatem interpretandi authentice leges ecclesiasticas acceperunt. Neque obstare defectum promulgationis harum decisionum existimant, eo quod promulgatione indigent quidem leges novae, non autem leges jam existentes.

Alii obligationem negant ob defectum promulgationis. Hac autem indigere illas declarationes perinde ac novas leges ex eo deducunt quod, quando fiunt de rebus adeo dubiis ut possint exstare opiniones contrariae circa legis intelligentiam, declarationes hujusmodi novis legibus aequivalent. Hanc sententiam tamquam probabilem tuetur S. Alph. (l.c.), qui tamen postea (Quaest. recentius reform. Quaer. II) excepit " declarationes quae jam in Ecclesia universaliter divulgatae et facto sic promulgatae fuerint, usu plurium annorum vel relatione auctorum communiter ipsas referentium „ quibus censet fideles omnes obligari. Reliquae igitur declarationes sententiae oppositae probabilitatem non tollunt, nec dirimunt controversias inter AA. de sensu legis vigentes. Ita, inter recentiores, D'Annib. (I. n. 184. nota 5) et Ball. P. (n. 32).

138. Illud certe diligenter cavendum est ne sine magna circumspectione decisiones pro uno casu datae ad similes extendantur, vel responsa particularia tamquam norma generalis proponantur. Saepe enim ex ipso verborum tenore patet decisionem restringi ad casum concrete S. Congregationi propositum ; ut cùm quaesitum est : " An constet de valore matrimonii *in casu*. „ Neque allegantur in responsis rationes quae S. Congregationem moverunt ad hujusmodi sententiam ferendam. Ideo non raro continget ut aliqua peculiaris ratio, puta consuetudinis, scandali vitandi, juris tertio quaesiti, etc. eam inducat ad sententiam ferendam quam in aliis adjunctis non tulisset. Quare prorsum est errare eos qui hujusmodi responsa specie tenus generalia vel decisiones causarum tamquam legem universalem proponant. Exemplum talis erroris habes in iis qui, e pluribus sententiis S. C. Concilii, irrita declarantis matrimonia haereticorum in locis in quibus Tridentinum promulgatum fuit, deduxerant universe nulla esse eorum matrimonia coram ministro acatholico inita. Ut scribit Bened. XIV (in Declar. anni 1741 de matrimoniis Hollandiae, et de Synod. l. 6. c. 6. n. 4), talia responsa particularia innitebantur circumstantiis quae non ubique erant eaedem et expositioni quae de illis S. Congregationi fuerat exhibita.

Cfr. de hac quaestione Aichner, Comp. J. Eccl. § 18; Lehmkuhl, t. I. nn. 200-206; Ball. P. de Leg. nn. 31-34; Bouquillon, Theol. Mor. fund. nn. 34-41; D'Annib., l. c.

139. De decretis S. Congregationis Rituum quaedam speciatim notanda veniunt.

Ex responso ejusdem S. Congr. a Pio IX probato 17 Julii 1846, constat " decreta a S. R. C. emanata et responsiones quascumque ab ipsa propositis dubiis formiter editas eamdem habere auctoritatem ac si immediate ab ipso S. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati suae. „ Ut autem *formiter* editae fuerint, requiritur et sufficit ut subscriptae fuerint a Praefecto et Secretario S. C. R. ejusdemque sigillo munitae. (S. C. R. 8 Apr. 1854) Dubium ergo non est quin decreta, quae *tenore suo universalia sunt et ad omnes episcopos mittuntur*, etiam sine approbatione R. P. omnes obligent, sicut et particularia decreta servanda sunt ab illa dioecesi, ordine religioso et similibus pro quibus lata sunt.

Insuper satis concors est AA. sententia, ab omnibus servanda esse illa decreta quae legem seu rubricam antea existentem modo plane comprehensivo interpretantur. Cfr. Lehmkuhl, l. c. n. 206; Aichner, l. c. nota 11. Quod praesertim verum est ubi decisio a S. C. post maturam rei discussionem emittitur ut in aliquo puncto juris ambiguitas tollatur. Idem etiam tenendum de iis decisionibus quae pluries jam similibus responsis confirmatae et ita aequivalenter promulgatae sunt.

Resolutiones autem prorsus particulares et declarationes(si quae fiunt) manifeste extensivae legum praeexistentium, non videntur obligare nisi eos ad quos diriguntur. Quae enim pro uno loco sanciuntur non propterea ad alios pertinent in quibus alia possunt esse adjuncta, consuetudines, etc. Neque ipsa R. P. oracula, pro uno loco edita, universum orbem obligant vel, sine sufficienti promulgatione, ubique servanda sunt. Ideo S. C. R. interrogata num ipsius decreta, indulta et decisiones datae in casibus particularibus applicabiles sint et adoptandae in similibus casibus, respondit (8 Apr. 1854) : " Negative et semper recurrendum in casibus particularibus. „ Item interrogata " num possit sustineri sententia juxta quam ea dumtaxat decreta universaliter obligent quae vel formaliter sunt generalia, vel aequivalenter generalia, i. e. non lata ob causam peculiarem alicujus loci vel dioecesis et S. Pontificis approbatione munita „ respondit (10 Dec. 1870) : " Consulat probatos auctores. „ (Buccer. Enchir. p. 6) (1)

§ 4. DE LEGE POENALI.

140. Jam supra explicatum est (n. 106) quid intelligatur per legem moralem, pure poenalem, et mixtam. Hic autem quaedam notanda veniunt de lege pure poenali et mixta, tum in Jure ecclesiastico, tum in Jure civili.

I. IN JURE ECCLESIASTICO.

1° In hoc Jure vix ullae leges *mere poenales* reperiuntur. Quare leges quibus adnexa est poena praesumendae sunt mixtae donec contrarium probetur. (Lehmk. I. n. 208) Mere poenales sunt regulae quorumdam Ordinum religiosorum : quae a quibusdam etiam *directivae* nuncupantur ut obligatio ad culpam excludatur. (Vol. II. n. 87)

2° Legibus ecclesiasticis interdum annectuntur poenae ipso facto incurrendae. Non ideo tamen incurruntur semper ante sententiam qua crimen commissum declaretur.

Nempe, ante talem sententiam incurruntur censurae latae sententiae; poenae quae impediunt tantum ne jus acquiratur, et potius inhabilitatem quam poenam proprie dictam constituunt, ex. gr. poena statuta a Tridentino (Sess. 23. c. 1. de ref.) contra clericos non residentes, ne fructus

(1) De hac speciali quaestione, praeter AA. supra citatos, consuli possunt Acta S. Sedis, t. 3. p. 563. appendix 12. Hujus scriptor testatur se ex ipsis regestis S. C. R. exscripsisse responsum a nobis citatum 8 Apr. 1854, quod in collectione Gardelliniana non reperitur.

faciant suos; tandem poenae conditionales, quia, proprie loquendo, conditio sunt sub qua aliquid datur, et ideo non implens conditionem tenetur ante omnem sententiam dimittere quod sub ea recepit, ex. gr. electus in episcopum, si intra sex menses non consecratur, tenetur dimittere episcopatum.

Nemo vero tenetur ante judicis sententiam *declaratoriam*, se privare jure jam acquisito, ex. gr. si quis commisit scelus ob quod lex edicit amitti, ipso facto et nulla exspectata sententia, vocem activam et passivam, beneficium, bona temporalia, etc. quae jam possidere coepit. Ratio est, quod in poenis benignior interpretatio est adhibenda. Jamvero, licet verba legis absolute ita intelligi possint ut reus has poenas subire debeat, nulla impositione poenae a judice facta, non necessario tamen excludunt *declarationem* judicis de crimine admisso. Insuper si actio positiva, ex. gr. restituendi, requiritur, nimis arduum videtur quod lex humana cogat reum ad poenam in seipsum exsequendam. Cfr. Salmant. de Leg. c. 2. n. 56 seqq.

141. II. IN JURE CIVILI.

1° Extra dubium est potestati civili inesse jus ferendi leges quae, praeter poenam temporalem, in conscientia obligent. Hoc enim e natura legitimae potestatis, quae a Deo sit, sequitur et abunde constat tum Scriptura (ex. gr. Rom. XIII, 5), tum Traditione.

2° Communiter inter DD. convenit plures leges civiles, sive e primaeva legislatoris intentione, sive ex universali consuetudine, esse mere poenales, ex. gr. leges quae prohibent venationem in sylvis publicis.

3° Hodie facilius admitti potest leges civiles plurimas esse mere poenales, eo quod civiles legislatores ab omni obligatione in conscientia abstrahere velle proclamant : unde etiam, in multis saltem regionibus, invaluit inter cives haec persuasio, illaesa conscientia violari leges civiles.

4° Falsum tamen videtur obligationem in conscientia legi civili deesse, eo quod legislatores eam imponere non expresse intendunt. Sufficit enim ut *stricto sensu* imperare velint, neque obligationem hanc diserte excludant. (Bouquill. Th. Mor. fund. n. 210) Imo etiam multae sunt leges a quibus talem obligationem excludere nequeant, eo quod eadem ad bonum reipublicae statum est necessaria, ex. gr. leges quae proprietatis jus inter cives determinant. Cfr. D'Annib. I. n. 206 seq. Ceterum quaestiones difficiliores de obligatione legis civilis suo loco tractabuntur, praesertim in Tr. de Just. et Jure.

§ 5. DE LEGE IRRITANTE.

142. DEFINITIO. Lex irritans ea dicitur quae invalidos efficit actus qui, inspecto tantum jure naturali, validi essent. Potestatem tales leges ferendi tum Ecclesiae, tum Statui competere extra dubium est : non enim satis provisum esset bono communi si talis facultas utrique legislatori in materia sua non esset tributa. Nec propterea lex positiva praevalet naturali. Haec enim ipsa postulat auctoritatem socialem eamque potestate irritandi munitam. Ideo, antecedenter ad legem positivam, non saucit jus naturale modo absoluto ut talis actus, ex. gr. testamentum, sit validus, sed tantum sub conditione, i. e. nisi obstet auctoritas ecclesiastica vel civilis. Cfr. Ball. P. n. 130.

143. DIVISIO. Variae sunt leges irritantes :

1° Lex directe afficere potest *personas*, easque incapaces reddere ad actus quosdam valide ponendos. Haec etiam dicitur lex inhabilitans. (D'Annib. I. n. 212) Exemplo sint in Jure ecclesiastico leges quae consanguineos ad matrimonium inter se contrahendum ineptos faciunt ; in Jure civili, leges quae uxorem generatim incapacem faciunt valide contrahendi absque mariti licentia vel judicis interventu. (C. C. a. 217) — Potest quoque lex directe afficere *actum*, statuendo ut is irritus sit vel saltem rescindibilis quotiescumque certae juris solemnitates non servantur. Ita Jure ecclesiastico irritantur, multis in locis, matrimonia clandestina ; Jure civili, testamenta formis legalibus carentia.

2° Lex quandoque irritat actum *per seipsam*, nulla interveniente judicis sententia etiam mere declaratoria, ex. gr. matrimonia cum impedimento dirimente inita ; quandoque illum validum esse sinit donec *per judicis sententiam* irritetur. In priore casu, actus hujusmodi nullos effectus sortiuntur ; in posteriore, licet iis inniti, tamquam validis, donec per sententiam judicis irritentur ; huic tamen, utpote justae, omnino standum est.

3° Lex irritans praecipue fertur *intuitu boni communis* (n. 142) ideoque non necessario supponit aliquam culpam in ponente actum invalidum ; quandoque tamen rationem *poenae* habet, ut in impedimento criminis matrimonium dirimente.

4° Lex irritans per se non est prohibens, ideoque non necessario peccat qui ponit actum quem lex invalidum declarat, ex. gr. condens testamentum in quo non serventur, justas ab causas, formalitates legales. Attamen non raro simul actum *irritat* et *prohibet*. Res manifesta est cum, disertis verbis, irritationi adjungitur actus prohibitio ; potest quoque deduci ex eo quod actus attentatus in seipso turpitu-

dinem involvit (ex. gr. matrimonium ab utraque parte impedimenti dirimentis conscia attentatum), vel alii, qui defectum ignorat, damnum inferre possit (ex. gr. si notarius testamentum, praetermissis solemnitatibus, exararet). Cfr. D'Annib. I. n. 215.

144. PRINCIPIUM. Ignorantia invincibilis non tollit irritationem quae non sit statuta in poenam delicti : manet enim tota legis ratio, nempe communis utilitas qua haec irritatio postulatur. Ideo nullum est matrimonium quod bona fide cum impedimento dirimente initur.

Ubi vero irritatio in poenam delicti inducta est, tollitur quotiescumque ignorantia a culpa excusat. Ratio est, quod irritatio se habet ad culpam ut effectus ad causam ; hac ergo deficiente, et illa evanescet. At si culpa quidem admittitur, ignoratur vero poena irritationis, AA. in oppositas sententias abeunt. Alii, ut Suarez (de Leg. l. 5. c. 22. n. 4), censent manere irritationem : quia talis ignorantia non excusat peccatum contra legem, et consequenter neque excusat poenam, licet ignoretur ; ergo neque excusat irritationem. Alii, ut Sanchez, Schmalzgrueber, citati apud Ball. P. (n. 139), opinantur probabilius non manere invaliditatem. Ratio est, quod regulariter ii qui delinquunt incurrunt poenas delicto proportionatas, etiamsi eas ignorant, non autem *extraordinarias*, nisi et eas delinquendo cognoverint. Jamvero irritatio est poena extraordinaria et exorbitans, ideoque ab eam ignorantibus non incurritur.

In Tr. de Matrimonio (Vol II. n. 468) agitabitur quaestio num maneat lex irritans quando servari nequit sine gravissimo incommodo communi vel particulari. Nam, cum vix practica sit nisi in impedimentis dirimentibus, commodius una cum iis examinabitur.

§ 6. DE PRIVILEGIIS.

145. DEFINITIO. Privilegium definitur : lex privata, speciale aliquod beneficium aut favorem contra vel praeter Jus concedens.

Dicitur *lex* analogice tantum quatenus, dum durat, ceteros obligat ne privilegiatum impediant quominus hoc beneficio fruatur; *lex privata*, quia regulariter ad personam privatam pertinet, vel, si communitati confertur, haec consideratur tamquam pars communitatis superioris quae lege obligatur. Differt autem a dispensatione non tantum privilegium *praeter jus*, quod per se patet, sed etiam privilegium *contra jus*, quia hoc datur cum aliqua stabilitate ad modum legis, dum illa ex se nullam stabilitatem involvit. (Schmalzgr. in lib. 5. Decr. t. 33. n. 1 seqq.) Ob eamdem rationem differt privilegium a beneficio quod alicui a principe modo transeunte confertur, neque ullum jus stabile tribuit ad

actus determinatae speciei ponendos, ex. gr. absolutio a censura cui quis subjacet.

Privilegium *stricte dictum* concedere potest omnis et solus qui legem condere potest. Hoc manifestum est de privilegiis *contra jus*, quippe quae privilegiatum ab obligatione ceteris communi eximant; in privilegiis autem *praeter jus*, inde liquet quod solus legislator ceteros obstringere potest ne privilegiatum ab usu juris sui impediant. Discrimen tamen est in iis quibus utriusque speciei privilegia concedi possint. Priora enim solis subditis dari possunt, cum sint actus jurisdictionis voluntariae eximentes ab obligatione quae antea imposita fuerit, nisi forte lex quae relaxatur ex iis sit quae etiam peregrinos in alieno territorio versantes adstringant. Posteriora etiam non subditis concedi possunt, dummodo materia sit subjecta principi privilegium conferenti, isque subditos cogere possit ne privilegiatum in usu hujus favoris impediant. Ratio est, quod privilegia *praeter jus* se habent ad instar donationis cujus quisque, etiam non subditus, capax est. (Schmalzgr. l. c. n. 70 seqq.)

146. DIVISIO. Privilegium dividitur praecipue:

1° In *personale* et *reale*. Prius illud est quod proxime seu immediate et directe ipsi personae conceditur in ipsius favorem seu ratione personae; posterius, quod proxime, immediate et directe confertur rei a persona distinctae. Nomine autem *rei* intelliguntur non tantum res corporeae, ut ecclesia vel monasterium, sed et incorporeae, ut collegium, dignitas, clericatus, status religiosus, doctoratus vel alia qualitas a persona separabilis. (Schmalzgr. l. c. n. 33)

2° In *mere gratiosum* et *remuneratorium*. Prius illud est quod alicui conceditur ex mera principis liberalitate et non propter ejus merita qua talia; posterius, quod alicui datur in praemium meritorum ipsius vel aliorum quibuscum moraliter unitur, ex. gr. parentum, antecessorum. Remuneratoria censentur pleraque privilegia Regularibus concessa.

3° In *favorabile* et *odiosum*. Cfr. n. 112. Favorabilia, ideoque late interpretanda, censentur privilegia praeter jus, cum nemini praejudicium afferant. Odiosa vero, ideoque stricte interpretanda, sunt plerumque privilegia contra jus vel quae tertio praejudicant. Etenim legislator non est censendus derogasse juri quaesito tertii nisi id clare expresserit; privilegium vero contra jus commune aequivalet dispensationi quae, utpote vulnus legi inflictum, stricte interpretanda est. Attamen late interpretanda sunt privilegia in favorem cultus divini concessa, puta exemptiones concessae Regularibus, vel quae in favorem publicum conceduntur, puta facultas dispensandi in votis, vel tandem quae motu proprio ipsius principis conceduntur, puta facultas sponte data a R. P. vescendi carnibus diebus abstinentiae. (Reiffenst. in Decr. l. 1. c. 3. n. 130 seqq.)

147. Quaedam de **usu privilegiorum** notasse juvabit.

1° Unusquisque tenetur uti privilegio quod *primo et per se* respicit bonum communitatis cujus pars est, ut sunt privilegia canonis et fori concessa toti ordini ecclesiastico. Ratio est, quia tali privilegio, utpote communi, nullus privatus renuntiare potest ; renuntiaret autem, saltem pro illo actu ad quem eodem uti recusaret.

Per se nemo tenetur uti privilegio quod ipsi specialiter concessum est : nam quod in alicujus favorem concessum est, non debet in ejus gravamen retorqueri. (Reg. Jur. 61ª in 6°) Per accidens tamen posset aliquis obligari ad utendum privilegio personali, ex. gr. confessarius qui haberet privilegium absolvendi a reservatis, deberet eo uti, saltem postquam confessionem audivit, quia, dum consentit in eam audiendam, implicite se obligat ad absolvendum poenitentem quantum potest.

2° Privilegia quae in tota dioecesi, provincia, natione vigent, sunt *localia* seu adhaerentia loco pro quo, ex concessione S. Pontificis vel consuetudine, valent. Ideo talibus privilegiis incolae hujus loci extra ejus territorium uti nequeunt ; at peregrini in eodem loco existentes iisdem fruuntur. Exemplum habes in abrogata obligatione audiendi Sacrum in pluribus festis, ex. gr. Purificationis, vi Concordati pro Gallia et Belgio. Similiter dicendum de dispensationibus quae tempore Quadragesimae concedi solent in usu carnium et lacticiniorum pro tota dioecesi. His uti nequeunt dioecesani alibi degentes, fruuntur vero peregrini in dioecesi versantes. (Schmalzgr. l. c. n. 110)

3° Privilegio, quod ab episcopo conceditur in jure communi, uti potest privilegiatus extra territorium concedentis, quando datum est ob specialem et personalem causam. Ratio est, quia tale privilegium adhaeret personae eamque comitatur quocumque pergit. Hinc qui ab episcopo suo privilegium accepit edendi carnes diebus prohibitis, eo in aliena dioecesi uti potest, nec potest ab illius loci episcopo impediri. (Schmalzgr. l. c. n. 111)

Plura alia quae dici possent de interpretatione privilegiorum, de eorum cessatione, etc. valde implicata sunt et potius ad forum externum ac Jus Canonicum pertinent. Explicantur a Canonistis ad tit. 33. libri 5 Decretalium : " De Privilegiis et excessibus privilegiatorum. „

TRACTATUS IV.

DE PECCATIS.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET DIVISIONIBUS PECCATI.

148. DEFINITIO. Peccatum, in sensu maxime proprio, definiri potest : libera transgressio legis divinae.

Itaque ad peccatum proprie dictum requiritur :

1° *Libertas indifferentiae* qua in potestate hominis sit actionem facere vel omittere. Ideo a peccato excusantur ea quae homo patitur ita ut neque a voluntate sint, neque ab ea acceptentur, quales sunt saepe motus carnis, vel quae impedire nequit, quales sunt quandoque motus irae vel concupiscentiae tam vehementes ut rationis usum perturbent. Solent quidem motus concupiscentiae vocari peccatum : hoc autem intelligendum esse non formaliter, sed dispositive et causaliter, quia concupiscentia ex peccato est et ad peccatum inclinat, definivit Conc. Trid. Sess. 5. decr. de pecc. origin.

2° *Lex divina.* Peccatum enim proprie dictum dari nequit ubi non violatur stricta obligatio ; haec autem etiam in legibus humanis a Deo oritur et ideo transgressio legis humanae, quae peccatum constituat, tandem ad transgressionem legis divinae reducitur.

Natura peccati jam in antecessum declarata fuit in Tr. de Act. hum. praesertim n. 30 seqq. ubi de actuum humanorum moralitate dictum est. Nam, ut docet S. Thomas (1. 2. q. 71. a. 6) : " Peccatum nihil aliud est quam *actus humanus malus.* „

149. Praesertim cavendum ne cum peccato confundatur **imperfectio moralis**, quae definiri potest : libera transgressio aut omissio consilii divini. Haec dicitur a multis *positiva* quando positive repugnatur consilio et inspirationibus divinis intensioribus, quibus consulitur aliquod opus bonum non praeceptum ; *negativa*, quando inspirationes

illae sunt magis remissae, ideoque illa positiva repugnantia non habetur. (Struggl, tr. 2. q. 1. n. 13)

Imperfectiones illae, etiam positivae, per se nulla peccata, neque venialia, constituunt : siquidem peccatum absque legis transgressione repugnat. Attamen hujusmodi imperfectionibus accedere quandoque potest peccatum ratione motivi pravi ob quod homo consilium illud omittere statuit. Lex enim naturalis jubet ne nos motivo irrationabili in actibus humanis determinemus. Exemplum esset illius qui opus melius omitteret ut pro solo lubitu de actibus suis disponeret, vel ductus immoderato amore quietis corporalis. Cfr. n. 40 ; Lehmk. I. n. 40.

150. DIVISIO. Sufficiet explicasse sequentes divisiones, in quibus vox peccati non semper habet sensum suum maxime proprium.

1° Peccatum *actuale* illud est quod supra definitum est, et hac voce simpliciter adhibita intelligi solet ; peccatum *habituale* (praescindendo a disputatione scholastica circa ejus naturam) est peccatum actuale moraliter perseverans, praesertim in reatu culpae.

2° Peccatum *formale* committit qui libere legem divinam transgreditur prout ipsi a conscientia exhibetur, sive lex illa objective existat, sive tantum subjective existimetur existere ; *materiale* peccatum committit qui nesciens vel nolens ponit actionem contrariam legi objective existenti. Formali tantum competit definitio data. Cfr. n. 31.

3° Peccatum dicitur *contra Deum, contra proximum* vel *contra seipsum*, prout adversatur virtutibus quarum objectum *immediatum* est Deus, proximus et bonum proximo debitum, ipse agens et bonum supposito proprio debitum. Exempla sunt perjurium, furtum, ebrietas. Patet omnia peccata saltem mediate esse contra Deum.

4° Peccatum dicitur *ignorantiae, infirmitatis, malitiae* pro varia ratione qua committitur : ignorantiae, si ex ignorantia vincibili procedit; infirmitatis, si voluntas ad consensum tracta est gravi tentatione vel motione appetitus sensitivi ; malitiae, si, nulla ignorantia excusante nec magna tentatione incitante, plena deliberatione et libertate committitur. Licet triplex illa species ad peccatum mortale pertingere possit, manifeste peccata malitiae cetera gravitate superant. (Struggl, l. c. n. 11)

5° Peccatum *commissionis* est transgressio praecepti negativi, seu positio actus prohibiti, ex. gr. furtum ; peccatum *omissionis* est transgressio praecepti positivi seu omissio actus hic et nunc ex lege ponendi, ex. gr. auditionis Sacri die festo.

6° Peccatum dicitur *cordis*, quando sola mente et voluntate perficitur, ex. gr. delectatio morosa ; *oris*, quando verbo completur, ut turpiloquium ; *operis*, quando opere consummatur, ut fornicatio.

De divisione peccati in mortale et veniale, ob rei momentum, speciatim dicetur cap. sequenti.

151. De natura peccatorum ignorantiae per se plane sufficiunt quae de voluntario in causa et de ignorantia explicata sunt in Tr. de Act. hum. Juvat tamen, ob controversias quae passim apud AA. ex. gr. S. Alph. (l. 2. n. 4) referuntur, breviter dicere de illa olim famosa quaestione : utrum ad peccatum mortale, vel melius, ad peccatum quodcumque requiratur *actualis* et *expressa* malitia actus, an sufficiat *virtualis* et *interpretativa*, in hoc sita quod homo teneatur et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat.

Jamvero (ut fusius exponit Ball. P. n. 17 seqq.) omnis discordia AA. de hoc argumento inde orta est quod diverso sensu illam advertentiam virtualem seu interpretativam intellexerunt. Quidam enim hac locutione designant inadvertentiam ex oblivione naturali et inconsiderantia inculpabili : quare rectissime negarunt hanc ad peccandum, praesertim mortaliter, sufficere. Alii autem iisdem verbis intelligunt inadvertentiam ex inconsideratione et negligentia culpabili : quare non minus recte affirmarunt hanc a peccato non excusare. Ideo vix ullus A. gravis quoad rem a reliquis dissentit. S. Alph. (l. c.) expositae controversiae ita finem imponit : " Hinc concludendum, quod opinio eorum (si forte adsunt) qui dicunt operanti adversus legem imputandos esse omnes errores quos committit, etiamsi nulla unquam intercesserit actualis advertentia, nec directa, nec indirecta, in se vel in causa, saltem in confuso, sed tantum adfuerit advertentia interpretativa, in hoc dumtaxat consistens, quod ipse debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam advertere : haec opinio nullo modo sustineri potest. „ Reapse enim adversatur primis principiis de moralitate actuum humanorum. Hoc tantum veri huic opinioni subest, ut advertit Lehmk. (I. n. 232), quod in iis quae facillime advertuntur et habitualiter cognoscuntur, vix poterit abesse illa directa advertentia quae sufficiat ut malitia, saltem ob voluntariam negligentiam, contrahatur. Supponendum tamen est substantialem actus malitiam perfecte apprehendi. Ita sacerdos qui cum plena deliberatione contra castitatem peccat, vix non necessario attendet ad malitiam sacrilegii simul committendam.

CAPUT II.

DE PECCATI GRAVITATE ET LEVITATE.

152. Peccati mortalis et venialis differentia saepe ex utriusque effectu desumitur. Mortale scil. illud dicitur quod mortem animae infert, eam privando gratia sanctificante, quae animae nostrae vita super-

naturalis est : veniale autem quod non infert animae hujusmodi mortem et facile veniam obtinet, poenam tamen temporalem meretur.

At differentia *intrinseca*, quae effectuum et poenarum differentiae tamquam motivum praesupponitur, constituenda est in diversa ratione inordinationis quae peccati rationem complet. Peccatum scil. mortale fit quando tanta est inordinatio ut anima per eam ab ultimo fine, scil. Deo cui per caritatem unitur, avertatur ; veniale autem est quando inordinatio peccati usque ad talem aversionem non pertingit et propterea, *ex ipsa natura sua*, reparabilis est. (S. Th. 1. 2. q. 72. a. 5)

Divisio peccati in mortale et veniale non est generis in suas species, sed ejus quod est commune *per analogiam*, quod, secundum perfectam rationem, praedicatur de uno dividentium, et de altero imperfecte et secundum quid : quia ratio peccati in solo mortali perfecte reperitur. (2 dist. 42. q. 1. a. 3)

153. Respectu habito tantum ad **elementum objectivum**, peccata tripliciter dividi solent : in peccata gravia ex toto genere suo, in peccata gravia ex genere suo, et in venialia ex genere suo.

Mortalia ex toto genere suo dicuntur ea quae, ex sua natura seu ratione specifica, semper sunt objective gravia, puta quae sunt directe contra Deum vel aliquam divinam perfectionem, ut haeresis, desperatio, Dei odium, etc.

Mortalia ex genere suo dicuntur ea peccata quorum gravitas vel levitas a quantitate materiae pendet. Haec, spectata ratione sua specifica, ad gravitatem vel levitatem peccati indifferentia sunt : quare, si usus id ferret, aequo jure dici possent venialia ex genere suo. Talia sunt quae adversantur justitiae, caritati et plerisque virtutibus.

Venialia ex genere suo dicuntur ea peccata, quae, dum manent in ratione sua specifica, numquam sunt mortalia. Talia sunt quae adversantur legibus vel virtutibus quae per se sub levi tantum obligant, ex. gr. patientiae, fidelitati, etc. Si quando hujusmodi peccatum fieret mortale, gravitas oriretur ex alia specie quae priori accederet, ideoque aequivalenter novum peccatum constitueret, ex. gr. si peccato contra fidelitatem accederet injustitia.

Summatim : mortalia ex toto genere suo dicuntur ea quae necessario sunt mortalia ; mortalia ex genere suo, quae vel mortalia vel venialia esse possunt ; venialia ex genere suo, quae nequeunt esse mortalia.

154. Ad peccatum mortale constituendum, tres **conditiones** requiruntur :

I. Ex parte *intellectus*, plena et perfecta advertentia ad malitiam gravem actus et objecti.

Non est autem opus ut actu *formali* et *reflexo* apprehendatur ille actus tamquam gravis Dei legislatoris offensa. Nam, saltem moraliter, fieri nequit ut homo plene ratione utens non sufficienter apprehendat gravem Dei offensam fore id quod tamquam graviter inhonestum concipit. Quare peccatum *philosophicum*, ut vocant, erit practice etiam peccatum theologicum. Huc pertinet prop. 2ª ab Alex. VIII damnata : " Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi : theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque poena aeterna dignum. „ Ratio hujus damnationis duplex est : prior, quia haec propositio supponit dari ignorantiam invincibilem seu excusabilem Dei, etiam ut legislatoris et vindicis male factorum, quae alioquin peccans non potest non advertere esse illicita atque adeo prohibita a quadam voluntate superiore ; posterior, quia non distinguit casus ignorantiae vincibilis et invincibilis. Cfr. Viva in hanc prop. n. XXV.

Sufficit autem attentio *directa* ad gravem actus malitiam, etiam sine temporis mora : nulla enim ratione postulatur ut ad eam pluries vel jugiter inter agendum attendatur. In dubio de perfecta advertentia aut consensu, unusquisque judicet de culpis suis e ratione qua se gerere solet : si habitualiter peccatum mortale plurimum horret atque in rebus manifestis et externis numquam vel rarissime admittit, arbitretur se venialiter tantum peccasse ; si vero facile peccata gravia admittere solet, haec saltem vehemens praesumptio est eum, etiam in casibus dubiis, non caruisse plena advertentia et consensu.

II. Ex parte *voluntatis* requiritur consensus perfecte liber.

Ratio hujus et praecedentis conditionis est, quod, spectata fragilitate humana, non videtur decere divinam sapientiam et bonitatem ut aeternis suppliciis hominem addicat propter actum cujus malitiam non perfecte cognoverit et voluerit.

III. Ex parte *objecti* requiritur gravitas materiae.

Ubi enim materia undequaque levis est, offensio plerumque non reputatur gravis. Non mediocris autem labor est determinare quaenam materia sit objective gravis. Qua de re suis locis dicetur, ubicumque aliqua practica difficultas occurret ; hic autem sufficiet quasdam generales judicandi normas praestituisse :

1° In lege naturali vel divina, imprimis videndum num gravitas cum certitudine demonstrari possit e Scriptura, Traditione, vel Ecclesiae

judicio manifestato per damnationem propositionum, constantem et uniformem scholarum theologicarum doctrinam, etc. In legibus vero positivis attendendum quoque ad criteria data n. 107.

2° Ipsa materia in se consideranda est, et investigandum num graviter contrarietur Deo ejusque perfectionibus aut bono quod proximo vel nobismetipsis procurare debeamus.

3° Ubi nullo ex his criteriis gravis malitia peccati evidenter apparet, haec gravitas non est adstruenda. Ita S. Alph. (l. 2. n. 52), citans haec S. Antonini verba : " Nisi habeatur auctoritas expressa S. Scripturae aut canonis, seu determinationis Ecclesiae, vel evidens ratio, nonnisi periculosissime (peccatum mortale) determinatur... Nam, si determinetur quod ibi sit mortale, et non sit mortale, peccabit contra faciens, quia omne quod est contra conscientiam aedificat ad gehennam. „

155. Ad peccatum **leve** constituendum, duae requiruntur **conditiones** :

I. *Lex* aliqua, saltem sub levi obligans : nam sine lege dari nequit veri nominis peccatum.

II. *Advertentia aliqua*, saltem *semi-plena*, ad actionis malitiam et *consensus* saltem *semi-deliberatus* : nam sine his, nulla culpa in foro conscientiae exsurgere potest. Quandoque tamen de peccatis indeliberatis sermo fit. Sed, ne in errorem impingatur, verbum *indeliberati* improprie accipiendum est pro semi-deliberato, vel, si proprio sensu accipitur, intelligenda est actio quae, omni deliberatione in se carens, e praecedenti negligentia orta est. In hoc posteriore sensu, sola omissio diligentiae, ex. gr. in oratione, imputabilis est. (Lehmk. I. n.221)

156. Peccatum per se mortale **fieri potest veniale** praecipue his rationibus :

1° Ex *conscientia erronea* qua quis putat id quod objective peccatum grave est, ex. gr. perjurium assertorium in re levi, non esse nisi peccatum leve. Si enim conscientia invincibiliter erronea ab omni peccato excusare potest (n. 48), a fortiori a gravitate peccati excusare poterit.

2° Ex *imperfecta advertentia* ad actus malitiam, ut contingit in semi-vigili, semi-ebrio, ad alias simul res plurimum attendente, etc.

3° Ex *imperfecto consensu* voluntatis, ut contingit in eo qui circa objectum sub gravi prohibitum non plene delectatur. In dubio autem de perfecto consensu, signa consensus tantum semi-pleni censentur aetas puerilis, conscientia alioquin timorata vel etiam scrupulosa, consuetudo iisdem tentationibus resistendi, dissensus elicitus quando rei malitia plene apprehensa fuit, etc. (Struggl, de Pecc. q. 2. a. 1. n. 6)

4° Ex *parvitate materiae*, ut liquet e conditionibus ad peccatum mortale requisitis. (n. 154. III)

157. Peccatum per se leve **fieri potest grave** :

1° *E conscientia erronea* qua quis mortale reputat quod objective veniale tantum est, ex. gr. minimum carnis frustulum die abstinentiae comedere. Nam qui cum tali conscientia hujusmodi actionem ponit, consentit in peccatum grave, sibi per conscientiam propositum. Similiter dicendum ubi quis serio dubitat utrum actio aliqua sub gravi an sub levi tantum sit prohibita, et temere eam ponit. (n. 54)

2° Ratione *finis operantis* vel intentionis graviter malae. Exemplum habes in eo qui mentitur ut furtum grave patrare possit, vel animo paratus est ad committenda peccata mortalia potius quam peccatis per se levibus, ex. gr. gulae, nuntium mittat. Attamen, ut peccatum contrahatur, necesse est ut ista habitualis dispositio in actum saltem internum prodeat.

3° Ratione *periculi proximi* labendi in mortale cui quis se exponit per rem venialiter malam, ex. gr. per lectionem leviter turpem.

4° Ratione *scandali gravis* ex actione leviter mala orituri.

5° Ratione *contemptus formalis* quo violatur lex sub levi obligans. (n. 108)

6° Ratione *materiae* cum materia aliorum venialium *coalescentis*, ex. gr. complendo materiam gravem quae requiritur ad peccatum mortale contra legem jejunii vel praeceptum non furandi. Impossibile autem est ut plura peccata venialia *immediate* in seipsis coalescant seu per sui multiplicationem peccatum mortale efficiant, cum analogice tantum mortale et veniale conveniant. Cfr. Trid. Sess. 6. c. 11.

158. QUAER. I. Num graviter peccet qui proponat committere omnia venialia quorum occasio se obtulerit.

RESP. Probabilius leviter tantum peccaret, secluso contemptu formali vel periculo labendi in mortale : quia hujusmodi propositum tantum remote ad peccatum mortale ducit. (S. Alph. l. 5. n. 12) Imo, etiamsi vitatio venialium *in genere* esset medium necessarium ad periculum proximum peccati gravis vitandum, non esset gravis obligatio ea vitandi : eo quod medium hoc esset indeterminatum et difficile. Aliter dicendum foret si experientia constaret periculum proximum peccati gravis oriri e peccatis venialibus *certae speciei*. Cfr. Lugo, de Poenit. disp. 15. n. 50.

159. QUAER. II. Num graviter peccet qui deliberat num aliquod peccatum grave commissurus sit, quod tamen non exsequitur.

RESP. Hujusmodi deliberatio peccatum grave efficiet si eo momento quo voluntas anceps haesit, homo plene advertit actionem propositam esse graviter malam et omnino deliberate eligit anceps manere. Ita enim libere discedit ab illo firmo proposito quo adstringimur Deum super omnia diligere et nihil quod ejus amicitiam abrumpat admittere. (Sanch. in Dec. l. 1. c. 1. n. 16) Post factum saepe manebit dubium num adfuerit illa plena advertentia et libertas : tunc judicandum erit ex habituali hominis dispositione, ut jam supra (n. 154) dictum est,

160. QUAER. III. E quibus principiis judicandum sit de gravitate *relativa* peccatorum, praesertim mortalium.

RESP. Quaestio haec dupliciter intelligi potest. Primo quaeri potest qua ratione dijudicanda sit gravitas alicujus peccati *concrete* spectati, prout a tali homine elicitur. Huic quaestioni ut satisfieret, attendendum esset non tantum elementum peccati objectivum, sed et subjectivum : nempe ponderanda forent ea omnia quae voluntatis malitiam *in hoc determinato casu* augere vel minuere potuerint. At cum tot elementa saepe obscura in hoc judicio formando concurrere debeant, aegre ab erroribus quis cavebit. Cfr. n. 150, 4°.

Altero sensu, inquiri potest undenam oriatur major minorve peccati *specifice* inspecti malitia, abstrahendo a concretis peccantium conditionibus, ex. gr. utrum gravius peccatum sit blasphemia an communio sacrilega, furtum an fornicatio. Quaestionis sic intellectae solutio non ita difficilis est, neque utilitate practica pro confessario vel concionatore morali caret. Eam sat fuse tractat Lehmk. (Vol. I. ad calcem), qui has regulas generales statuit :

1ª Reg. Peccatum eo gravius est quo nobilius et altius est *motivum formale virtutis* cui opponitur : nam " quanto id contra quod peccatur est majus, tanto peccatum est gravius. „ (3. q. 80. a. 5) Intra ambitum ejusdem virtutis, graviora sunt, ceteris paribus, peccata contra legem *prohibentem* quam contra legem praecipientem.

2ª Reg. Eo gravius est peccatum quo nobilior est *persona contra quam* dirigitur. Sic *per se* graviora sunt peccata quae directe contra Deum quam quae directe contra hominem committuntur. Cfr. etiam S. Thomam, l. c. ubi ostendit communionem sacrilegam non esse omnium peccatorum gravissimum.

3ª Reg. Eo gravius est peccatum quo majoris momenti est *bonum quod peccato laeditur*. Haec regula primaria est in peccatis contra proximum. Ideo ex.gr.gravior est contumelia vel calumnia quam furtum.

Res autem difficilior fit quando variae peccatorum species in uno actu pravo reperiuntur. Sapienter Lessius (de Just. et J. l. 4. c. 3. n. 93)

agens de relativa gravitate peccatorum luxuriae, scribit : " Hae species (contra naturam) sunt pejores quam reliquae supra dictae (juxta naturam), si considerentur qua parte sunt contra castitatem, non autem si spectentur absolute, ut involvunt malitiam alterius speciei contra justitiam, pietatem vel religionem : simplex enim pollutio vel inordinatus concubitus cum uxore non est absolute majus peccatum quam concubitus cum matre vel cum moniali. „ Insuper in praxi non licet abstrahere a subjectiva malitia quae peccatum concretum semper comitatur. Hoc autem elemento saepe plurimum immutabitur judicium de gravitate peccatorum, qualia communiter fiunt, ferendum. Sic recte advertit Lehmk. (I. n. 870) subjectivam malitiam fornicationis saepissime majorem esse quam pollutionis malitiam, " quia et pudor multo magis exuitur et actus multo plus voluntarii habet ; quare in canonibus poenitentialibus constanter pro fornicatione major poenitentia injungi consuevit quam pro pollutione. „

161. QUAER. IV. Quomodo confessarius dignoscere possit in dubiis utrum poenitens, praesertim in peccatis internis, graviter an leviter peccaverit.

RESP. 1° Prudenter, pro poenitentis capacitate, interroget num habuerit illam plenam advertentiam plenumque consensum de quibus supra dictum est. Cfr. n. 156.

2° Si (ut crebro continget) responsa poenitentis dubium non tollunt, judicet secundum praesumptionem quam ei suppeditat reliqua confessio vel vita poenitentis.

3° Ne frustra vexet poenitentem interrogationibus quae certe intentum non assequentur, ut cum poenitens rudis est et confessario ignotus. Neque ullum incommodum in eo est quod judicium hoc Deo relinquat, saltem ubi non agitur de periculo in futurum cavendo.

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM SPECIFICA ET NUMERICA.

162. In determinanda peccatorum distinctione quoad speciem et numerum, jugiter prae oculis habendus est scopus intentus ; nempe ut poenitens a confessario dirigi et adjuvari possit in servanda lege quam Christus, instituendo sacramentum poenitentiae, dedit confitendi " omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et

diligenti praemeditatione habeatur, et circumstantias, quae peccati speciem mutant. „ (Trid. Sess. 14. can. 7) Cfr. Vol. II. n. 283 seqq. Minus ergo attendendum ad subtiles quasdam et metaphysicas distinctiones quae ab AA. quibusdam, rem practicam nimis speculativa ratione considerantibus, inventae sunt. Nam " dum Christus D^{nus} imposuit obligationem confitendi speciem et numerum peccatorum, utique voluit ut ea confiteamur juxta sensum communem, non vero juxta illas metaphysicas distinctiones quae a sensu communi recedunt. „ (Berardi, Praxis Conf. n. 37)

Tractabitur hoc argumentum in praesenti loco per regulas universales, quantum fieri poterit : multa vero quae difficultatem facessunt, praesertim quoad specificam distinctionem, opportunius in decursu Theologiae Moralis suo loco elucidabuntur.

§ 1. DE DISTINCTIONE SPECIFICA.

163. Communiter AA. triplicem regulam statuunt qua de peccatorum specifice diversa malitia judicetur. Licet autem controverti possit quaenam ex illis sit magis generalis seu aptior formula ad casus omnes comprehendendos, practice satis constat singulas ad finem intentum utiles esse, et expedire ut, pro natura argumenti, nunc ad hanc, nunc ad illam recurratur. Cfr. Ball. P. n. 233. Sunt autem sequentes :

REGULA I. Peccata specifice differunt quando versantur circa *objecta formaliter diversa*. Cfr. S. Th. 1. 2. q. 72. a. 1.

In hac regula peccatum consideratur secundum entitatem positivam seu quatenus est actus humanus. Jamvero actus humani specie differunt secundum objecta formalia. (n. 34)

REGULA II. Peccata specie differunt cum opponuntur *diversis virtutibus*, ex. gr. fidei et spei, vel *eidem virtuti per extrema opposita* scil. per excessum et defectum, ut spei opponuntur praesumptio et desperatio, vel *officiis moraliter diversis ejusdem virtutis*, ut homicidium, furtum, adulterium, detractio, quae omnia adversantur justitiae, sed singula modo speciali et, e communi aestimatione, moraliter diverso eam virtutem laedunt.

REGULA III. Peccata specie differunt cum opponuntur *legibus moraliter diversis* seu quae ex motivo diversae virtutis latae sint.

Non sufficit ergo ut eadem lex feratur a pluribus legislatoribus, sicut ex. gr. adulterium lege tum naturali, tum ecclesiastica, tum civili pro-

hibetur ; neque etiam ut idem objectum pluries ab eodem legislatore ob eamdem formalem rationem praescribatur, ut ex. gr. recitatio divini officii duplici lege ecclesiastica praecipitur sacerdoti beneficiato : manet enim unum specifice peccatum talium legum transgressio. Sed oportet ut diversis legibus diversum honestatis motivum intendatur : unde redibit hoc distinctionis principium ad secundam regulam desumptam ex oppositione ad diversas virtutes vel moraliter diversa ejusdem virtutis officia. Ita sacerdos violando castitatem duplex specifice peccatum committit, quia luxuria ipsi lege naturali et divina, ex motivo virtutis castitatis prohibetur, lege autem ecclesiastica ex motivo religionis. Ita triplex specifice diversum peccatum facit qui die Dominica Missam praetermittit ad quam audiendam tenetur, non tantum communi Ecclesiae praecepto, sed insuper voto et juramento. Quamvis enim tres illae obligationes ex motivo religionis oriantur, inest tamen singulis diversa honestatis ratio, scil. praecepto Ecclesiae honestas cultus Deo deferendi, voto honestas fidelitatis Deo servandae, juramento honestas veracitatis divinae agnoscendae, ne Deus in falsi testimonium vocetur.

Insuper secunda regula ad primum reduci potest. Ut enim advertit S. Th. (1. 2. q. 72. a. 1) : " Etiamsi (peccata) distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret ; virtutes enim distinguuntur specie secundum objecta. „ Unde vix discrepant tres illae regulae; prima tamen magis ad fundamentum distinctionis specifice accedit quam sequentes.

Manifestum est peccata specifice distincta etiam numero esse plura. Quare in sequenti paragrapho unice de peccatis specie non differentibus agetur.

§ 2. DE DISTINCTIONE NUMERICA.

164. Numerus peccatorum sine ulla difficultate agnoscitur quando occurrit unus actus cum uno objecto, vel plures actus quorum singuli objectum omnino ab invicem distinctum habent. Idem vero majore difficultate determinatur quando vel plures actus aliquatenus uniuntur, puta per unum finem ad quem tendunt, vel unus actus plura attingit objecta. Exemplo sint multa media ad unum hominem occidendum adhibita, explosio qua plures homines simul occiduntur, etc. De utroque casu singillatim agemus. Cfr. Gury, I. n. 162 ; Lehmk. I. n. 241 seqq. ; Ball. P. n. 244 seqq.

I. De distinctione quae desumitur **ex actuum pluralitate.**

Quo accuratius haec distinctio determinetur, distinctas regulas statuemus de peccatis mere internis seu nullum respectum ad exsecutionem

externam involventibus, de peccatis internis quidem, sed per propositum ad externam exsecutionem tendentibus, de peccatis externo actu completis.

REGULA I. *Actus mere interni* multiplicantur quotiescumque homo se ab actu pravo, ex. gr. odii, desperationis, contraria voluntate retrahit et postea ad eumdem redit; insuper quotiescumque, etiam sine tali retractatione voluntatis, tantum intervallum inter varios actus intercedit ut hi non tantum physice, sed et moraliter interrupti censeantur. Sic unum foret peccatum si quis de rebus turpibus cum delectatione cogitans pauca verba cum transeunte misceret et statim ad turpia volvenda rediret; duplex peccatum, si ad eadem rediret post longam collocutionem quae mentem prorsus a turpibus avocasset.

Prudenti arbitrio potius quam regula generali determinandum est quandonam interruptio ut *moralis* habenda sit. Potest autem, ut advertit Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 569), similitudo admitti cum peccatis externis. Sicut in contumelia, unum censetur peccatum quando in eodem congressu successive multiplicantur convicia, ita unum peccatum internum, ex. gr. delectationis morosae, censendum est, quando objectum perseverat nobis praesens moraliter, quia non habuimus animum discedendi ab ea cogitatione, sed casu et naturali aliqua distractione interrumpitur : censetur enim quasi unus moralis congressus cum objecto. E contra novus quasi congressus cum hoc objecto habebitur et multiplicabuntur peccata, quando voluntarie nos ad alia convertimus. Regulariter autem, ut opinatur Lugo (l. c. n. 570), ultra duas vel tres horas non perseverat moraliter eadem voluptas mere interna.

Si poenitens (ut saepe contingit) numerum peccatorum internorum dicere nequit, puta quia diu iis haesit, sufficit ut explicet, quanto tempore in hoc pravo animo perseveraverit. Insuper manifestare debet utrum interruptiones morales fuerint notabiliter rarae an frequentes. (S. Alph. l. 2. n. 37) Hoc ultimum tamen lata mensura accipiendum est et potius ut inquiratur num interruptio per dies, hebdomadas vel menses duraverit : res enim melius ex indole personae et materiae ceterisque circumstantiis quam e responsis eruetur. (Ball. P. n. 288) Igitur, ubi moraliter nequit clarius res determinari, sufficeret dicere ex. gr. : " Per unum diem Petrum gravi odio prosecutus sum ; per unum mensem puellam turpiter concupivi. „

165. REGULA II. *Actus interni qui per propositum ad externam exsecutionem tendunt*, ex. gr. ad furtum vel adulterium, multiplicantur formali vel implicita voluntatis retractatione, ex. gr. amice excipiendo eum quem ex odio occidere intendebas; insuper, notabili temporis intervallo inter varios actus. Quantum autem hoc intervallum esse debeat,

una regula definiri nequit : plurimum enim pendet tum a natura peccati quod proponitur exsequendum, tum a natura occupationum quae interim assumuntur. Ita propositum furti patrandi non censetur interruptum per somnum vel ordinarias occupationes, quae propter hujusmodi proposita omitti non solent; plerumque per unius horae intervallum censebitur interruptum propositum legendi pravum librum, quia juxta communiter contingentia, eo tempore dilabi et cessare solet. (Ball. P. n. 294)

Facile per longum tempus unum propositum durare potest, quando nempe intenso affectu, ex. gr. odii vel vindictae, aliquis, etiam per menses, de mediis propositi exsequendi cogitat, exsecutionem autem ad tempus magis opportunum differt, praesertim si opus externum aggressus est, ex. gr. occasiones vindictae quaerendo, insidias struendo, etc. Quare nimis absolute videtur scripsisse S. Alph. (l. 2. n. 39) " impetum unius actus difficulter posse protrahi (ordinarie loquendo) plus quam ad duos vel tres dies ad summum. „ (Ball. P. n. 295 seqq.)

Ita unum peccatum committit qui, etiam per integrum annum, perstat in voluntate non-restituendi, licet saepius iteret propositum pergendi in mala voluntate semel elicita. Idem dicendum de proposito non adimplendi aliquam obligationem perpetuo urgentem. (S. Alph. n. 40: Ball. P. n. 302 seq.)

166. REGULA III. *Actus externi* multiplicantur quotiescumque singuli habent objectum moraliter completum seu nequeunt in unum peccatum moraliter sumptum reduci.

Jamvero actus physice plures in peccatum moraliter unum reducuntur :

1° Eo quod in unam principalem actionem velut in finem diriguntur. Sic qui, intendens copulam habere cum muliere, eam turpiter alloquitur, osculatur, tangit, immediate ante vel post copulam, hanc tantum in confessione accusare debet. At qui initio nonnisi tactus inhonestos intendebat, postea vero, libidine incitatus, copulam consummavit, tactus tamquam peccata a copula distincta confiteatur oportet. Similiter dicendum de eo qui initio intendit tantum vulnerare inimicum, quem postea, odio incitatus, occidit. (S. Alph. l. 2. n. 43) Haec tamen intentionis immutatio extraordinaria est : quare de hac passim interrogare non debet confessarius.

Liquet tamquam peccata distincta confitendas esse actiones in se graviter malas, ordinatas quidem ad finem principalem ex intentione agentis, sed natura prorsus diversas, ex. gr. incendium patratum ut inimicus igne pereat. Quae enim ita disparata sunt moraliter unum efficere nequeunt.

2° Eo quod plures actus ejusdem speciei ex uno impetu passionis procedunt, puta si quis ex eodem impetu pluries percutit, inhoneste

tangit, blasphemat, conviciatur. Non unirentur tamen actiones quae terminum suum completum singulae haberent, ex. gr. si quis pluries eadem nocte cum femina copulam perficeret. (S. Alph. n. 46, II)

167. QUAER. Quid in confessione accusandum sit quando peccatum coepit quidem exsecutioni mandari, sed ad consummationem non pervenit, sive ob retractatam voluntatem, sive ob aliquod impedimentum.

RESP. Si media adhibita in se indifferentia sunt, ex. gr. domum ingredi ad fornicandum, non videntur explicanda : nam quidquid mali in iis mediis fuit, satis exprimitur in ipso proposito quod poenitens confiteatur. (Ball. P. n. 311) Sin autem media, in inchoata exsecutione adhibita, per se peccata gravia efficiunt, ex. gr. tactus praevii ad copulam quae consummari non potuit, communis sententia tenet ea distincte confitenda esse. Plures tamen (D'Annib. I. n. 287. nota 15 ; Piatus, nota ad Princ. Theol. Mor. P. Van der Velden, I. p. 150) opinantur sufficere ut poenitens dicat se voluisse ex.gr.fornicari et quaedam media jam adhibuisse, rem autem perficere non potuisse. Ratio sane probabilis est : non percipi quomodo peccata quae moraliter unum efficiebant, propter interruptionem, plura esse incipiant.

168. II. De distinctione quae desumitur **ex objectorum pluralitate.** Quando unus actus sive internus, sive externus ad plura objecta totalia terminatur, ex. gr. unus actus odii adversus decem homines, unica explosio qua decem occiduntur, duplex datur sententia probabilis.

Prior tenet, cum S. Alph. (l. 2. n. 45), peccata tunc multiplicari in ordine ad confessionem, ideoque explicandum esse numerum illorum objectorum totalium. Potissimam rationem S. Alph. censet : nihil obstare quominus idem actus includat malitias numero diversas contra eamdem virtutem, ut patet exemplo conjugati copulam habentis cum conjugata. Nemo enim negat illum committere duplicem injustitiam, unam qua violet jus suae uxoris, alteram qua cooperetur ut complex violet jus sui mariti.

Posterior, quae probabilior videtur, negat in eodem casu multiplicari peccata. Ita Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 135 seqq.) cum Suarez, Struggl etc. Hi praesertim isti rationi innituntur : quaestionem hic non esse num huic peccato insint plures malitiae, sed num illae in confessione, juxta legem divinam a Tridentino expressam, sint distincte accusandae. Jamvero huic legi plane satisfit etiamsi non distincte accusantur omnes malitiae : nam etiam in tali confessione nullum peccatum manet non explicatum quoad suam speciem, et aliunde dicitur totus numerus peccatorum ; numerum autem malitiarum esse accusandum nullibi statutum est. Nempe verba Tridentini *omnia et singula peccata* stricto

sensu sumpta (quo certe in lege valde onerosa sumantur oportet) significant tantum actus humanos malos, *formaliter*, non autem *aequivalenter* plures, seu singulas malitias unius actus humani.

Nihilominus notat Lugo (l. c. n. 141) *regulariter* in praxi explicandum esse numerum personarum in multis hujusmodi peccatis, saltem sub aliqua generalitate confusa significante pluralitatem, dicendo ex. gr. *occidi plures homines, desideravi fornicari cum pluribus feminis*, eo quod audiendo *feci homicidium, desideravi fornicationem*, confessarius intelligeret occisionem unius hominis, fornicationem cum una, et consequenter aliud peccatum quam quod revera factum est. Procul dubio distincte essent explicandae malitiae specificae quae e pluralitate objectorum unius actus orirentur, ut si quis desideraret occidere plures inter quos essent pater ejus et sacerdos. Tandem notandum non esse moraliter unum peccatum plures actiones vel omissiones *externas* quae ad invicem non ordinentur, licet ex uno voluntatis actu procedant. Sic plura certe peccata committeret qui vellet non recitare officium per totum annum et id postea exsequeretur, vel meretrix quae, ex voluntate semel elicita se exponendi omnibus, cum multis fornicaretur. (Lugo, l. c. n. 546) Hinc :

1° Qui unico actu laesit famam totius familiae vel communitatis satisfacit dicendo : *Detraxi alicui familiae vel communitati.* Cavendum tamen ne tamquam unicus actus habeatur confabulatio in qua ter diverso modo tribus personis detractum sit.

2° Qui unico actu scandalum praebet pluribus, eorum numerum explicare non debet.

3° Qui unico actu famam alicujus apud plures laedit, eorum numerum explicare non debet. Hoc sentit etiam S. Alph. (n. 49), quia haec est tantum circumstantia aggravans, cum jus ad famam sit unicum apud omnes. Quae ratio, ut recte advertit Ball. P. (n. 270), probat sufficere ut dicatur *detraxi graviter vel leviter*, nec requiri ut addatur *coram pluribus*, sicut ponit S. Doctor.

N. B. Haec benignior sententia praesertim juvabit confessarium ne se existimet obligatum ad interrogationes molestas de talibus numeris.

CAPUT IV.

DE PECCATIS INTERNIS.

169. Licet jam supra (n. 164) quaedam de peccatis mere internis statuta fuerint, hic tamen plura de hoc aeque difficili ac practico argumento addenda sunt.

Plerique AA. recentes cum S. Alph. (l. 2. n. 15) inter peccata quae

interius animo et voluntate admittuntur triplicem classem distinguunt : desiderium, gaudium, delectationem morosam.

Desiderium est actus voluntatis quo quis deliberate intendit opus cogitatum, puta fornicationem, consummare : respicit ergo tempus futurum. Desiderium dicitur *efficax* quando elicitur propositum absolutum rei malae, *inefficax*, quando elicitur volitio conditionata seu parata ad rem malam exsequendam, si verificaretur conditio, ex. gr. : *Si possem furari thesaurum ecclesiae, furarer.* (S. Alph. l. c.)

Gaudium est deliberata complacentia in malo opere patrato : respicit ergo praeteritum.

Delectatio morosa est deliberata complacentia in objecto malo cogitato, fruendo ejus dulcedine, absque desiderio exsecutionis : respicit tempus praesens. Vocatur *morosa* non a mora temporis, cum momento possit perfici, sed quod voluntas, post plenam advertentiam rationis, ei immoretur. (Bus. ap. S. Alph. n. 11)

Haec triplex partitio rebus moralibus tractandis apte congruit, quamquam non plane cum philosophicis notionibus convenit. Nam, ut habet S. Thomas (1. 2. q. 31. a. 3), gaudium " non habet locum nisi in delectatione quae consequitur rationem... unde de omnibus de quibus est delectatio, potest esse gaudium in habentibus rationem. „ Hic vero a notione gaudii excludimus delectationem *rationalem* de objecto praesenti, non excludimus delectationem *sensibilem* quae saepe ad rationalem consequetur.

Agemus simul de desiderio et gaudio, quorum reatus iisdem regulis determinatur, dein sejunctim de morosa delectatione.

§ I. DE DESIDERIO ET GAUDIO.

170. PRINCIPIA. I. *Desiderium efficax* et *gaudium* habent eamdem malitiam peccati mortalem vel venialem quam habet actus exterior in quem feruntur.

Ratio est, quod per utrumque voluntas tendit in actum externum tamquam in objectum quod approbat in exsecutione futura vel praeterita. Necessario igitur fertur in ea omnia quae novit cum existentia objecti esse necessario connexa. Ita, si quis desiderat copulam habere cum femina quam novit esse matrimonio vel voto ligatam, necessario contrahit malitiam non tantum fornicationis, sed adulterii vel sacrilegii : hae enim circumstantiae separari nequeunt ab opere in quod voluntas fertur. Cfr. n. 41.

II. *Desiderium inefficax* pariter induit malitiam objecti quando conditio sub qua elicitur malitiam non tollit. Ratio est, quod tale desiderium

ponit in voluntate affectum ad rem prout substat prohibitioni, et consequenter manet formaliter desiderium transgrediendi legem. Exemplo sit qui elicit desiderium adulterandi si clam id facere posset.

III. Desiderium inefficax elicitum sub conditione quae omnem malitiam aufert per se peccatum non est; saepe tamen cum aliqua culpa conjungitur quia periculosum est vel saltem otiosum.

Sic licitum prorsus et etiam innocuum est desiderare ea quae jure tantum positivo prohibita sunt, sub conditione quod prohibita non essent, ex. gr.: *Libenter ederem carnes die Veneris si dispensationem obtinerem!* Per se quoque licitum, sed plerumque periculosum est optare ea quae sunt jure naturali prohibita, licita autem in aliquo casu vel statu, si is pro conditione apponatur, ex. gr.: *Occiderem Petrum si Deus mandaret; Catharinam uxorem ducerem si non essem sacerdos.*

Ubi vero iis quae lege naturali prohibentur apponitur conditio quae malitiam quidem tollat, sed impossibilis sit, ex. gr. *Fornicationem facerem si non esset peccatum*, contrahitur malitia objecti, si quis vere optat malum illud objectum non esse prohibitum: quia per se malum est velle inverti ordinem et legem naturae. Plerumque tamen per se peccatum non est: quia per talia desideria significatur tantum propensio naturalis quae in consensum circa tale objectum traheret, nisi Dei lex obstaret. Imo hujusmodi actus conditionati, in quibusdam materiis, optimi esse possunt, ut si quis diceret: *Vindicarer, si esset licitum, sed nolo propter Dei legem.* Sic enim ostenditur voluntas reprimendi propensionem naturalem propter legem divinam. In aliis autem materiis, ut in rebus venereis, hujusmodi desideria sunt valde periculosa. (Sanch. Mor. l. 1. c. 2. n. 25)

171. QUAER. Num liceat gaudere de aliqua actione mala propter effectum bonum ex ea secutum.

RESP. Tale gaudium per se licet, dummodo eo sensu concipiatur ut gaudeamus quod opus pravum, puta occisio alicujus hostis Ecclesiae, habuerit talem effectum bonum. Sic enim tantum gaudemus, supposito facto, quod inde aliquid boni secutum est. Hoc autem rectae rationi prorsus congruit: decet enim gaudere quod divina bonitas e pessimis operibus maxima bona educit. Neque videtur hic distinguendum utrum opus fuerit materialiter an etiam formaliter malum. Ecclesia enim de peccato Adami, sane formali, canit: *O felix culpa!* (Off. Sabb. Sancti) Similiter de pollutione nocturna gaudere licebit quatenus est utilis sanitati vel minuit tentationem: et quamquam S. Alph. (l. 2. n. 20) distinguit inter pollutionem nocturnam pure naturalem et eam quae

turpi somnio vel tactu causata est, rectior videtur communis doctrina quae hujusmodi distinctionem non facit. Contra, illicitum esset hujusmodi gaudium si eo sensu conciperetur ut gauderemus quod malum contigisset vel a nobis factum esset. Sic enim approbaremus peccatum et in eo complacentiam poneremus propter finem bonum. Nam sicut effectus ille bonus, ut supponimus, non poterat efficere ut illud opus quod est intrinsece malum, fieret bonum, ita neque ut sit dignum gaudio vel complacentia. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 3. n. 105; Ball. P. n. 109 seqq.)

Pari distinctione utendum esset si de desideriis quaereretur : nam haec iisdem principiis reguntur, siquidem se habent ad futurum sicut gaudium ad praeteritum. Sic licet simplici affectu et inefficaci desiderio desiderare, ob finem honestum, ut pollutio nocturna sine culpa oriatur : dummodo desiderium non sit tam intensum, ut tale quid probabiliter causet, neque sit periculum consentiendi in voluptatem. Attamen a talibus desideriis potius cavendum est cum sint imperfecta et periculosa. (Lessius, l. c.)

§ 2. DE DELECTATIONE MOROSA

172. PRINCIPIA. I. Qui morose delectatur de re quam ut malam apprehendit, peccatum committit ejusdem speciei *moralis* et *theologicae* atque ipsum objectum quod ejus menti obversatur. Sic specie differt morosa delectatio de copula fornicaria a delectatione de copula sodomitica. (S. Alph. l. 2. n. 15)

II. Delectatio morosa probabilius non contrahit malitiam specificam circumstantiarum objecti sui, nisi circa ipsam circumstantiam formaliter versaretur delectatio. Nam, cum in tali delectatione abstrahatur ab omni exsecutione vel praeterita vel futura, non apparet qua ratione voluntas feratur in objecti circumstantias, nisi de iis formaliter delectaretur. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 363) Ita solutus qui morose delectatur de copula cum femina alteri nupta, de hac autem circumstantia non delectatur, satisfaciet se accusando quod de fornicatione delectatus sit; qui delectatur de occisione sacerdotis, quia turbulentus erat, opus tamen detestans, quia de sacerdote agitur, non contrahit malitiam sacrilegii. Recte autem notat Ball. P. (n. 162) naturae valde consonum esse ut voluntas non feratur in quasdam circumstantias, puta quod mulier nupta sit, cum hae potius aptae sint ad retundendum quam ad excitandum appetitum.

173. Advertendum est delectationem morosam, de qua hic unice agitur, eam esse quae versetur circa ipsum opus malum mente apprehensum. Ab ea igitur prorsus differt :

1° Delectatio de ipsa *cogitatione rei malae.* Nam cum cogitatio de peccatis possit esse bona, puta in ordine ad concionandum, et ipsa delectatio de tali cogitatione potest bona esse ; venialiter autem mala foret si cogitatio haec otiose e mera curiositate foveretur. Saepe autem difficile est, praesertim in cogitationibus de re turpi, discernere utrum delectatio sit de cogitatione rei malae an de ipso opere malo vel de motu turpi qui ad talem cogitationem naturaliter consequitur. Ut recte advertit Suarez (de Pecc. disp. 5. sect. 7. n. 8), nullum datur criterium infallibile, neque probabilitatem delectationis culpabilis excedunt signa deducta e turpibus effectibus talis cogitationis, vel ex eo quod homo huic immoretur ex aliqua occasione turpi vel etiam sine causa aut necessitate. Potissimum recurrendum erit ad praesumptionem e reliqua hominis vita oriundam. Cfr. n. 161.

2° Delectatio de *modo* quo res mala peracta est, si quis, ex gr. delectetur de modo ingenioso quo patratum est furtum vel adulterium, de stylo eleganti quo turpia describuntur, de arte qua pictura indecens enitet, etc. in qua delectatione per se nihil est mali. Facile tamen ab hac delectatione ad delectationem formalem rei turpis transeunt qui saepe gestiunt de turpibus artificiose loqui, rerum inhonestarum metaphoris gaudent, frequenter jocose de occultis corporis partibus morbisve loquuntur, etc. Nihilominus non semper licet concludere huic pravae delectationi inhaerere eum qui libentius et avidius turpia legit auditve quam honesta. Nam hujus rei causa esse potest curiositas quae ad nova et insolita acuit ; deinde possunt simul adesse ambae delectationes : altera de modo ingenioso vel grato, quam voluntas admittit, altera de ipso objecto pravo, quae, licet a voluntate rejiciatur, efficit tamen ut propensius huic lectioni vel colloquio opera detur. (Ball. P. n. 103 seq.) Semper urget obligatio vitandi periculum proximum consentiendi in delectationem rei cogitatae, ut per se liquet.

174. QUAER. Num liceat sponsis de futuro gaudere de copula quam, inito matrimonio, habituri sint, vel viduis de ea quam olim cum comparte habuerint.

RESP. Probabilius licet de tali copula fovere delectationem *rationalem*, quae est gaudium et complacentia voluntatis : nam objectum, per illam conditionem appositam et prout intellectui objicitur, nihil inhonesti continet. Non licet autem de eadem copula fovere delectationem *sensitivam et carnalem :* ita enim consentiretur in delectationem

veneream non conditionatam, sed absolutam et praesentem. Omnino autem deterrendi sunt soluti ne de hujusmodi rebus graviter turpibus cogitent, eo quod tam facilis datur transitus a delectatione rationali ad carnalem. (Ball. P. n. 139 seqq.) Quid vero liceat conjugatis circa hujusmodi delectationes de copula inter se habita vel habenda, dicetur Vol. II. n. 547.

175. Specialis difficultas in confessione occurrit eo quod poenitentes multi inter peccata interna contra castitatem non distinguunt et promiscue tamquam *cogitationes pravas* accusant delectationes morosas, desideria et gaudium de luxuria patrata. Ut autem pateat quousque confessarius de his distinctionibus praetermissis interrogare vel instruere debeat, haec notasse juvabit :

1° Probabile est plerumque simplices delectationes de variis peccatis venereis specifice diversis, ut sunt adulterium, fornicatio, oscula, etc. non differre specie : quia feruntur ordinarie in delectabilitatem ortam e motu seminis, quae eadem est sive ex hoc, sive ex illo objecto cogitato oriatur. Unde idem potest dici earum objectum formaliter inspectum, seu secundum quod delectationes ab eo moventur. Non deest ergo ratio etiam theoretica ob quam ab ulteriori investigatione circa objectum simplicis delectationis venereae abstineatur. (Reuter, Theol. Mor. P. 2. n. 209) Praesumere enim potest confessarius delectationem habitam esse a poenitente tantum sub hac magis confusa ratione.

2° Si inspicitur tantum obligatio poenitentis confitendi peccata praeterita, verissimum videtur quod scribit Berardi (Praxis Conf. n. 52) : rudes plurimos non distinguere inter delectationes turpes, desideria turpia et gaudium de rebus turpibus, ideoque illas species materialiter tantum, non autem formaliter in eorum conscientia adesse, unde nec ipsi teneantur ad illas accusandas, nec confessarii ad eos de illis interrogandos. Nihilominus, cum boni confessarii sit poenitentem *prudenter* docere ea quae ad rectam cognitionem peccati pertineant, videtur non raro interrogatio aliqua facienda de desideriis praesertim efficacibus : quam distinctionem multi etiam sat rudes capere possunt. Cfr. Vol. II. n. 361 seq.

3° Ubi prudenter suspicatur confessarius interrogationes de peccatorum internorum speciebus nihil profuturas ob mentem obtusam poenitentis, vel etiam nocituras esse eo quod confessio illi redderetur odiosa, ab illis certe abstinere poterit. Nam nullum examen hujusmodi instituendum est nisi quod sit moraliter possibile : quod principium generale, omnium consensu, latius applicandum est in materia venerea quam in qualibet alia. (Berardi, op. cit. nn. 53 et 4505)

4° Probari posse videtur ratio agendi multorum confessariorum in

Theologia peritorum quos Reuter (l. c.) testatur a se interrogatos esse, nempe ut poenitentes non jubeantur explicare objecta venerea, de quibus simpliciter delectati sint, sed accusantes se de turpibus cogitationibus, interrogentur an consenserint in delectationem ; si affirmant, ulterius interrogentur an non adfuerit turpe desiderium alicujus actus externi, an nihil mali in iis factum sit ex. gr. tactu ; quodsi negent poenitentes, petatur delectationum numerus (cfr. n. 164) et quoad speciei explicationem acquiescatur.

CAPUT V.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

176. Peccatum, seu rectius vitium capitale dicitur illud ex quo alia vitia oriuntur et praecipue secundum originem causae finalis. (S. Th. 1. 2. q. 84. a. 3) Nempe si finis quem inordinate prosequitur aliquod vitium capitale, est natura sua multum appetibilis, ex. gr. excellentia propria vel divitiae, pronum est multa media, etiam prava, ad illum finem assequendum adhibere. Nomen igitur *capitalis* hujusmodi vitia merentur minus propter gravitatem peccatorum quae ex illis fluant (multa enim venialia sunt) quam propter *numerum* et *varietatem* vitiorum quae ad peccata capitalia, tamquam media ad finem, ordinantur. Ex hac peccatorum capitalium natura satis liquet pleraque ex illis fluentia peccata adversari peculiaribus obligationibus quae in aliis partibus Theologiae Moralis explicantur. Sic malitia cordis ob avaritiam duri erga pauperes elucidabitur ubi de praecepto eleemosynae agetur, etc.

Solent peccata capitalia post S. Greg. M. (Moral. l. 31. c. 45) et S. Th. (1. 2. q. 84. a. 4) recenseri septem. Hujus numeri rationem dat Doctor Angelicus (l. c.). Tria bona homo, tamquam fines primarios, inordinate *prosequi* potest : bonum animae, quod scilicet ex sola apprehensione rationem appetibilitatis habet, puta excellentiam laudis et honoris, per *superbiam*, seu inanem gloriam ; bonum corporis, per *gulam*, quatenus pertinet ad conservationem individui, et per *luxuriam*, quatenus pertinet ad conservationem speciei ; bonum exterius, per *avaritiam*. Dupliciter vero *fugit* aliquis bonum propter aliquod malum conjunctum : vel respectu boni proprii, per *acediam*, vel respectu boni alieni, per *invidiam*, quatenus abest insurrectio ad vindictam, et per *iram*, quatenus hujusmodi insurrectio adest.

De luxuria seu inordinato appetitu venereorum dicemus in explicando sexto et nono praecepto Decalogi. De reliquis hic breviter.

§ 1. DE SUPERBIA.

177. Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae.

Tres gradus in ea distingui possunt : primus quo quis vult excellere super alios aequales, et hoc est veniale ex genere suo ; secundus quo quis despicit aequales vel inferiores, et hoc est mortale vel veniale, prout superbus gravem vel levem injuriam infert ; tertius, quo quis propter excellentiam suam despicit Superiores eorumque legibus subjici recusat, quae est superbia consummata et mortalis ex toto genere suo. (Struggl, de Pecc. q. 3. n. 1 seq) Si quis autem ordinate ex motivo honesto aliis praeponi vellet, is superbus non esset.

Inter vitia autem quae de se nata sunt ordinari in finem superbiae, ideoque ejus *filiae* dicuntur, ea tantum hic considerabimus quae alibi non occurrunt. Sunt autem :

I. **Praesumptio**, quae est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Haec per se venialis est, nisi quis propter imperitiam suam se gravi injuriae Deo vel proximo inferendae exponat, ut si absque sufficienti peritia vellet exercere munus medici, confessarii, etc.

Cavendum tamen ne, fugiendo praesumptionem, incidat quis in *pusillanimitatem*, quod vitium est quo homo recusat tendere in id quod est suae potentiae proportionatum. (2. 2. q. 133)

II. **Ambitio**, quae est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti vel debito majoris, ut si quis ambit officium quo indignus est.

Hoc peccatum est per se veniale : fit autem mortale vel ratione medii per quod honor quaeritur, puta per simoniam, vel ratione damni quod proximo infertur. Moderatus autem appetitus honoris ob finem honestum est actus *magnanimitatis*.

III. **Vana gloria**, quae est inordinatus appetitus manifestationis propriae excellentiae, sive verae, sive fictae. Dicitur *vana*, quando quaeritur ex re mala, falsa aut ficta, aut quae non est digna gloria vel non tanta, ut ex opibus, nugis, etc.. aut apud eos qui non bene de re judicant aut sine debito fine.

Haec constituit peccatum veniale ex genere suo, etiamsi quis res sacras, ex. gr. conciones, principaliter ob vanam gloriam faceret ; per accidens tamen grave peccatum constituere posset, nempe si manifestatio propriae excellentiae fieret cum gravi alterius injuria, aut si quis in vana gloria finem suum ultimum collocaret, eique scienter ita adhaereret ut paratus esset potius gravia scelera admittere quam ei nuntium mittere. (Struggl, l. c. n. 6) Manifestatur autem propria excellentia inordinate praesertim triplici ratione :

1° Per verba : quae dicitur *jactantia*. Haec non raro fit mortalis eo quod aliquis jactat se in peccato gravi.

2° Per virtutes simulatas : quae dicitur *hypocrisis*.

3° Per exteriorem pompam : quae dicitur *ostentatio*. Haec quandoque fit mortalis, quia per nimium apparatum contrahuntur debita quibus satisfieri nequeat, vel novorum sumptuum consuetudo in civitatem introducitur, ita ut praevideatur inde oritura aliis moralis necessitas expensas faciendi supra vires cum familiae et creditorum detrimento. (Struggl, l. c. n. 7)

§ 2. DE AVARITIA.

178. Avaritia est appetitus inordinatus bonorum exteriorum quae et *bona fortunae* dici solent. Inordinatus autem erit quotiescumque non refertur ad finem debitum et honestum, puta ad providendum familiae, ad benefaciendum aliis, etc. Si immoderantia illa in eo consistit quod homo plus debito acquirit vel conservat, peccatum est contra proximum : siquidem in rebus exterioribus nequit unus homo superabundare nisi alteri deficiat; si autem immoderantia illa versatur circa interiores affectiones quas quis ad divitias habet, est peccatum hominis contra seipsum. (2. 2. q. 118. a. 1. ad 2)

Avaritia, secundum quod *justitiae* opponitur, surripiendo vel retinendo aliena, est peccatum ex genere suo mortale, ut postea de peccatis injustitiae explicabitur. Avaritia, secundum quod opponitur *liberalitati*, per immoderatas affectiones divitiarum quae tamen non pertingant ad injuriam proximo faciendam, per se peccatum veniale constituit ; potest tamen fieri ex genere suo mortalis, quando scil. adeo excrescit ut propter illum affectum inordinatum violentur stricta officia erga Deum vel proximum. Cfr. dicenda de praecepto eleemosynae n.222 seqq.et de liberalitate n. 248.

§ 3. DE INVIDIA.

179. Invidia est tristitia de alterius bono in quantum hoc aestimatur malum proprium, tamquam diminutivum propriae gloriae vel excellentiae. (2. 2. q. 36. a. 1) Differt ab odio, quod de bono proximi tristatur absolute, dum invidus de hoc bono tristatur quatenus est diminutivum boni proprii.

Hoc peccatum directe adversatur *caritati* : quia, sicut haec de bono proximi gaudet, ita illud de eodem tristatur. Unde patet invidiam esse ex genere suo mortalem : crebro tamen sive ob imperfectionem consen-

sus, sive ob exiguitatem boni de quo doletur, erit venialis. (S. Th. l. c. a. 3)

Non habetur invidia, sed aemulatio quando tristitia ex eo est quod nobis desit bonum, quod alter habet, ita tamen ut illud alteri non discupiamus. Haec *aemulatio*, si versatur circa objectum honestum, est laudabilis ; si tamen agitur de bono temporali, hujusmodi affectus saepe erit vanus et inordinatus ideoque peccatum veniale, ut si bonum dolenti sit improportionatum, ex. gr. si rusticus doleret quod non esset rex. (Ball. P. n. 370)

§ 4. DE GULA.

180. Gula est inordinatus appetitus cibi et potus. Quandonam iste appetitus inordinatus sit, clare patet ex iis quae S. Thom. (2. 2. q. 141. a. 6) de generali temperantiae regula scribit. " Praecipuus ordo rationis consistit in hoc quod aliqua in finem ordinat : et in hoc ordine maxime consistit bonum rationis : nam bonum habet rationem finis, et ipse finis est regula eorum quae sunt ad finem. Omnia autem delectabilia, quae in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitae necessitatem sicut ad finem. Et ideo temperantia accipit necessitatem hujus vitae, sicut regulam delectabilium quibus utitur, ut scil. tantum eis utatur quantum necessitas hujus vitae requirit. „

Haec autem necessitas attendi potest dupliciter : " Uno modo, secundum quod dicitur necessarium illud sine quo res nullo modo potest esse, sicut cibus est necessarius animali ; alio modo, secundum quod dicitur necessarium illud sine quo res non potest convenienter esse. Temperantia autem non solum attendit primam necessitatem, sed etiam secundam. Alia vero quae ad hoc non sunt necessaria possunt dupliciter se habere. Quaedam enim sunt impedimenta sanitatis vel bonae habitudinis : et his temperatus nullo modo utitur : hoc enim esset peccatum contra temperantiam. Quaedam vero sunt quae non sunt his impedimenta : et his moderate utitur pro loco et tempore et congruentia eorum quibus convivit. „ Igitur peccatum gulae committit quicumque cibo vel potu utitur in ea quantitate, qualitate, etc., quam praevideat obfuturam esse bonae corporis valetudini vel idoneae dispositioni mentis ad suas functiones. Excipe casum profecto rarum in quo hujusmodi comestio vel potatio necessaria foret ad grave malum evadendum. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 1. n. 10)

181. Similiter inordinatum est si quis edit vel bibit propter solam voluptatem, ut constat ex prop. 8ª ab Innoc. XI damnata : " Come-

dere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini : quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. „ Hinc tamen ne concludatur peccare eum qui manducat vel bibit *cum delectatione* vel etiam *propter delectationem ;* sed peccat qui haec facit propter *solam* delectationem, seu positive excludendo ultimum finem. Oportet enim ut hic finis in omnibus actionibus saltem implicite intendatur et sic omnia ad Deum virtualiter referantur (n. 32). Quod autem aliquis ad opus cui natura delectationem conjunxit alliciatur ac moveatur appetitu delectationis, quemadmodum et ad laborem, ope praemii seu mercedis, id ordini naturae est consentaneum. Reapse enim tunc vacatur huic operi propter voluptatem, tamquam propter finem subordinatum.

Minime autem requiritur ut, eo momento quo agitur, aliquis alius finis diserte intendatur, ut ex. gr. comesturus diserte sibi proponat finem a Deo alimentis praestitutum seu individui conservationem. Nam sufficit ut agens actum tamquam sibi licitum, vel (quod in idem recidit) tamquam non illicitum apprehendat. Ita S. Alph. (de Act. hum. n. 44) : " Quamvis aliquis accedens ad mensam non cogitet de conservatione vitae, sed *solum* de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat, quia talem delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem vitae sicque non inordinate illam appetit. „ Nam, ut addit Ball. P. qui praeclare hanc doctrinam exponit (t. VI. n. 565) : " Dum vult actum ceu rationis ordini consonum, profecto virtualiter vult ea propter quae actus est consonus ordini rationis, quamvis de iis tunc non cogitet, imo etiam haec prorsus ignoret. Quae doctrina non tantum cibo et potui, sed et aliis delectationibus applicanda est, ex.gr. voluptati copulae conjugalis.

182. Gula est peccatum veniale ex genere suo, siquidem in tali inordinatione per se nihil grave cernitur. Quare probabilius est venialiter tantum peccare eum qui se cibo et potu usque ad vomitum impleat, etiam si quis vomat ut iterum possit edere et bibere. (Ball. P. n. 375)

Per accidens tamen non raro ob gulam mortaliter peccari potest. Vid.

1° Si quis adeo gulae deditus est ut paratus sit praecepta graviter obligantia transgredi potius quam huic vitio renuntiet. His convenit illud : " Quorum deus venter est. „ (Phil. III, 19)

2° Si quis excessibus in cibo et potu notabiliter nocet sanitati suae vel se ineptum efficit functionibus quas sub gravi adimplere tenetur. Non peccant tamen mortaliter qui excessus etiam multos in cibo potuque admittunt, praevidentes periculum levium infirmitatum et brevioris vitae. Cfr. n. 353.

3° Si quis *e mera gula* vescitur carne aut sanguine humano, tum quia hoc graviter repugnat pietati defunctis debitae, tum quia viam panderet

caedibus humanis. Cfr. Lessium, de Just. et J. l. 4. c. 3. d. 2. Adde, quoad christianos, violationem legum ecclesiasticarum de sepultura fidelium, prout de crematione cadaverum dicetur Vol. II. n. 628. Attamen id videtur culpa vacare ubi justa datur causa, puta ubi naufragis nullus alius cibus suppetit : quamquam numquam licet in hunc finem hominem occidere.

4° Si quis perfecte inebriatur : qua de re ob peculiares difficultates seorsum dicetur.

183. Ebrietas perfecta, i. e. qua homo se rationis usu prorsus privet, per se est peccatum mortale. Ita hodie omnes.

Id censemus recte probari ex Ep. ad Gal. V, 21, ubi S. Paulus pluribus peccatis gravibus etiam *ebrietates* accenset, concludens his verbis : " Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. „ Nam licet videri possit hic agi de sola ebrietatis consuetudine, non apparet quomodo haec ipsa consuetudo per se ad gravem malitiam pervenire posset si singuli ejus actus levem tantum malitiam continerent.

Re autem in se inspecta, gravis malitia ebrietatis elucet :

1° Ex eo quod homo non tantum actu se privat ratione qua in Deum ordinatur, sed etiam facultate utendi ratione pro tempore notabili : quod tamen necessitas subito exsurgens exposcere posset.

2° Ex eo quod id fit propter solam vini aliusve liquoris alcoolici voluptatem, sine ulla necessitate.

3° Ex eo quod per ebrietatem homo imaginem Dei deturpat seque amenti bruto similem efficit. (Lehmk. I. n. 742)

Adverte tamen ad malitiam hanc contrahendam requiri ut homo ebrietatem velit vel *directe*, puta ad dolores obliviscendos, vel *indirecte*, dum clare advertit potum esse immoderatum et inebriantem, et tamen mavult ebrietatem incurrere quam a potu abstinere. (2. 2. q. 150. a. 2) Insuper oportet ut se inebrians praevideat se rationis usu privatum iri *per tempus notabile;* puta per horam. Haec tamen conditio ad praxim parum facere videtur : siquidem valde dubium est num perfecta privatio usus rationis minore tempore quam unius horae spatio dissipari queat ; deinde, quis hoc praevidebit ? (Ball. P. n. 392) Non excusatur autem a mortali qui sumit quantitatem potus de se aptam ad ebrietatem perfectam inducendam, licet, antequam sensibus destituatur, se somno committat quo vini effectum effugiat. (S. Alph. l. 2. n. 77) Nam mali causam totam posuit, manebitque incapacitas recuperandi usum rationis, quae e somno naturali orta non esset.

184. Venialem tantum culpam per se admittit qui propter excessum potus, phantasia perturbatur, vomere cogitur, lingua pedibusve titu-

bat, etc. Haec enim non sunt signa rationis perfecte amissae. Aliter dicendum esset si quis tantos excessus faceret ut per notabile tempus non posset discernere inter bonum et malum vel ea faceret quae hanc discretionem penitus abesse ostenderent.

Confessarius autem recte *praesumere* potest ebrietatem voluntariam fuisse ei qui crebro inebriari solet, ex. gr. decies singulis mensibus. Si quis vir satis intelligens confitetur se intra mensem semel vel iterum fuisse ebrium, interrogetur utrum ebrietatem praeviderit. (La Croix, l. 5. n. 319) Qui una alterave vice, sine ulla consuetudine, ebrius fuit, *praesumendus* est ebrietatem non praevidisse.

Ipsa ebrietas *imperfecta* non raro aliunde grave peccatum secum trahere potest, scil. ratione scandali, ex. gr. in clerico quem laici semi-ebrium esse adverterent, vel ratione damnorum quae e consuetudine talis excessus oriantur propriae valetudini vel parentibus, uxori, liberis: ideo talis consuetudo facile mortalis fit in patre vel matrefamilias.

185. QUAER. I. Num liceat se inebriare ad grave malum vitandum.

RESP. E communi et probabiliori sententia, licet : ponitur enim, ob rationem proportionate gravem, causa de se indifferens e qua immediate sequitur duplex effectus, bonus qui intenditur, malus qui permittitur (n. 14). Neque audiendi sunt qui opinantur ebrietatem esse intrinsece malam : hoc enim nequit probari nisi cum inducitur absque necessitate, solius voluptatis causa, quod extra hypothesim versatur.

Hinc videtur licitum ebrietatem inducere ad morbum depellendum, si quando practicum est, ex. gr. ad typhum depellendum, vel ad coercendam vim veneni quod e serpentis morsu haustum sit. (Sabetti, n. 149) Similiter, per se licebit sensus sopire ope ebrietatis ad magnos dolores levandos : nullum enim discrimen morale videtur inter hoc medium et alia, ex. gr. chloroformium, quae adhiberi solent. At illicitum est inebriare moribundum ut sine dolore decedat : nam eo tempore prorsus necessarius est usus rationis ut homo mereatur vel etiam (si opus sit) se cum Deo reconciliet ; insuper aequivalenter vita hujus moribundi minuitur. Quare prohibendi sunt medici ne hoc vel alio medio moribundum sensu privent. Liceret quidem interdum passive se habere quando moraliter certum esset eum Deo plene reconciliatum esse, numquam autem quando aegrotus nondum rite ad moriendum dispositus esset. Cfr. Ball. P. n. 386 ; Lemhk. n. 743.

Ad depellendam tristitiam vel melancholiam liceret tantum bibere usque ad hilaritatem : talis enim ratio non habet proportionem cum malo ebrietatis perfectae. (La Croix, l. 5. n. 324)

186. QUAER. II. Num liceat quandoque alium inducere in ebrietatem ut grande malum avertatur, ex. gr. furtum vel homicidium.

RESP. Probabiliter id licet, sive ebrietas haec (ut plerumque continget) a bibente non praevideatur, ideoque sit ei mere materiale peccatum, sive praevideatur et formale peccatum constituat. Ratio ob quam S. Alph. (l. c. n. 77) probabilitatem hujus sententiae admittit, valde clara est : quod licet inducere alterum ad minus malum ut impediatur a malo majore ad quod jam determinatus supponitur. Cfr. n. 234.

187. QUAER. III. Num imputentur mala quae in ebrietate committantur.

RESP. E principiis datis de voluntario in causa liquet ea non imputari si non fuerint praevisa ; quando autem probabiliter praevidentur, sive sponte, sive sub alieno impulsu committenda, imputantur, tamquam indirecte voluntaria ; sub gravi vel sub levi, prout tamquam gravia vel levia apprehenduntur. Hoc valet non tantum de peccatis operis, ut caede, impudicitia, damnificatione, sed etiam de plerisque peccatis linguae, ut sunt perjuria, sermones obscoeni qui aliis scandalo sint, manifestatio secretorum, blasphemiae. Excipiendae sunt tantum contumeliae in hominem prolatae : cum enim communiter ab iis qui impetuntur risu excipiantur, neque eorum honorem laedere censeantur, nulla est obligatio eas vitandi. Aliqui AA. ut Vasquez et Salmantic. idem opinantur de blasphemiis, varias ob rationes, ex. gr. quia verba haec tantum materialiter ab ebrio proferuntur tamquam sonus a pica. Nihilominus communiter ab AA. ista opinio rejicitur : quia ebrio manent veri conceptus, licet eos dirigere nequeat, et quia honor divinus talem contumeliam quam omnes horrent fugere praecipit. (Ball. P. n. 396 seq. ; Lehmk. I. n. 745 ; cfr. supra n. 93)

Idem, ut per se liquet, dicendum de malis quae in ebrietate imperfecta fieri praevidentur, nisi quod haec etiam directe semi-voluntaria manere possint.

§ 5. DE IRA.

188. Ira est inordinatus appetitus vindictae. Haec est ejus definitio prout vitium est : ira enim proprie est passio quaedam appetitus sensitivi, in appetitu vindictae consistens. Jamvero, cum vindicta bene appeti quandoque possit, nempe quando id fit secundum rationem rectam, tunc et ira laudabilis erit. (2. 2. q. 158. a. 1)

Inordinatio autem in appetitu vindictae dupliciter contingere potest : quoad objectum vindictae et quoad modum irascendi.

Ira est vitiosa propter *objectum*, si quis appetit ut fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, puta si appetit puniri eum qui non meruit vel ultra quam meruit vel etiam non secundum legitimum ordinem vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiae et correctio culpae. Ita erit peccatum mortale ex genere suo, quia contrariatur caritati et justitiae. Veniale igitur erit si vindicta quae appetitur valde levis est.

Ira est vitiosa quoad *modum*, etiamsi justa vindicta appetitur, quando immoderate fervescit vel interius vel exterius. Ita est peccatum ex genere suo veniale ; interdum tamen secum trahit alia peccata gravia ut blasphemias, maledictiones, scandala.

De reatu *filiarum* irae, ex. gr. indignationis, tumoris mentis, contumeliae etc., vel alibi ex professo dicitur vel facile e principiis generalibus judicari potest.

§ 6. DE ACEDIA.

189. Acedia est tristitia de spirituali bono. Cum autem istud spirituale bonum sensu vel communi vel particulari accipi possit, hinc quoque duplex acedia distinguitur. Nam si spirituale bonum accipitur *communiter*, acedia erit quoddam generale taedium quo homo refugit opera saluti utilia, praesertim propter molestias quas corpori inferunt : qui sensus apud ascetas frequens est, sed non constituit vitium aliquod speciale distinctum a ceteris et praesertim a vitiis carnalibus quibus aliquis quietem et delectationem corporis quaerit. Sed *speciale* vitium constituit acedia, quando bonum illud spirituale intelligitur bonum divinum de quo gaudere proprium est caritatis. (2. 2. q. 35. a. 2) Acedia, quatenus speciale peccatum constituit, est mortalis ex genere suo, siquidem secundum propriam rationem contrariatur caritati. Attamen saepe venialis erit, quia motus acediae in sola sensualitate sistit, neque ad plenum rationis consensum pertingit, ita ut caro omnino contra spiritum praevaleat. (S. Th. ib. a. 3) Exemplum acediae specialis habes in eo qui doleret, ob virtutis molestias, quod ad fidem christianam vocatus esset. Ad acediam vero generalem refertur ea quae a multis accusari solet tristitia de opere bono quatenus molestum est. Hoc plerumque peccatum veniale constituit, nisi quis opus quoddam sub gravi obligans omnino aversetur, vel ita indulgeat huic tristitiae ut se scienter conjiciat in grave periculum hujusmodi opus omittendi.

Si quem poenitet operis boni libere peracti, puta voti emissi vel

sacerdotii suscepti, haec tristitia non constituit peccatum grave, dummodo retineat firmam voluntatem adimplendi votum vel obligationes status sacerdotalis; quandoque etiam posset haec tristitia omnino vacare culpa, quando scil. imprudenter votum emisisset vel statum clericalem amplexus esset. Cfr. Lehmk. I. n. 251. Nam talis poenitentia non est de objecto quod vi hujus voti sit praeceptum : siquidem nullatenus promissum est semper gaudere de voto facto. Totum ergo redit ad motivum ob quod doletur, ad periculum quod ex illa tristitia oriri potest ceterasque circumstantias. (Suar. de Relig. tr. 6. l. 3. c. 7. n. 4)

THEOLOGIA MORALIS SPECIALIS

TRACTATUS V.

DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM.

SECTIO I. — DE FIDE.

CAPUT I.

QUAE MYSTERIA NECESSARIO CREDENDA SINT.

190. NOTIONES. Duplex necessitas in ordine ad salutem adipiscendam distinguitur : altera medii, altera praecepti.

Necessaria necessitate medii ea sunt sine quibus, etiam *inculpabiliter* omissis, salus, in praesenti Providentiae ordine et lege ordinaria, obtineri nequit. Haec autem necessitas potest esse stricta vel lata : *stricta*, quando medium in seipso requiritur, neque alia quapiam re, tamquam vices illius gerente, suppleri potest, ex. gr. gratia sanctificans in ultimo vitae instante ; *lata*, quando aliqua alia res potest supplere vices medii quod haberi nequeat, ex. gr. caritas perfecta pro sacramento baptismi.

Necessaria necessitate praecepti ea sunt quibus *culpabiliter* omissis salus obtineri nequit, ut sunt ea omnia quae sub gravi obligant. Haec enim requiruntur ne ponatur obex fini ultimo adipiscendo. Sic Sacrum die Dominica audire debeo ne me salute adipiscenda indignum efficiam, quamvis illam, absolute loquendo, etiam absque illo religioso actu assequi possim.

Quando finis est sub obligatione prosequendus, patet simul praecipi omnia illa media quae ad hunc finem prorsus necessaria sunt. Ideo, cum unusquisque teneatur ad justificationem et salutem adipiscendam, obligatur quoque ad adhibenda omnia media quae ad hunc finem requiruntur, ac proinde illa erunt simul necessaria necessitate medii et necessitate praecepti.

Fidem in sequentibus semper intelligemus stricto sensu, nempe eam " qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem, naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis qui nec falli, nec fallere potest. „ (Vatic. c. III. de Fide)

191. ASSERTA. I. Necessitate medii explicite credenda esse *constat* tantum haec duo : Deum esse et bonorum remuneratorem esse, ut diserte docet S. Paulus (Hebr. XI, 6) : " Sine fide autem impossibile est placere Deo ; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit. „ Ex ipsius argumenti natura liquet hic unice agi de iis qui actus humani capaces sunt, nequaquam de infantibus vel perpetuo amentibus, qui, sine ullo actu personali, per baptismum, consequuntur justificationem, quam non amittent propter omissionem actus cujus non sunt capaces.

II. *Probabilius* non requiritur de necessitate medii fides *explicita* mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis. Nullo enim argumento satis firmo id probatur : divinae autem bonitati, quae omnes homines vult salvos fieri, congruit ut nihil aliud absolute exigat quam quod ex morali rei natura necessarium est ut homo se ad Deum convertat, nempe ut Deum cognoscat Eumque sibi propitium fore speret. Neque plus requirunt AA. qui, ut Lugo et Suarez, fidem utriusque mysterii explicitam dicunt quidem necessariam necessitate medii, sed addunt sufficere ut *in voto* habeatur, quando re haberi nequit. Discrimen ergo cum sententia quae simpliciter negat necessitatem medii, vertitur in scientifica explicatione necessitatis medii et praecepti. (Ball. P. n. 11 seqq.) Alii tamen, quorum sententiam probabiliorem opinatur S. Alph. (l. 3. n. 2), censent fidem explicitam requiri a quo tempore Filius Dei incarnatus est.

Practice omnes conatus adhibendi sunt ut nemo baptizetur, absolvatur vel moriatur quin explicite utrumque mysterium crediderit : cum enim agatur de iis quae, etiam inculpabiliter omissa, salutem impedire possent, non licet spernere probabilitatem, saltem extrinsecam, sententiae severioris. (n. 68) Certe tamen sufficit ut rudes haec tam sublimia modo valde imperfecto apprehendant, nempe, sicut exponit Lehmkuhl (I. n. 279), ut sensu harum veritatum intellecto, divina fide eas assumant, etsi interrogati ulteriorem rationem reddere nequeant.

Non raro, praesertim in regionibus barbaris, occurrere possunt qui haec mysteria proprio conceptu apprehendere nequeant ideoque neque explicite credant : hi quoad hoc assimilandi sunt infantibus et amentibus. (Ball. P. n. 15)

Si qui ignorantia crassa laborantes ad confitendum accedunt, confessarius nequit eos absolvere, extra casum necessitatis, antequam didicerint ea quae certo vel probabiliter sunt de necessitate medii cognoscenda : secus enim sacramentum periculo nullitatis exponeret. Quare, cum eis signum crucis faciat ejusque singula verba breviter explicet ; postquam actum fidei elicuerit poenitens et promiserit se reliquis scitu necessariis addiscendis operam daturum esse, absolvatur,nisi quid aliud obstet. Confessiones autem factae cum invincibili ignorantia mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis probabiliter sunt validae et, juxta regulam generalem in Tract. de Poenit. statuendam (Vol. II. n. 305), non sunt necessario repetendae. (Ball. P. n. 18)

192. III. Necessitate praecepti tenetur unusquisque christianus, qui impotentia non excusetur, credere et scire, crasso saltem modo et quoad substantiam :

1° *Symbolum Apostolorum.* Nam fideles omnes tenentur ad agnoscendam religionem suam, saltem quoad substantialia capita. Quaedam tamen in Symbolo expressa, ut de Pontio Pilato, ad haec substantialia non pertinent : unde gravis certe non est obligatio ea explicite credendi.

2° *Decalogum :* nam his praeceptis vitam conformare debet.

3° *Sacramenta omnibus necessaria,* nempe baptismum, Eucharistiam, poenitentiam : reliqua, quando opus est ut suscipiantur.

Ut huic obligationi, quatenus gravis est, satisfiat, sufficit ut de singulis punctis, quae in praedictis continentur, interrogatus recte respondeat, saltem quod pertinet ad rei substantiam, prout ab Ecclesia proponitur. Nihilominus, saltem practice, venialiter peccat qui, licet impotentia non excusetur, negligit haec memoriae mandare eo ordine quo communiter proponuntur : nam magno periculo se exponit ea neque quoad substantiam retinendi.

IV. *In rigore praecepti* non tenentur fideles ad cognoscenda memoriter verba et seriem Orationis Dominicae, multo minus Salutationis Angelicae : siquidem nullum exstat praeceptum ut hae aliaeve orationes vocales privatim recitentur.Attamen, cum omnes aliquando ad orandum obligentur, oportet ut substantiam Orationis Dominicae norint, quatenus hoc necessarium est ad intelligendum quid possint et debeant orando petere. *In praxi* qui orationes illas ignorant monendi sunt ut addiscant : vix enim aliter praecepto orationis aliisque satisfacient. (Suarez, de Relig. tr. 4. l. 3. c. 6)

CAPUT II.

DE FIDEI ACTU INTERNO.

193. I. Praeceptum fidei internum tum affirmativum, tum negativum est ; quatenus *affirmativum*, obligat ad credenda ea quae a Deo revelata sunt et ab Ecclesia proposita : quatenus *negativum*, vetat ne quis eadem neget vel in dubium revocet. Hic tantum determinabuntur circumstantiae in quibus urgeat pars affirmativa ; de negativa dicetur cap. IV.

Obligatio actus fidei eliciendi quandoque urget per se, seu ratione ipsius praecepti fidei, quandoque per accidens, seu ratione alterius praecepti quod, sine actu fidei, impleri non possit. Attamen in hoc posteriore casu unum tantum peccatum committitur ab eo qui illud alterum praeceptum transgreditur.

194. II. Per se obligat praeceptum fidei internum :

1° Pueros inter fideles educatos, quando, rationis usum perfecte consecuti, mysteria fidei audiunt, apprehenduntque quod illa credere sit res necessaria ad salutem. " In praxi numquam contingit hos pueros esse in mora. „ (Sanch. in Dec. l. 2. c. 1. n. 3)

2° Adultos acatholicos, quando fides catholica ipsis sufficienter proposita est ut ratio, cum morali certitudine, dictet hanc fidem esse veram. Quodsi nondum affulget haec moralis certitudo, sed propria secta videtur adhuc probabilis, quamvis jam pro fide catholica probabiles vel etiam probabiliores rationes appareant, habebitur sane obligatio inquirendi veritatem, nondum tamen urget obligatio statim credendi. Nec quidquam amplius videtur erui posse e damnatione prop. 4ae ab Innoc. XI reprobatae : " Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili. „ Attamen, in articulo mortis, infidelis cui fides catholica videretur probabilior, teneretur ad eam amplectendam : cum enim tunc agatur de re quae sit omnino ad salutem necessaria, tutius sequendum est. (Ball. P. n. 44 seqq.)

3° Tentatos contra fidem ita ut, nisi actum positivum eliciant, in periculum fidei amittendae labantur. Saepe tamen hujusmodi tentatio facilius vincetur mentem ad alia divertendo.

4° Post lapsum in haeresim vel apostasiam.

5° Interdum in vita. Quoties autem hujusmodi actus sit eliciendus theoretice determinari nequit, ut patet ex optimorum AA. dissidiis. Neque practice ulla difficultas inde oritur : nam, cum materia honeste et inhoneste operandi frequenter occurrat, christianus saepe actum

fidei saltem implicite exercebit, dum propter fidei motiva virtutem colet vel a vitiis cavebit. Ab Innoc. XI damnata est prop. 17ª : " Satis est actum fidei semel in vita elicere. „

195. III. Per accidens obligat praeceptum fidei internum :

1° Quando urget tentatio contra alias virtutes quae alia ratione superari nequeat. Propterea non raro in articulo mortis haec obligatio viget. (Ball. P. n. 51)

2° Quando professio fidei exterior facienda est.

3° Quando urget aliud praeceptum quod fidem supponit, ex. gr. communicandi. Sufficit tamen in hoc casu ut eliciatur fides in eum articulum qui huic praecepto implendo praerequiritur, ex. gr. in praesentiam realem Christi in Eucharistia, neque necessarius est actus fidei *formalis*, sed sufficit *virtualis* seu *implicitus*, scil. persuasio in animo permanens e motivo revelationis olim explicite et advertenter cognito. Multo minus obligamur ad recitandam formulam consuetam actus fidei. (Ball. P. n. 50)

CAPUT III.

DE FIDE EXTERIUS PROFITENDA.

§ 1. REGULAE GENERALES.

196. I. Numquam licet **veram fidem negare vel falsam profiteri** sive *explicite*, verbo, signo, nutu; sive *implicite*, opere, silentio, omissione quae, in concretis adjunctis et juxta communem existimationem, aequivaleat fidei negationi. Utroque modo committitur peccatum grave. Nam dedecus inuritur Deo ab eo qui erubescit se Illius servum fateri : quod tanto clarius patet quanto arctiora sunt vincula quibus creatura Creatori obligatur. Cfr. Matth. X, 33. Ita graviter peccaret qui, etiam mere externe, idolo exhiberet honorem qui communiter tamquam cultus signum haberetur, vel taceret quando alius pro eo responderet eum non esse catholicum.

Nequaquam fidem negaret, sed per se leve tantum mendacium faceret qui negaret se esse sacerdotem, religiosum, etc.

II. Tenetur unusquisque christianus **fidem quandoque exterius profiteri**. Cfr. Rom. X, 10. Haec obligatio fundatur in vita sociali quam fideles in Ecclesia, societate externa et visibili, agunt. Etenim conjunctio illa visibilis quam Christus inter membra Ecclesiae suae

vigere voluit, ut a Dogmaticis demonstratur, haberi nequit nisi membra sensibiliter conjungantur inter se, quod fit dum singula manifestant se esse hujus corporis mystici membra, profitendo eamdem fidem et religionem communem aliis membris. Insuper videretur dedignari Dominum et erubescere professionem suae servitutis qui eam etiam conservis suis et toti familiae, absque justa causa, occultare vellet. Haec tamen positiva obligatio quandoque cessare potest, puta si quis detineatur inter infideles quibus non posset sine gravi damno fidem suam manifestare. (Lugo, de Fide, disp. 14. n. 52 seq.) Practice huic obligationi facillime satisfit dum implentur varia vitae christianae officia quibus externa fidei catholicae professio continetur, ex. gr. sacramentorum susceptio.

Praeterea fidem *formaliter* profiteri per verbum vel signum, quod directe tendat ad fidem internam ostendendam, tenetur christianus in duplici casu :

1° Si hanc professionem exigit *honor Deo debitus*. Hoc autem non obtinet nisi cum omissio hujus professionis notabiliter minueret apud infideles existimationem de Deo et vera religione, vel privaret Deum magno honore qui Ipsi e professione fidei in talibus adjunctis daretur. In hoc posteriore casu, qui rarus erit, potius e caritate Dei quam e praecepto fidei obligatio oriretur.

2° Si hanc professionem exigit *utilitas proximi*. Haec autem, ut strictam obligationem inducat, tanta esse debet ut aequivaleat morali necessitati, ex. gr. si mea confessio necessaria reputatur ne alii fideles a fide deficiant, si exemplo meae confessionis alii infideles ad fidem convertentur. Quando tamen in particulari certa obligatio oriatur, vix aliter quam prudentis viri arbitrio definiri potest. (Ball. P. n. 67 seqq.)

197. III. Licet quandoque **dissimulare fidem**, etiam quando circumstantiae ejus professionem exigere videntur, dummodo absit scandalum et excuset justa ratio, ex. gr. gravis mali timor ; numquam autem id licet quando silentium vel tergiversatio aequivalet negationi vel erubescentiae, nec umquam falsam fidem simulare licet.

Regulariter negationi fidei vel erubescentiae aequivalet silentium vel tergiversatio quando aliquis de fide interrogatur a persona quae *publica* auctoritate fulget : quare damnata est ab Innoc. XI prop. 18ª : " Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo : tacere, ut peccaminosum per se non damno. „ Excipe tamen : si taciturnitas pro aequivalenti fidei confessione a circumstantibus habetur vel si, in aliquibus regionibus, lex aperte statuit nulli potestati publicae licere ut se in civium conscientiam ingerat. (Lehmk. I. n. 293 ; Kenrick, Theol. Mor. tr. 13. n. 30)

At ubi interrogatio a *privato* fit, facilius dissimulatio licere potest. Videndum utrum in iis adjunctis dissimulatio appareat tamquam fidei erubescentia an tamquam interrogantis contemptus.

Non peccat contra praeceptum fidei profitendae qui in locis haereticorum, ad vitandas graves vexationes, carnes diebus abstinentiae manducat. Per se enim talis actio minime aequivalet negationi fidei catholicae vel erubescentiae quae in contemptum illius cedat. Contrarium dicendum foret si ad carnes manducandas in odium fidei cogeretur : quamvis, etiam in hoc casu, peccatum removeri possit, protestando se in carnibus manducandis minime participare perversae significationi quam huic actioni adnectant fidei hostes. (Bus. ap. S. Alph. n. 15)

De **vestibus** autem quae propriae sint haereticorum vel infidelium vix ulla hodie difficultas in praxi occurrit. Generatim enim nullum periculum erit ut aliquis propter delationem aliquarum vestium censeatur falsam religionem amplexus esse. Quare per se licet, praesertim in locis in quibus aliquis ignotus est, deferre vestes quibus utuntur ministri cultus falsi, ex. gr. togam Bonziorum vel sacerdotum mahumedanorum. (Ball. P. n. 88)

Aliter dicendum de vestibus quae minus ad tegendum corpus quam ad falsam sectam profitendam aut falsum cultum exhibendum usurpantur, qualia sunt indumenta quibus sacerdotes idolorum in suis tantum religiosis functionibus utuntur, insignia franco-murariorum, etc. Has deferre non licet, nisi clare ex adjunctis pateat eas nullatenus ad hunc finem pravum usurpari, sed ad nuditatem in necessitate tegendam, ad spectaculum dandum, etc. (Lugo, de Fide, disp. 14. n. 87 : Lehmk. I. n. 294)

Nutus vel manuum et digitorum motus quibus significetur negatio fidei vel professio falsae sectae numquam sunt liciti : aequivalent enim, in his adjunctis, verbis quibus diserte vera fides negetur. (Lugo, ib. n. 93) Hoc tamen non putaverim extendendum ad signa quibus franco-murarii se invicem agnoscere solent : quae non videtur aequivalens hujus sectae professio, sed medium ut a sectae sociis amice tractentur.

IV. Lege ecclesiastica tenentur sub gravi **professionem fidei emittere :**

1° Provisi de beneficio curato idque intra duos menses a die adeptae possessionis coram episcopo, vel, eo impedito, coram ejus generali vicario. (Trid. Sess. 24. de ref. c. 12) Neque probat S. C. Ep. et Reg. ut episcopus alium sacerdotem ad professionem fidei accipiendam deleget, ut constat e resp. 14 Ap. 1890. (N. R. Th. t. 22. p. 241) Haec obligatio complectitur paroçhos etiam amovibiles seu *succursalistas ;* renovanda est professio fidei quoties isti vel alii ad novum beneficium transferuntur. (S. C. C. 15 Dec. 1886)

2° Provisi de Canonicatu vel Dignitate in ecclesia cathedrali, idque non tantum coram episcopo vel ejus vicario, sed etiam in Capitulo. (Trid. l. c.)

3° Primates, archiepiscopi, episcopi in prima Synodo Provinciali cui intererunt. (Trid. Sess. 25. c. 2) Hodie etiam omnes ad episcopatum promoti privatim id faciunt in manibus Nuntii Apostolici vel alterius episcopi a Papa ad hoc deputati.

4° Praelati Regulares, ex Const. Pii IV *Injunctum*, nisi consuetudine (ut videtur in quibusdam locis factum) sublata fuerit obligatio.

5° Promovendi in academiis ad gradus litterarios et doctores magistrive publici, saltem theologiae. Ita usus temperavit quod ad magistros cujuscumque disciplinae extenderat Pius IV, Const. *In Sacrosancta*. (Aichner, Comp. Juris eccl. § 150. 3)

§ 2. DE COMMUNICATIONE CUM HAERETICIS ET INFIDELIBUS.

198. Ex officiis fidei verae profitendae neque umquam negandae, nascuntur nonnullae difficultates praesertim in communicatione cum haereticis, infidelibus, apostatis, etc. Praecipuas breviter solvemus.

Generatim licita est, saltem ex hodierna consuetudine, communicatio cum haereticis *in rebus mere civilibus*. Regulariter vero non licet cum iisdem communicare *in rebus sacris* vel *in mixtis*, quatenus ad religionem spectant, puta in ritu religioso matrimonii vel funerum. Hujus prohibitionis ratio desumitur tum e lege naturali, tum e Jure Canonico: e jure naturali, quatenus talis communicatio habet speciem adhaesionis sectae falsae, fovet indifferentismum, scandalum praebet vel occasio est seductionis; e Jure Canonico, quatenus eadem constanter a S. Sede prohibita est. Cfr. plurima documenta in Coll. P. F. nn. 1797-1855. Attamen, cum incommoda illa quandoque abesse possint, neque talis communicatio sit intrinsece mala, eadem interdum tolerari potest: lex enim ecclesiastica cessat in casu quo longe plus incommodi quam commodi habet. (D'Annib. I. n. 110. nota 11) Ideo S. Sedes, licet talem communicationem diserte prohiberet et ab episcopis omnino tollendam esse praescriberet, pluries addidit eam tolerari posse quando gravissima damna aliter vitari non possent. (Coll. P. F. nn. 1811, 1814) Ut tamen advertit Bened. XIV (De Syn. l. 6. c. 5. n. 2), quamvis praeclari theologi, ut Sylvius, Lugo, etc. opinentur hanc communicationem cum heterodoxis ob gravissimam causam licere, tot requirunt conditiones ut rarissime omnes simul adfuturae sint.

Adhuc strictius prohibetur communicatio cum infidelibus in rebus sacris vel mixtis. Etenim eorum cultus solet esse prorsus falsus ac

superstitiosus : quare qui cum iis in talibus rebus communicant fere semper ponent partem cultus superstitiosi, quod intrinsece malum est. Deinde in regionibus in quibus pauci catholici multis infidelibus permixti vivunt, fideles qui caerimoniis etiam mixtis interessent, puta conviviis in honorem progenitorum a Sinensibus celebratis, confirmarent infideles in eorum erroribus et superstitionibus, imo plerumque se ipsos in manifestum periculum conjicerent relabendi in avitas superstitiones. (S. Inqu. 21 Jan. 1802 ; Coll. P. F. n. 1775)

Speciatim autem haec attendenda sunt :

199. I. Numquam licet catholicis **sacramenta ab haereticis petere** si ea ministraturi sunt modo qui a ritibus catholicis alienus sit eosque ab Ecclesia Catholica discernat. Nam qui ita cum eis communicaret implicite fidem negaret et falsam sectam protestaretur. Imo neque alia sacramenta quae ritu catholico administrant, saltem extra periculum mortis, ab haereticis recipere fas est. Cfr. Vol. II. nn. 131 et 517.

II. Parentibus numquam licet, etiam ob gravissimum incommodum, positive cooperari ut liberi sui a ministro haeretico baptizentur ; passive se habere possent quando sine gravi incommodo obsistere nequirent. (Ball. P. n. 99)

Catholicis numquam licet patrinum agere per se vel per procuratorem in baptismo qui acatholico ritu ministretur, ut constat e pluribus S. Sedis documentis. (Instr. S. Inqu. 1871; Coll. P.F. n. 1847) Ideo relinquenda sententia plurium antiquiorum DD. qui id licitum opinabantur. Ratio praecipua est quod patrinus, cum debeat a ministro, nomine baptizandi, baptismum petere, necessario sectae auctoritatem agnoscit.

200. III. De **ingressu in templa haereticorum** vel assistentia eorum functionibus, sequentia notabimus :

1° Solus ingressus in templa haereticorum, secluso scandalo vel prohibitione speciali, est licitus, cum sit actio per se indifferens. Imo etiam licet visitare SS. Sacramentum quod in iisdem ecclesiis, puta Graecorum, asservatur, et coram imaginibus Sanctorum quae in iis reperiuntur orare, dummodo catholici in precibus cum heterodoxis non conjungantur. (Coll. P. F. n. 1824)

2° Assistentia concionibus vel sacris functionibus haereticorum graviter illicita est quando a gubernio catholicis praecipitur in sectae falsae favorem. Nam in iis adjunctis necessario fit actio religiosa, significans cultum sacrum erga templum acatholicum et actiones quae ibi fiunt. Ideo talis assistentia numquam licet, etiam ad gravissima damna vitanda. (Lugo, de Fide, disp. 15. sect. 6) Idem dicendum esset si talis

aditus vulgo haberetur tamquam tessera communionis cum secta heterodoxa. Ratio prohibitionis augeretur si catholici adigerentur ad partem aliquam sumendam in functionibus religiosis haereticorum, ut accidit in Imperio Russiaco pueris qui in publicis scholis educantur et quandoque jubentur ad templa " orthodoxa „ adire, crucem a ministro acatholico porrectam osculari, panes benedictos accipere, etc. (S. Inqu. 26 Apr. 1894 ; N. R. Th. t. 27. p. 260)

Probabiliter vero licet catholicis interesse functionibus acatholicorum ubi hoc a gubernio praecipitur ordinis servandi causa, minime ut sectae favor praestetur : quam conditionem Konings (J. n. 254), Lehmk. (I. n. 651), etc. opinantur verificari in publicis navibus et carceribus Statuum Foeder. Americae.

3° Etiam extra hos casus regulariter non licet haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse.(S. Inqu. 10 Maii 1770 : Coll. P. F. n. 1825) Severius haec prohibitio urgenda est in locis in quibus acatholici pauci sunt et magnos conatus faciunt ad proselytas lucrandos. Ita Card. Vic. (12 Jul. 1878) decretum edidit et ad parochos Urbis direxit quo, inter alia, statuitur " peccare graviter omnes qui *ex mera curiositate* audiunt conciones Protestantium et assistunt, *vel materialiter*, caerimoniis acatholicis. „ In locis vero in quibus jamdudum vivunt permixti acatholicis catholici, aditus mere materialis templorum haereticorum, etiam dum functiones religiosae peraguntur, non censetur communiter gravis culpa, dummodo absint scandalum, participatio ritibus vel orationibus haereticorum, et perversionis periculum. (Lehmk. l. c. ; Sabetti, n. 154)

4° Ancilla potest dominam comitari ad officia religiosa acatholica, si ita facere jubetur unice ratione famulatus, nullatenus in odium catholicae religionis, et insuper si incommodum sat grave est in tali famulatu deserendo. Similiter poterit infantem materialiter tenere dum in templo protestantico baptizatur. Attamen raro abesset periculum perversionis vel scandalum si crebro officiis religiosis interesset : quare talis *frequentia* raro licebit. (Lugo, de Fide, disp. 14. n. 17; Lehmk. l. c. ; Ball. P. n. 102)

Cavendum semper ne assistentia hujusmodi censeatur approbatio actionis perversae, ut contingeret plerumque si proxime consanguinei interessent nuptiis quas pars catholica coram ministro protestante contraheret, contra Ecclesiae vetitum. Insuper abstinendum ab iis functionibus quae involvant sectae agnitionem, ex. gr. a munere testis qui contractui matrimoniali auctoritatem conciliet. (Ball. P. n. 96)

De nuptiis haereticorum, infidelium vel quae illicite contrahuntur inter partem catholicam et partem acatholicam, respondit S. Inqu. 14 Jan. 1874 (Coll. P. F. n. 1848) : " Tolerari posse ut catholici hujusmodi

nuptiis, civilis officii causa tantum adsint, semoto scandalo et quovis perversionis periculo necnon ecclesiasticae auctoritatis contemptu.„

201. IV. Haereticorum funeribus et sepulturae interesse licet, juxta decretum S. Inqu. 13 Jan. 1818 (Coll. P. F. n. 1833), his conditionibus : ut praestetur assistentia mere materialis seu ut nullum actum religionis ponere catholici intendant ; ut ab hac assistentia abstinere nequeant sine gravi damno vel periculo, quod certe non obtinet ubi quis assistit proprio lubitu, nullo adstrictus civilis officii debito ; tandem, ut catholici nullatenus cum haereticis communicent in sacris, ideoque nec simul orent, nec se ritibus eorum immisceant, nec luminaria deferant, neque pro defuncti anima suffragia persolvant. Videndum quoque quid habeat consuetudo regionis ab episcopis tolerata, ne *temere* et *sine fructu* bona fides perturbetur si quando (ut saepe contingit) haec materialis praesentia facilius praestatur ubi catholici acatholicis mixti degunt. Imo etiam ubi catholici bona fide, ob metum gravis mali, praestant communicationem in sacris prorsus illicitam, poterunt animarum pastores vel confessarii, qui non fuerint de hac re interrogati, dissimulare ad graviora damna vitanda, ut declaravit S. Inqu. decreto mox (III) pro catholicis Russiaci imperii allegato.

V. Non licet ex. gr. monialibus nosocomii curam gerentibus, ministrum falsae religionis advocare, quando infirmi acatholici eum ad se venire cupiunt ut ab eo religionis auxilia et solatia petant, sed oportet ut passive se habeant : ita ex responso S. Inqu. 14 Martii 1848. Illa autem verba *passive se habere* ita explicuit ipsum S. Off. in litteris ad Vic. Apost. Aegypti 31 Jan. 1872, ut nulli catholico licitum sit directe obsequi petitioni acatholicorum infirmantium ut vocent aliquem hujus sectae ministrum, liceat tamen uti aliqua persona ad eamdem sectam pertinente ad eumdem ministrum vocandum, cum hac ratione salva maneat prohibitio communicandi in divinis cum acatholicis. Utramque declarationem iterum probavit Leo XIII 26 Dec. 1898. Quodsi nullus praesto sit acatholicus qui aegroti petitionem transmittat ad ministrum suae sectae, existimamus, cum Lehmkuhl (I. n. 652) et Villada (Cas. Consc. II. p. 52), numquam fas esse catholicis petere a ministro haeretico ut aegroto praebeat subsidia religionis, neque regulariter licere ab eodem petere ut ad aegrotum se conferat, dicendo ex. gr. " talis infirmus vult te alloqui. „ Haec posterior cooperatio, quae se permissive tantum habet ad ritus religiosos quos forte minister ille peracturus sit, videtur licita ob gravem causam, quae rarius in regionibus omnino catholicis, crebrius in locis mixtae religionis exsurget. In his enim denegata cooperatio ad nuntium illum perferendum, facile odium in catholicam religionem excitaret et majora bona impediret.

Similiter dicendum de ministro haeretico vocando ad ritus funebres defuncto persolvendos. (Konings, I. n. 313)

De heterodoxis ad caerimonias catholicas admittendis dicetur Vol. II. n. 583.

CAPUT IV.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

§ 1. DE INFIDELITATE.

202. NOTIONES. Infidelitas seu *carentia fidei* triplex distingui potest, quamvis alii alium sensum iisdem vocibus tribuant :

1° *Negativa*, seu status illius qui numquam aliquid de vera religione audivit, vel, si quid audivit, bona fide putavit non esse attendendum.

2° *Privativa*, seu status illius qui, licet fides ei nondum sufficienter proposita fuerit, aliquam tamen ejus notionem accepit et culpabiliter negligens fuit in quaerenda sufficienti fidei propositione.

3° *Contraria*, seu status illius qui positive respuit fidem sufficienter sibi propositam.

Hae variae significationes, quarum ultima omnino propriam vitii infidelitatis notionem tradit, referuntur ad verae fidei propositionem *nullatenus*, *incomplete* vel *plene* infideli factam. Sub alio respectu, nempe errorum qui veritatibus fidei ab infideli praeponuntur, distinguitur in Paganismum, Judaismum, Mahumetismum, Deismum, Atheismum, etc.

ASSERTA. I. Infidelitas *negativa* non est peccatum, ut liquet e principiis de ignorantia datis. Error contrarius damnatus fuit in prop. 68ª Baii : " Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est praedicatus, peccatum est. „ Est tamen peccati poena, quae e peccato primi parentis consecuta est. (2. 2. q. 10. a. 1)

II. Infidelitatis *privativae* reatus mensurandus est e gravitate negligentiae in inquirenda veritate fidei catholicae. Ut adsit gravis obligatio inquirendi, requiritur prudens dubium de errore sectae in qua quis versatur.

III. Infidelitas *contraria* est peccatum mortale ex toto genere suo, ob gravem injuriam quam Deo revelanti infert, ut per se patet.

§ 2. DE HAERESI ET APOSTASIA.

203. NOTIONES. Haeresis est error liber et pertinax contra fidem in eo qui fidem suscepit. Haec est definitio haereseos *formalis*; *materialis* autem in eo consistit quod aliquis, post fidem susceptam, errorem aliquem objectivum contra fidem catholicam sine pertinacia admittat vel affirmet.

Ad *formalem* haeresim constituendam requiritur:

1° Error contra fidem seu contra veritatem quae in verbo Dei scripto vel tradito continetur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponitur. (Conc. Vat. c. 3. de Fide) Igitur haereticus foret qui negaret quamlibet veritatem *manifeste* in Scriptura contentam : Ecclesia enim proponit credenda ea omnia quae in Scriptura continentur. (Lugo, de Fide, disp. 20. n. 58) Qui vero negaret quod falso putaret ab Ecclesia proponi ut revelatum, malitiam quidem internam haeresis contraheret: judicaret enim in corde suo Ecclesiam errare posse. Sed donec judicium istud proferret, non esset in foro externo habendus ut haereticus cum nullam haeresim protulisset. (Suar. de Fide, disp. 19. sect. 5. n. 17) Tandem nullatenus haereticus foret qui negaret veritatem quam Ecclesia infallibili magisterio suo proponeret, sed non ut revelatam, ex. gr. hunc hominem canonizatum inter Coelites versari.

2° *Error liber:* nam, licet haeresis consummetur in intellectu per errorem seu judicium erroneum, malitia ejus formaliter residet in actu voluntatis.

3° *Pertinacia*, quae essentialiter in hoc consistit quod aliquis judicium hoc erroneum retinet, sciens contrarium teneri ab Ecclesia cui suum judicium ob vanam gloriam, libidinem contradicendi etc. praefert. Non requiritur ergo, in foro interno, ut diu in hoc errore perstet vel eum acriter tueatur. At immunis est a peccato haeresis quisquis paratus est judicium suum Ecclesiae judicio submittere, licet ex ignorantia, etiam culpabili et crassa, sententiam suam mordicus tueatur. (S. Alph. l. 3. n. 19) Haec pertinacia adesse potest etiam in eo qui veritatem fidei *in dubium revocat*, licet non positive neget. Ideo haeresim admittit qui positive de tali veritate dubitat; ipse enim vel formaliter vel virtualiter judicat dogma ab Ecclesia propositum esse incertum, ideoque Ecclesiae auctoritati refragatur. Sub hac forma, nostris praesertim diebus, saepissime hoc peccatum committitur, dicendo ex. gr.: Quis novit num detur alia vita post istam ? Quomodo constat quod Ecclesia de inferni poenis docet ? Manifestum est abesse omnem pertinaciam ubi aliquis

mere negative dubitat judiciumque suspendit, animum ad alia convertens, ex. gr. ne mentem fatiget. (Ball. P. n. 131)

Ex his declarationibus patet formalem haereticum minime fore qui fidei articulum externe neget, interno assensu credat: is tamen graviter peccat contra praeceptum fidei profitendae.

4° *Susceptio verae fidei.* Nam si quis Judaeus aliusve infidelis eumdem errorem assereret objective contrarium fidei catholicae, haec non censeretur haeresis, sed pars Judaismi aliusve erroneae doctrinae cui adhaereret.

Apostasia est defectio a vera fide quam quis antea professus sit. Potest autem hujusmodi defectio contingere duplici ratione, nimirum transeundo vel ad sectam haereticam vel ad infidelitatem. In neutro casu peccatum specifice differt a professione ejusdem sectae haereticae vel infidelitatis in eo qui numquam veram fidem professus sit. (Lugo, de Poenit. disp 16. n. 295)

204. ASSERTA. I. Haeresis *formalis* est peccatum e toto genere suo mortale. Semper enim gravi injuria afficit veritatem et sapientiam divinam.

II. Haeresis *materialis*, suborto dubio, erit leviter vel graviter culpabilis pro reatu negligentiae in veritate inquirenda; si nullum dubium prudens ortum est, prorsus culpa vacat.

Hinc patet quid sentiendum sit de conditione eorum qui in secta aliqua acatholica educati sunt. Hi mere materialiter haeretici sunt, neque contra fidem peccant quamdiu, dogmata saltem maxime necessaria credentes, de sectae suae veritate nullatenus dubitant. Quodsi, oborto dubio probabili, veritatem inquirere negligunt, peccant quidem, sed nondum fiunt formaliter haeretici, si negligentia illa oritur tantum ex incuria vel timore inveniendi veritatem quam agnitam non auderent respuere. Formaliter haeretici fiunt si veritatem sufficienter propositam respuunt vel eam inquirere negligunt, cum hac dispositione quod, etiamsi eam agnoscerent, nollent ei adhaerere. (Lehmk. I. n. 301)

III. Specie non differunt variae haereses mente admissae vel verbo prolatae, quippe quae omnes eamdem injuriam divinae auctoritati inferant. Neque etiam, sub hoc respectu, differunt specie variae sectae quas aliquis professus sit; eaedem tamen distinguuntur in ordine ad confessionem, quatenus opponuntur religioni. Nam singulae sectae includunt aliquas caerimonias vel ritus continentes malitiam specie diversam, ex. gr. Calvinismus usum sacramenti invalidi in Eucharistia, Judaismus circumcisionem, Paganismus idololatriam, etc. Qui autem sectam amplec-

titur, eo ipso proponit facere peccata specie diversa quae in illius professione includuntur. (Lugo, l. c. n. 292)

§ 3. DE LIBERALISMO.

205. Liberalismus, tamquam *doctrina* spectatus, est systema politico-religiosum quod plenam independentiam Status ab Ecclesia vel Religione profitetur : quae plena independentia eo usque progrediatur ut Status se regat nullo habito ad Ecclesiam vel Religionem respectu, quasi haec non existeret. Nullam ergo admittit Ecclesiae auctoritatem in Statum, ne in iis quidem quae ad illius finem pertinent vel ab eadem tamquam sua vindicantur, ut matrimonium, bona ecclesiastica, etc. Hoc systema infallibili auctoritate sua reprobavit Pius PP. IX Encycl. litt. *Quanta cura* (8 Dec. 1864). Similiter Leo PP. XIII Encycl. litt. *Libertas* (20 Jun. 1888), ubi : " Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis : in rebus publicis fas esse a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere. „

Ut autem statuatur quale peccatum contra fidem committat qui liberalismum profitetur, sedulo inspiciendum est quid praecise per illam professionem suam intelligat, cum inter eos qui non penitus ad atheismum vel rationalismum deflexere et catholici manere volunt, infinita varietate haec liberalismi vox accipiatur; deinde videndum quousque ignorantia et bona fide a formali peccato quisque excusetur. Haec breviter indicasse sufficiet :

1° Haereticus est qui plene amplectitur liberalismi doctrinam seu ejus suprema capita, puta plenam, sensu supradicto, independentiam Status ab Ecclesia vel (quod pejus est) subjectionem Ecclesiae Status auctoritati. Nam aliqua subordinatio Status ad Ecclesiam manifeste continetur in plena potestate qua Christus Petrum ejusque successores instruxit : quod jampridem Bonifacius PP. VIII in Bulla *Unam sanctam* definivit.

2° Idem dicendum est de iis liberalibus qui pertinaciter tenent doctrinas quasdam particulares quae etiam fidei divinae adversantur, ex. gr. eam quae proscripta est prop. Syllabi 73ª : " Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium... „

Saepe ab haeresi excusantur catholici qui hos errores tuentur propter ignorantiam, quae tamen plerumque culpabilis est; imo haeresim veram committerent qui diserte animum gererent haec prava dogmata retinendi, etiamsi ea ab Ecclesia reprobata esse nossent. (n. 203)

3° Non esset haereticus, sed graviter contra obedientiam Ecclesiae debitam peccaret, qui non teneret fundamentalem doctrinam liberalismi, sed tantum errorem aliquem secundarium, ab Ecclesia quidem reprobatum, minime tamen fidei divinae contrarium, puta prop. 76am Syllabi : " Abrogatio civilis imperii, quo Ap. Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. „ Cfr. Ball. P. n. 168 seqq.

Facilius in hoc argumento aliqua bona fides admitti potest, cum doctrina ipsa de relationibus inter Ecclesiam et Statum minime obvia sit multique confundant *praxim tolerandam* cum *theoria reprobanda*. Cfr. Villada, Casus consc. I. p. 39. Si qui vocantur liberales vel has partes politicas sequuntur, aliunde tamen boni catholici officia explere videntur, prudenter erit explorandum num in doctrina vel agendi ratione aliquid mali admittant vel sine sufficienti causa malis aliorum consiliis cooperentur, quod crebro, non tamen semper, contingit. Cfr. etiam dicenda de electionibus, n. 359.

SECTIO II. — DE SPE.

206. NOTIONES. Spei nomine hic intelligimus virtutem supernaturalem qua inclinamur ad exspectandum a Deo cum certa fiducia aeternam beatitudinem et auxilium quo ad eam perveniamus.

De natura ejus virtutis plura videsis apud Dogmaticos vel Ball. P. (nn. 1-28), e quibus pauca tantum pro scopo nostro recensebimus.

Objectum *materiale* primarium spei est aeterna beatitudo : quam cum assequi possimus tantum per auxilium divinum, hoc quoque, sicut medium ad finem, vocatur objectum materiale secundarium. (2. 2. q. 17. a. 4) De objecto autem formali ejusdem virtutis multa disputant Theologi, quae potius in modum rei concipiendae quam in rem ipsam discrimen inducunt : probabilius constituendum est in divina bonitate et omnipotentia conjunctis cum fidelitate Dei promissis suis. Certitudo spei sequitur certitudinem fidei et refertur ad haec tria : certitudinem divinae ordinationis, certitudinem divini auxilii, infallibilem ordinem inter duo ista et boni sperati assecutionem. Haec tamen certitudo non impedit quominus salutem nostram cum timore et tremore operemur (Philip. II, 12) : nam scimus fieri posse ut, per accidens, propter malum usum liberi arbitrii nostri, bonum speratum minime assequamur. (Ball. P. n. 23 seqq.)

207. ASSERTA. De actu spei, sive ex necessitate medii, sive ex

necessitate praecepti eliciendo, fere eadem statuenda sunt quae supra de fidei actu diximus.

I. Actus spei adultis necessarius est *de necessitate medii*. Nam finem suum supernaturalem consequi debet homo meritis suis per auxilium Dei acquirendis : sed nequit ad hunc finem se movere nisi speret hanc aeternam beatitudinem et auxilium Dei sine quo illam assequi nequeat. Cfr. Trid. Sess. 6. c. 6.

II. Praeceptum spei eliciendae obligat **per se** :

1° Cum homo fide illustratus ad usum rationis pervenit, eo sensu quod tunc multum tempus elabi nequit quin occurrat occasio in qua se per actum spei ad Deum convertere debeat.

2° In tentatione contra spem quae aliter vinci nequeat.

3° Post actum desperationis : nam aliter ab hoc recedere nequit.

4° Aliquando in vita : quod tamen ulterius determinare nec possibile, nec necessarium est. Damnata est ab Alex. VII prop. 1ª : " Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. „

III. Praeceptum spei eliciendae obligat **per accidens** :

1° Quando aliqua tentatio contra aliam virtutem non posset aliter superari.

2° Quando urget aliud praeceptum, ex. gr. orationis, poenitentiae, etc. quod sine actu praevio spei impleri nequeat.

Cum autem praecepto spei plane satisfiat per actus virtuales, practice qui reliqua praecepta, praesertim orationis, implent, et illud servant. (Ball. P. n. 41)

208. Spei extreme opponuntur desperatio, per defectum, et praesumptio, per excessum. De utroque peccato breviter dicendum.

1° **Desperatio** est deliberata spei abjectio eo quod homo judicat beatitudinem a se comparari non posse, ex. gr. quia opinatur Deum nolle dare gratias necessarias ad passiones vincendas.

Hoc peccatum est mortale ex toto genere suo : eo quod vehementem injuriam infert Dei bonitati et fidelitati. Saepe tamen, ex imperfectione actus, venialis fit, cum animus in gravi tristitia non soleat esse plene sui compos.

2° **Praesumptio** duplex a S. Th. (2. 2. q. 21. a. 4) distinguitur : " Una quae innititur propriae virtuti, attentans scil. aliquid ut sibi possibile, quod propriam virtutem excedit... alia... quae innititur inordinate divinae misericordiae vel potentiae, per quam quis sperat se obtinere gloriam sine meritis, vel veniam sine poenitentia. „

Praesumptio qnandoque est mortalis ex toto genere suo, nempe quando, ex ipsa ratione qua concipitur, necessario haeresim vel blasphemiam involvit, ex. gr. si quis salutem propriis viribus obtinere praesumeret, quod Pelagianum est, vel divinum auxilium ad mala patranda speraret.

Saepius autem in praxi praesumptio levitatem materiae admittit. Ita si quis divinam misericordiam assumet ut motivum committendi peccata venialia, venialiter peccabit. Nec grave erit peccatum illius qui in aliquo periculo, sine oratione vel praeparatione, sperat auxilium quod Deus non promisit.

Cavendum ne peccatum praesumptionis censeatur ubi vel nullum vel aliud est. Sic non committit praesumptionem qui peccat, sperando *concomitanter* peccatum postea remissum iri, ex. gr. miles qui peccata multa admittit, confessionem rejiciens ad tempus quo militia functus fuerit. Hujus enim peccatum minuitur, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. (S. Th. l. c. a. 2) At praesumptionem admittit is cui spes veniae obtinendae fieret *ratio* seu *motivum* peccandi, vel qui peccata augeret quia Deus tam facile ignoscit decem quam quinque peccata. (S. Alph. l. 3. n. 21) Plerumque in peccatoribus totum motivum peccandi est in mala cupiditate, spes autem veniae est tantum occasio liberius peccandi dum majorem timorem removet : unde generatim non committunt illud speciale praesumptionis peccatum. (Ball. P. n. 56)

Nihil autem adversatur spei in dispositione illius qui pluries eadem peccata committit, quia tam facile in confessione plura peccata accusantur quam unum : dispositio tamen prava est. (Gury, I. n. 214)

209. Spei etiam directe adversatur **odium Dei,** non quo ipsi Deo in se malum aliquod homo velit (quod directe esset contra caritatem), sed quo se a Deo avertat, nolens in eo constituere felicitatem suam : quod certe peccatum ex genere suo gravissimum est.

Non peccant tamen graviter quicumque optant perpetuo in hoc mundo vivere. Hoc enim votum, cum sit de re manifeste impossibili, ab homine sanae mentis concipi non solet nisi per modum merae velleitatis, qua significet magnam affectionem erga praesentis vitae bona vel timorem mortis ob incertitudinem aeternae felicitatis. Non esset tale votum peccatum grave, nisi cum praeponerentur praesentia bona futuris ac possessioni Dei. (Lehmk. I. n. 313)

SECTO III. — DE CARITATE.

CAPUT I.

DE PRAECEPTO CARITATIS DEI.

210. NOTIONES. Caritas hic intelligitur virtus a Deo infusa qua Deum propter seipsum diligimus et proximum propter Deum. Quae definitio ut recte intelligatur, quaedam de natura amoris adjiciemus.

Distinguitur amor *concupiscentiae, benevolentiae* et *amicitiae*. Primus habetur in eo qui amat rem, ex. gr. domum, equum, non secundum se ipsam, sed ut inde bonum aliquod sibi proveniat. Secundus fovetur ab eo qui alterum ita amat ut ei bonum velit seu (quod idem est) eum amat propter se. Quodsi iste amor benevolentiae mutuus est, exsurgit amicitia, quae ad amorem benevolentiae se habet sicut species ad genus.

Si amor cujuspiam rei cum alius rei amore comparatur, exsurgunt varii gradus tum appretiationis, tum intensitatis. *Appretiative summus* dicitur amor quo rem amatam reliquis omnibus intellectu et voluntate praeferamus. Hinc caritas Dei erit appretiative summa, si malimus omnia perdere potius quam Deum offendere. Haec tamen offensa intelligenda est tantum de peccato mortali : nam veniale peccatum stare potest cum amore Dei, ideoque non constituit nos in necessitate eligendi Deum inter et creaturam. *Intensive summus* est amor qui a nullo alio in affectu voluntatis superetur, unde etiam in sensum plerumque redundat. Caritas Dei, ut constituat illum actum qui omnium mandatorum maximo imperatur (Matth. XXII, 37) et a justificatione separari nequit, debet esse appretiative summa, ut per se liquet. Minime vero requiri ut eadem sit intensive summa, solent probare Dogmatici in tract. de Poenitentia vel de Virtutibus Theologicis.

211. Communis sententia Theologorum **formale objectum** seu motivum caritatis reponit in divina bonitate absoluta, qua nempe Deus est in seipso infinite perfectus. Quare, ut caritatis actum eliciamus, necesse est ut Deum amemus, sistendo in ejus bonitate, tamquam amicum cui bonum volumus. (Mazzella, de Virt. infusis n. 1229 seqq.) Quidam tamen, praesertim recentiores, ut D'Annib. II. n. 12, Ball. P n. 6. seqq., opinantur idem objectum formale reponendum esse in bonitate divina, quacumque ratione spectetur, etiam respective seu prout est bona nobis. Quare

veram caritatem agnoscunt in actu amoris concupiscentiae quo Deum, ut perfectae beatitudinis nostrae objectum, appetimus. Sed vix apparet quomodo in hac sententia caritas non confundatur cum spe, quippe quae idem objectum formale habeat.

Illud certe cavendum ne actum caritatis plerisque hominibus difficillimum existimemus. Nequit enim etiam rudioribus et imperfectis, qui maximam humani generis partem efficiunt, moraliter impossibilis esse actus quem Deus ab omnibus poscit: siquidem omnibus, etiam peccatoribus, dedit praeceptum Eum super omnia diligendi. Insuper justis inest habitus caritatis, qui non ita aegre in actum prodire debet. Neque requiritur ut notiones satis subtiles, quas communis sententia in scientifica hujus actus explicatione adhibet, explicite a fidelibus apprehendantur. Sicut homines, etiam retusi ingenii, capaces sunt verae amicitiae erga homines illamque satis discernunt a mero amore concupiscentiae quo alios prosequuntur, quamvis distincte utriusque amoris discrimen minime percipiant, ita Deum vera caritate prosequi poterunt, quamvis hujus virtutis notionem confusam tantum habeant. Nam " perfectus amor est quo aliquis secundum se amatur, ut puta cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. " (2. 2. q. 17. a. 8) Quare, si quis propositis idoneis motivis (Vol. II. n. 269) conatus est caritatem in se excitare, non ita aegre existimare poterit se ad finem optatum pervenisse, si quando id necessarium foret, puta ad statum gratiae extra confessionem recuperandum. (Berardi. Prax. Conf. n. 194)

Praeterea ab alio errore cavendum: vid. ne amor divinae bonitatis propter seipsam ita exhibeatur quasi *excluderet* amorem concupiscentiae erga Deum. Hic enim illius initium est, quod cum amore benevolentiae nullatenus pugnat, neque a creatura sine aliqua injuria Dei rejici potest: cum per hanc exclusionem, indoli amicitiae prorsus contrariam, Ipsius consortium fastidiremus. Nihil ergo obstat quominus simul duo actus eliciantur: alter spei, quo Deum diligimus ut nobis bonum, alter caritatis, quo Deum diligimus ut bonum in se. (Mazzella, l. c. n. 1168) Hinc patet error recentioris Quietismi quo invehebatur status habitualis amoris Dei quocum nullus actus spei, utpote imperfectus et proprii commodi motivo mixtus, componi posset. Systematis expositionem videsis in 23 Propp. e scriptis Fenelonii excerptis et ab Innoc. XII damnatis. (Denz. n. 1193)

212. ASSERTA. I. Necessarius est omnibus de **necessitate medii** *habitus* caritatis infusus. *Actus* autem caritatis, qui sub V. T. prorsus necessarius erat ad justificationem et salutem assequendam, sub N. T. mansit hypothetice necessarius iis qui sacramenta baptismi vel poenitentiae suscipere nequeunt, excepto martyrii casu; iis autem qui sacramenta illa recipiunt, sufficit attritio. Cfr. Vol. II. nn. 128 et 271.

II. De necessitate praecepti eadem fere hic dicenda sunt ac supra (n. 207) de obligatione eliciendi actum spei. Pauca tantum notabimus :

1° Frustra laborarunt quicumque conati sunt determinare quoties fideles actum caritatis elicere per se teneantur. Huc spectat prop. 6ª ab Innoc. XI damnata : " Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare praeceptum caritatis erga Deum. „ Neque ulla solida ratione nititur sententia quae placuit S. Alph. (l. 3. n. 8) : saltem singulis mensibus hanc obligationem urgere. (Ball. P. n. 25) Ideo, potius quam incerta obligatio imponatur scrupulique injiciantur, hortandi sunt fideles ut saepe actum caritatis eliciant, et ad eum eliciendum juvandi sunt propositis motivis idoneis. Cfr. n. 210. Plerumque etiam fideles pie viventes facile huic obligationi satisfaciunt dum optant ut nemo Deum offendat, dolent de offensis per alios irrogatis, desiderant ut omnes Eum colant et, ut petere solent in Oratione Dominica, sanctificent nomen ejus, vitant peccata quia Ipsi displicent, etc. (Gury, I. n. 219) Actus enim impliciti hic etiam sufficiunt.

2° Non probatur certo obligare per se hoc praeceptum in articulo mortis. Imo, etiamsi certa foret talis obligatio, imprudenter ageret confessarius qui moribundum ignorantem de ea moneret. (Lugo, de Poenit. disp. 7. n. 276) Utilissimum tamen erit hortari et juvare moribundos ut se actu caritatis vel perfectae contritionis ad mortem praeparent.

213. Praeter omissionem actus caritatis quando praecipitur, directe huic praecepto adversatur *odium inimicitiae* seu *malevolentiae* quo homo Deum prosequatur, ex. gr. optando ut Deus non sit, non habeat scientiam, potentiam, etc. Imo hoc peccatum omnium gravissimum est, cum directe sit contra ipsam divinitatem. (n. 160) Ad istud proxime accedit *odium abominationis* quo homo detestetur divina attributa, non quatenus in se sunt infinite amabilia, sed quatenus ipsi mala sunt, puta divinam omnipotentiam a qua peccatorum suorum ultionem timet.

CAPUT II.

DE PRAECEPTO CARITATIS PROXIMI.

214. Objectum *secundarium* caritatis complectitur nosmetipsos et proximos. Attamen de obligatione *nosmetipsos* diligendi non est quod hic agatur. Officia enim quae inde nascuntur pertinent ad curam salutis vel temporalis vel spiritualis. Priora explicabuntur ubi de quinto Dec. praecepto ; posteriora conveniunt cum aliis obligationibus, ex. gr. orandi,

addiscendi ea quae ad salutem scitu necessaria sunt, vitandi amissionem gratiae divinae, etc. Quare peccata contraria implicite in aliis peccatis accusandis declarantur. *Proximus* autem intelligitur quaevis creatura intellectualis quae nobiscum capax sit donorum supernaturalium et aeternae beatitudinis ac propterea ad divinam quasi familiam pertineat. Excluduntur ergo tantum e creaturis intellectualibus daemones hominesque damnati.

Hic directe non agimus nisi de *caritate theologica* seu de amore cujus motivum formale sit divina bonitas, ut cum diligimus aliquem quia hic amor Deo placet vel quia in proximo personam ipsius Christi Dei aspicimus. Datur tamen et alia virtus moralis caritatis quae exercetur ab eo qui proximum diligit propter honestatem quam, lumine rationis, in hoc amore cernit. (Ball. P. n. 35)

Distinctis paragraphis dicemus de variis officiis quae e praecepto diligendi proximum derivantur : imprimis de positivis, nempe de generali obligatione diligendi proximum eique in necessitate opem ferendi, de correptione fraterna, de eleemosyna; deinde de negativis, nempe de odio et dilectione inimicorum, de scandalo, de cooperatione ad malum.

§ 1. DE GENERALI OBLIGATIONE DILIGENDI PROXIMUM EIQUE IN NECESSITATE OPEM FERENDI.

215. Datur praeceptum diligendi proximum actu non tantum externo, sed et interno, seu bene ei volendo. Tenemur enim proximum diligere *sicut nosmetipsos*. (Luc. X, 27) Jamvero fieri non potest ut nosmetipsos non diligamus actu formali et interno. Ideo reprobata est ab Innoc. XI Prop. 10ª quae diserte obligationem talis actus negabat.

Theoretice quidem de hac obligatione idem dicendum est quod supra (n. 212) statutum est de actu caritatis erga Deum eliciendo. Practice autem facillime satisfiet orando pro omnibus, ut fieri solet in Oratione Dominica, dummodo nemo ab hac communi oratione et dilectione excludatur : qua de re dicetur § 4.

Insuper caritas praecipit ut proximo bonum velimus et opere etiam externo procuremus, praesertim ubi in necessitate versatur. (1 Joann. III, 17 seq.) Hoc autem officium ut determinetur, attendendus est ordo qui inter varia bona variasque personas viget.

Bonorum triplex species assignari potest : *spiritualium* seu *supernaturalium*, *naturalium* quae animae et corpori intrinseca sunt, ex. gr. vita corporalis, doctrina, etc.; *naturalium* quae homini extrinseca sunt, ut fama, divitiae. Spiritualia *per se* praestant temporalibus, intrinseca extrinsecis. Non tamen propterea quodlibet vel minimum bonum supe-

rioris ordinis praestat, *in morali aestimatione*, cuilibet bono ordinis inferioris. Sic nemo mallet ingentis summae jacturam facere quam per unam horam levissimum capitis dolorem pati.

Inter **personas** diligendas varius ordo statuendus est prout agitur de ea dilectione quam comitatur gaudium de bono ab aliis possesso, et consequenter honor ac reverentia, vel de ea dilectione, qua desideramus alteri bonum nondum possessum et quam comitantur misericordia et beneficentia. In priore dilectione, ii sunt anteponendi qui meliores sunt ac Deo similiores : nam magis conjuncti sunt cum praecipuo caritatis objecto quod est Deus. Quare sub hoc respectu magis diligendi sunt parentes quam uxor et filii, christiani quam infideles, justi quam peccatores. In posteriore dilectione, magis diligendi sunt qui nobis sunt conjunctiores quoad ea bona quae sunt debita tali conjunctioni et in quibus haec fundatur. Sub hoc respectu, hic erit ordo : conjux, liberi, parentes, fratres, reliqui consanguinei, amici, etc. (2. 2. q. 26. a. 9) Attamen ob justas causas, puta quia persona conjunctior vitiis foedatur, remotior virtutibus nitet, iste ordo nonnumquam immutari potest.

216. REGULAE quibus determinatur obligatio succurrendi proximo praesertim in spirituali necessitate constituto :

I. In pari ordine bonorum parique necessitate et causa, magis tenemur nosmetipsos diligere quam proximum. (Ball. P. n. 38) Christus enim posuit dilectionem hominis ad seipsum, sicut exemplar dilectionis quae ad alterum habeatur. Sed exemplum potius est quam exemplatum. Ergo, ceteris paribus, tenetur homo magis diligere seipsum quam proximum, seu dilectio proximi similis, non aequalis esse debet dilectioni erga seipsum. (2. 2. q. 26. a. 4) Ubi vero par non est ordo bonorum, necessitas vel causa seu conditio nostra et proximi, non raro hunc nobis praeferre debemus, ea ratione quae in sequentibus regulis de necessitate spirituali vel temporali explicabitur. Specialis quaestio num liceat vitam propriam postponere vitae alterius, elucidabitur n. 362.

II. Ad procurandum proximo quodcumque bonum sive spirituale, sive temporale, numquam licet ullum ne veniale quidem peccatum facere : Dei enim beneplacitum et amicitia rebus omnibus creatis praeferenda sunt. Spirituale autem bonum, ad quod adipiscendum nullo praecepto obligemur, licet quandoque postponere utilitati alicui proximorum sive spirituali, sive etiam temporali. Sic differri potest ingressus in religionem sive ad conservandam curam animarum quae alium pastorem aegre invenirent, sive ad opem ferendam parentibus egenis. Reapse tamen, in hoc casu, lucrum spirituale quod ex caritate omittitur

per caritatem compensatur. Tandem licet etiam, ad opem ferendam proximo in necessitatibus spiritualibus vel temporalibus, se peccandi periculo exponere, dummodo lapsus non appareat moraliter certus : quod vix continget ubi aliquis se, non ex animi levitate, sed ex justa causa et cautionibus adhibitis, periculo exponit, cum divinae gratiae auxilium merito sperare possit. Exemplum habes in confessionibus peccatorum turpium excipiendis, vel medendis feminarum vulneribus. (Ball. P. n. 44)

217. III. Proximo *in extrema necessitate spirituali* constituto succurrendum est etiam cum certo vitae periculo, dummodo spes proximum salvandi sit moraliter certa, nec quisquam alius id probabiliter praestiturus sit. Ratio est quia, cum debeamus " pro fratribus animas ponere „ (1 Joann. III, 16), id saltem in hac necessitate, omnium summa, verificari debet.

Intelligitur adesse extrema necessitas spiritualis ubi proximus sibi relictus salutis impedimentum aut omnino superare nequit, aut tam aegre potest ut ei censeatur moraliter impossibile, puta ubi moribundus verae religionis ignarus sine baptismo moriturus est. Non tamen constat hunc esse casum *christianorum* qui valde rudes sunt ita ut actus contritionis eliciendi videantur incapaces : quae opinio est S. Alph. (n. 27). Nam nullus fidelis censendus est adeo rudis ut, opitulante Dei gratia, nesciat se toto corde ad Deum convertere. (Ball. P. n. 51) Sed videtur assimilanda extremae necessitati necessitas gravis *communis*, quae contingit tempore ex.gr. luis contagiosae, quia inter multos moribundos non deerunt qui in extrema necessitate versentur : unde, ubi saevit ex. gr. cholera morbus, tenebitur sacerdos, etiam non curatus, ceteris deficientibus, vitam exponere, ad absolutionem dandam. (S. Alph. l. c.)

IV. Proximo *in gravi necessitate spirituali* constituto non est succurrendum cum certo periculo vitae, famae vel bonorum, nisi ab iis qui ex officio in salutem animarum incumbunt, quales sunt parochi. (Vol. II. n. 120) Intelligitur autem gravis necessitas spiritualis illorum qui, sibi relicti, aeternae damnationis periculum nonnisi aegre vitare possunt. Hinc, cum tandem, si velint, possint seipsos salvare, non videtur quare aliis tam onerosa obligatio iis succurrendi ex sola caritate imponenda sit. (S. Alph. n. 31) At si potest quis alterum e gravi necessitate spirituali eripere sine proprio incommodo gravi, letaliter peccaret id omittendo. Ita saepe gravis esse potest obligatio succurrendi populo qui secus, ob haereticorum vel incredulorum conatus, fidem amissurus est, eo vel magis quod quandoque moraliter impossibile est rudioribus

sophismata agnoscere, ac proinde plures verisimiliter in extrema necessitate versabuntur.

N. B. *Necessitas spiritualis communis* est illius qui letaliter peccavit vel peccaturus est, nisi doceatur vel corrigatur. Qua de re sejunctim dicetur paragrapho sequenti.

De obligatione autem succurrendi proximo in necessitate corporali videsis § 3.

§ 2. DE CORREPTIONE FRATERNA.

218. DEFINITIO. " Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna caritate. „ (4. dist. 19. q. 2. a. 1) Hinc patet *principium* hujus operis misericordiae spiritualis esse caritatem ; *finem*, emendationem delinquentis ; *medium*, admonitionem aptam ad hunc finem assequendum. Ex eadem definitione liquet quomodo differat a correctione *judiciali*. Haec enim fit a persona auctoritatem habente qua tali, per impositionem alicujus poenae, ut delicta quae redundant in commune detrimentum puniantur et reliqui a similibus delictis absterreantur. At correptio fraterna potest fieri a quocumque, etiam inferiore, per merum opus misericordiae, et directe intendit bonum spirituale delinquentis.

ASSERTA. I. Datur praeceptum tum naturale, tum divinum correptionis fraternae, quod ex genere suo sub gravi obliget.

Obligatio naturalis facile demonstratur : nam, si caritas obligat ad sublevandam necessitatem proximi temporalem (n. 223. I), multo magis idem valet de spirituali, quando id in nostra potestate est. Obligatio legis divinae deducitur ex Eccli. XIX, 13, 14, et praesertim e verbis Christi apud Matth. XVIII, 15 : " Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. „ Hanc obligationem esse ex genere suo gravem, liquet e natura caritatis e qua derivatur.

Haec per se procedunt de corripiendo eo qui in peccato mortali versatur. De peccatis autem venialibus, alii censent nullam praecipi correptionem, alii obligationem levem adstruunt, sed raro faciendam, nisi facillime possis. (Ball. P. n. 156) Imo, etiamsi de peccatis mortalibus emendandis agitur, practice omissio correptionis fraternae plerumque venialis erit : quia privatis sat raro constabit adesse omnes conditiones requisitas ad strictam obligationem, praesertim aptitudinem ad proximum a peccato retrahendum. Cfr. 2. 2. q. 33. a. 2, ad 3.

In iis autem qui auctoritate praediti sunt, ut Praelati erga subditos, parentes erga filios, facilius poterit esse obligatio gravis, cum multo

aptiores sint ad emendationem procurandam. Imo, etiamsi agitur de emendandis venialibus, possunt Praelati religiosi sub gravi obligari ad correptionem, si ex hujusmodi culpis multiplicatis grave detrimentum disciplinae regulari immineat. (S. Alph. l. 3. n. 35)

219. II. Conditiones requisitae ut quis fraternae correptionis praecepto obligetur, sunt sequentes :

1° Ut certo constet de gravi peccato proximi. Constare autem id debet sine ulla inquisitione in facta aliena. Talis enim inquisitio ad solos Superiores spectat : si a ceteris fieret, gigneret odia et dissensiones ac proinde adversaretur caritati fraternae.

2° Ut correptio videatur necessaria, nec probabile sit emendationem sponte secutam vel secuturam esse : nam corripiendi obligatio in sola alterius necessitate radicatur.

3° Ut nullus alius adsit aptus et correptionem probabiliter adhibiturus : sic enim iterum deesset necessitas.

4° Ut sit certa spes emendationis secuturae : nulla enim datur obligatio ad rem quae praevideatur inutilis fore. Abest quoque obligatio si dubitatur utrum ex ea secuturum sit emolumentum an detrimentum spirituale delinquentis.

5° Ut correptio fieri possit sine gravi corripientis incommodo : nam caritas cum tanto incommodo non obligat. Hoc applicandum etiam iis qui, ex officio pietatis, aliorum curam gerere debent, quales sunt parentes erga filios, maritus erga uxorem, etc. (S. Alph. l. 3. n. 40) Episcopi quidem et parochi, etiam cum gravissimo incommodo, quandoque ad subditos corrigendos tenentur, quia, ratione stipendii, ex justitia ad istud faciendum obligantur. Haec tamen obligatio, cum non oriatur e sola caritate, proprie non pertinet ad correptionem fraternam.

III. Quando **peccatum ex ignorantia invincibili** committi advertitur, probabilius non datur per se obligatio correptionis faciendae, quaecumque sit ignorantia juris vel facti, juris naturalis vel positivi. Ratio universalis est : non committi tunc verum delictum ideoque non esse locum emendationi delictorum. (Ball. P. n. 159 ; Lehmk. I. n. 615) Hinc probabilius per se non datur obligatio corripiendi seu monendi eum qui ex ignorantia comedit carnes die prohibita, legit librum ab Ecclesia proscriptum, sed agenti minime periculosum, etc. Multi tamen cum S. Alph. (n. 36) opinantur materialiter peccantem corripiendum esse, praesertim quando ex ignorantia violat jus naturale.

Per accidens obligatio oriri potest, praesertim ob damnum tertii vel commune, ut si quis ex ignorantia detinet rem alienam ; — ob damnum ipsius ignorantis, ut si quis ingressus est societatem quam nescit esse

catholicae religioni adversam ; — ob scandalum, ut si sacerdos inscius domum meretricum ingrederetur. Insuper, ii qui speciali titulo, puta Praelati, patris, etc. tenentur docere personas sibi commissas, saepe ad talia peccata mere materialia corrigenda obligantur : nam munus ipsorum directe eos obligat ad depellendum a subditis ignorantiam et plurima damna quae ex ea nasci solent, puta ob aliorum scandalum, ob pravas consuetudines quae inde contrahantur, praesertim ubi contra jus naturale agitur.

220. IV. In correptione facienda *regulariter* servandus est **ordo** quem Christus praescripsit (Matth. XVIII, 15-17), scil. ut corripias privatim, deinde coram testibus, tandem ad Praelatum Ecclesiae sive Superiorem deferas.

Ratio est quod caritas obligat ad parcendum famae proximi, quatenus, salva correptionis efficacia, fieri potest. Attamen circumstantiae interdum dictant licere vel expedire ut hic ordo invertatur et statim res ad Superiorem deferatur. Intelligitur autem hic delatio quae dicitur *evangelica* et fit Superiori ut patri ad emendationem delinquentis. Haec confundenda non est cum denuntiatione quae dicitur *judicialis* et fit Superiori ut judici ad bonum aliorum, praecipue commune vel ipsius denuntiantis. Interdum tamen una cum altera miscetur, ut notat Ball. P. (n. 174)

Casus in quibus ordo servandus non est, sunt sequentes :

1° Si peccatum est publicum, seu quando tot personis notum est ut nulla tergiversatione celari possit : tunc enim nulla ratio est cur famae parcatur.

2° Si speratur emendationem melius obtineri posse statim denuntiando rem Superiori tamquam patri, omissa correptione secreta. Ita habet sententia longe communior et probabilior, teste S. Alph. (l. 5. n. 243) Ratio est, quod obligatio parcendi famae delinquentis evanescit quando omissio monitionis secretae magis juvat ad finem principalem correptionis fraternae, qui est emendatio fratris. Supponitur tunc Praelatum esse discretum et prudentem, subditum autem ita dispositum ut facilius a Praelato quam ab alio se corrigi sinat.

3° Si necessitas vitandi malum, quod tertio vel bono communi imminet, exigit ut delictum immediate Superiori manifestetur, ut si quis proditionem molitur, haereses spargit, etc. Ratio est, quod tunc praevalet bonum commune vel tertii innocentis. Attamen, ubi speraretur fructus e privata monitione, haec esset praemittenda (quamquam, ubi de gravibus delictis contra bonum commune agitur, vix illud sperare licet).

E duabus postremis exceptionibus, concludere fas est cum S. Alph. (n. 245), in congregatione religiosa raro fieri ut delicta nequeant statim

manifestari Praelato, vel quia aptior erit ad correptionem fraternam faciendam, vel ne damnum commune sequatur ob omissam denuntiationem. Si enim facienda esset correptio secreta, antequam adiretur Praelatus, eaque (ut plurimum contingeret) inefficax maneret, jam plerique ulterius non procederent ne facile innotesceret delinquenti quis eum denuntiasset. Ubi autem delicta sunt levia et consequenter infamatio levis, " major plerumque utilitas ex denuntiatione proveniet quam damnum fratris erit : praeterquam quod hujusmodi consuetudo denuntiandi Praelato levia delicta, ut ait Suarez, est quasi necessaria ad religionis statum conservandum. „ (S. Alph. ib.) Idem, saltem quoad graviora delicta, dicendum est de Collegiis, Seminariis, etc. (Gury, I. n. 233)

4° " Si corripiendus est contentus ut Superiori statim significetur, ut est apud quosdam religiosos qui, quoad hoc, juri suo renuntiaverunt. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 41) Hujus renuntiationis effectus est quod denuntiatio evangelica, omissa correctione fraterna, *regulariter* fieri potest : ergo non tantum quando adsunt speciales rationes modo explicatae omittendi privatam admonitionem.

Attamen, si certo constet fratrem perfecte emendasse peccatum occultum, neque ex eo imminere ullum periculum relapsus vel damni, non licet, etiam inter Religiosos qui huic juri renuntiarint, denuntiare patri vel Praelato, nisi frater expresse in istam denuntiationem consentiat. Nam, etiamsi in hoc quoque casu cessaret per praefatam renuntiationem obligatio justitiae ne fama inutiliter laederetur, maneret tamen obligatio caritatis vetantis ne alteri facias quod tibi non vis fieri : quae ex genere suo gravis est. (Ball. P. n. 183) Hinc a fortiori sequitur quod addit Busembaum (l. c. n. 42) : " Si Superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsus ipsi vel alteri vel communitati immineat, videtur peccare manifestando Superiori mediato delictum. „

221. QUAER. Num alumni a confessario sint *sub gravi obligandi* ad denuntiandos occultos corruptores.

RESP. 1° Si tantum timetur unius vel alterius damnum, haec obligatio non videtur urgenda cum gravi incommodo denuntiaturi : nam caritas non obligat ad privatum damnum impediendum cum tanto incommodo. Hoc autem facile adesset, si poenitens denuntiationem exsequi non posset nisi simul proprium scelus fateretur Superiori apud quem integra fama frueretur. Insuper, saltem in nostris regionibus, plerique valde abhorrent delatoris nomen vel suspicionem.

2° Si grave damnum commune timeretur, ut puta plurium corruptio vel domus infamia, urgenda esset obligatio denuntiationis, non obstante

gravi incommodo poenitentis, nisi confessarius clare praevideret hanc monitionem suam non esse profuturam, vel dubitaret de efficacia denuntiationis ad malum praecavendum. Nam, ut dicit S. Alph. (Regole pei Semin. § 1. n. 5) : " Advertendum est autem, quod, cum agatur hic de malo communi, multoties a gravi incommodo aut damno minime excusarentur. „ Cfr. Berardi, de Recid. II. n. 273; Lehmk. I. n. 614; Frassin. Th. Mor. II. p. 210.

§ 3. DE ELEEMOSYNA.

222. NOTIONES. 1° Eleemosynae nomine proprie venit pecunia vel res quaecumque quae pauperi datur ad corporalem ejus inopiam sublevandam. Quae autem de rebus dicuntur facile applicari possunt actionibus quibus alienae necessitati opem feramus, ex. gr. laborem aliquem assumendo pro paupere, ditiorem in ejus favorem adeundo, gratis ejus causam coram tribunali defendendo. Latiore sensu quandoque eleemosyna vocatur res pretio aestimabilis quae detur ut spirituali necessitati proximi subveniatur, puta erectis scholis catholicis, misso sacerdote qui populum derelictum a perversione fidei et morum tueatur, etc. De subsidio ad levandam necessitatem spiritualem proximi, judicandum est e dictis supra n. 217.

2° Quaecumque hic adstruetur obligatio intelligenda est de eleemosyna facienda pauperibus quorum necessitates nobis sua sponte innotescunt. Convenit enim inter AA. neminem, qui ad hoc speciali officio non adstringatur, obligari ad pauperes inquirendos nisi adsit dubium *grave* de necessitate vere extrema in qua versentur. Nec tale dubium exsurgit quotiescumque aliquis pauper se dicit jejunum ab integro die et similia, cum multi haec mere ad misericordiam ciendam commententur. (Ball. P. n. 128) Ratio praecipua est quod " ad eum, qui necessitatem patitur, pertineat ut necessitatem suam exponat. „ (S. Th. Quodl. 8. a. 12)

3° Obligatio dandi eleemosynam pendet a duplici consideratione : a necessitate in qua versatur is cui sit danda, et a bonis quae possidet ille de cujus officio quaeritur.

Necessitas corporalis, sicut et spiritualis, distingui solet in extremam, gravem et communem.

Necessitas extrema ea est in qua desunt necessaria vitae, aut periculum moraliter certum imminet amittendi valetudinem, pudicitiam, libertatem, integritatem membrorum, existimationem (D'Annib. II. n. 84), vel uno verbo, bonum aliquod ordinis superioris ei in quo sunt bona fortunae. Exemplo sint infans expositus quem ego solus viderim, pauper morbo vel fame periturus cui solus succurrere possim.

Huic necessitati, e communi sententia, assimilatur quasi-extrema seu gravissima vel, quod practice in idem recidit, necessitas gravis quae periculum inducit ne quis in extremam labatur. Exempla sunt, e sententia S. Alph. (H. A. tr. 10. n. 15) : cum quis in probabili periculo est amittendi vitam, membrum aliquod principale vel libertatem, aut incurrendi morbum gravissimum vel infamiam.

Necessitas gravis ea est in qua desunt necessaria ad statum conservandum. Igitur qui in ea versantur, nisi eleemosyna juventur lapsuri sunt in conditionem inferiorem illi quam juste acquisiverint.

Necessitas communis ea est in qua aliquis aegre quidem, sed tamen tolerabiliter vitam sustentat, ex. gr. qui vel e solis eleemosynis vel partim e fructu laboris, partim e caritatis subsidiis, habere solent unde parce se suosque alant.

Bona quae quis possidet possunt ipsi dupliciter necessaria esse. Stricte necessaria sunt ea sine quibus ipse et ii quorum curam gerere debet (liberi, parentes, etc.) vivere non possent. Haec dicuntur *necessaria vitae* seu *naturae;* quae non sunt ita necessaria vocantur *superflua vitae* seu *naturae.* Haec tamen et ipsa possunt esse homini necessaria necessitate minus stricta, scil. ut ipse et ii quorum curam habet *convenienter conditioni suae* vivere queant. Quae neutro e praedictis modis necessaria sunt dicuntur *superflua statui seu decentiae.*

4° Cum generatim eleemosynae obligatio versetur tantum circa superflua statui, juvat quaedam notare quae ad determinanda statui necessaria conducant.

Ut monet S. Th. (4. dist. 15) : " Talis decentia non consistit in aliquo indivisibili : quia, multis additis, homo non excedit status sui conditionem, multis etiam subtractis, conditio sui status decenter conservatur. „ Imo, ut docet S. Alph. (l. 3. n. 32) : " Necessarium ad decentiam status... habet latitudinem eo majorem quo status est major. „

Inter ea quae statui necessaria sunt, a multis AA. recensentur ea quae reservantur ad altiorem statum acquirendum. Attamen cavendum ne inde concludatur nullum esse qui teneatur ad eleemosynam faciendam e statui superfluis, quasi bona semper ad obtinendum altiorem statum necessaria censeri possent. Hoc enim merito damnatum est ab Innoc. XI in prop. 12ª : " Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. „ Modicae enim eleemosynae, quae in communibus necessitatibus faciendae sunt, optime conciliari possunt cum *moderato* ascensu ad statum superiorem.

5° Nemo in necessitate versari dicendus est qui seipsum facile ex ea eripere possit, ut pauper qui indiget tantum quia laborem detrectat.

223. ASSERTA. I. Existit **praeceptum naturale et divinum** dandi aliquando eleemosynam, idque sub gravi ex genere suo. (Suar. de Carit. disp. 7. sect. 1. n. 1) Id clare constat pluribus S. Scripturae locis, praesertim Matth. XXV, 41 seqq. quibus homines in aeternum reprobandi leguntur quia hoc praeceptum transgressi erunt. Rationem autem reperimus in 1 Joann. III, 17 : " Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo ? „

Praeceptum hoc esse etiam naturale inde constat quod dilectio proximi lege naturae praecipitur : cujus dilectionis pars praecipua est misericordia erga pauperes.

II. In necessitate extrema, pauperi succurrendum est etiam ex bonis statui necessariis, idque sub gravi. Ratio in promptu est. Si enim aliquando obligatio dandae eleemosynae gravis est, id sane ad extremam necessitatem pertinet. Idem videtur dicendum de necessitate fere extrema : nam vix in praxi ab extrema discerni potest.

Excipiendus tamen foret casus, utique sat rarus, in quo pauperi succurri non posset sine gravissimo incommodo, ex. gr. decidendo a statu suo ; neque adhibenda sunt media prorsus extraordinaria, vel ingentes expensae faciendae, puta ut in regionem longinquam transmittatur aegrotus, in patria brevi moriturus. Nemo enim tenetur hujusmodi media adhibere etiam ad propriam vitam servandam, neque caritas cum tanto incommodo obligat.

Insuper opinio probabilis est, in necessitate etiam extrema, sufficere ut detur mutuum, praesertim si ille qui nunc ea premitur, habet bona alibi vel in spe probabili. Ratio est, quod si datur id quo quis indiget, etiam cum onere restitutionis, si postea possit, satisfit fini hujus praecepti, qui est ut indigens liberetur a necessitate in qua versetur. (Ball. P. n. 124).

224. III. Probabilius gravis est obligatio succurrendi, e bonis statui superfluis, iis qui **in necessitate gravi** versantur, saltem eo sensu quod mortaliter peccaret qui crebro omne subsidium negaret iis quos in hac necessitate versari comperiret. Ratio a fortiori deducitur ex iis quae de communi necessitate dicentur : nam molestius esse solet hominibus decidere in conditionem socialem inferiorem quam permanere in statu jamdudum inito communis inopiae. Attamen, cum res ab aliis DD. in dubium vocetur, non videtur urgenda obligatio sub gravi. Cfr. D'Annib. II. n. 84. nota 8.

Plures, ut Suarez (l. c. sect. 4. n. 5), obligationem statuunt succurrendi pauperibus in gravi necessitate versantibus, etiam ex iis quae statui

sunt necessaria. Quod iterum a multis aliis negatur, ut a Ball. P. (n. 126). Dein, Suarez per necessitatem gravem intelligit casus quos potius ad quasi-extremam retulimus.

Convenit tamen inter AA. tum severiores (ut Suarez, l. c. sect. 3. n. 5 ; Lehmk. I. n. 607), tum benigniores (ut D'Annib. n. 85) unumquemque, ex caritate erga proximum, graviter obligari ut, si commode possit, grave malum alienum avertat, ex. gr. si videat domum alterius incendio flagrare, si audiat famam illius pessumdari, etc. Quod principium forte utilem et sufficientem regulam praebebit inter plurima dissidia DD. de eleemosynae praecepto.

225. IV. Etiam **in communi necessitate** probabilius sub gravi obligantur ad eleemosynam dandam ii qui statui superflua habent.

Hoc constare videtur e multis locis S. Script. quibus eleemosynae praeceptum urgetur et transgressoribus aeternae poenae imponuntur. Nihil enim in his locis indicat Christum non loqui de iis pauperibus qui ubique occurrunt et in communi necessitate versantur : eo vel magis quod SS. Patres, ex. gr. Basilius, Greg. Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Joannes Chrys. etc., haec Christi verba explicantes et severissime urgentes, de omni necessitate indistincte loquuntur. " Summa eorum est : divites esse dispensatores, constitutos a Deo, bonorum eorum quae sibi sunt superflua, et esse raptores et latrones si non distribuant.„ (Suar. l. c. n. 2) Ideo divites videntur omnino adstricti ad aliquas eleemosynas largiendas, neque a communi necessitate sublevanda excusantur, nisi qui *reapse* opitulantur in graviore constitutis. (Lehmk. n. 607)

Rationem autem S. Thomae (2. 2. q. 66. a. 7) sic compendio exhibet Suarez (l. c.) : " Haec bona (temporalia) ex Dei institutione sunt communia : jure autem gentium sunt divisa, quae divisio non potest esse justa et rationi consona, nisi hac lege facta intelligatur ut, quae propriis dominis fuerint superflua, aliis efficiantur communia. Nam oppositum esset contra finem ipsarum rerum. „ Quae obligatio, cum sit magni momenti ad commune totius generis humani bonum, videtur ex genere suo gravis. Ita et S. Alph. l. 3. n. 32.

At negari nequit satis probabilem esse opinionem eorum qui tenent hanc obligationem esse tantum levem. Ita Medina, Busemb. (ap. S. Alph. l. c.), Ball. P. n. 131.

Rationem afferunt, quod obligatio eleemosynae communiter non oritur ex superfluitate bonorum, sed ex urgenti aliorum necessitate, qualis non censetur sat tolerabilis pauperum communiter occurrentium conditio.

226. V. Probabilius non datur stricta obligatio ad omne superfluum pauperibus in communi necessitate largiendum. Id etiam S. Alph. (l. c.)

probabile censet, quia " hoc praeceptum non obligat singulos in solidum, sed communiter omnes divites, ex quibus, si singuli aliquid largiantur, satis subvenitur his communibus necessitatibus. „

In Encycl. litt. de cond. opif. 15 Maii 1891, Leo PP. XIII docet quidem : " Ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus. Quod superest, date eleemosymam (Luc. XI, 41). „ Haec tamen licet intelligere secundum probatam S. Alphonsi doctrinam et praxim communiter receptam qua tantus rigor a bonis christianis teneri non solet : qui, si largas eleemosynas fecerint, putant se officio caritatis prorsus satisfecisse, etiamsi quaedam superflue expenderint vel seposuerint. Insuper, praesertim nostris diebus, plurima bona quae a divitibus servantur aequivalenter in utilitatem multorum adhibentur, puta cum in opera privata vel publica perficienda impenduntur quae multis victus lucrandi occasionem praebeant. Quare divites illi jam non privant reliquos ab omni usu bonorum suorum, neque ea *otiosa* servant, ceteris indigentibus : quod praecipue ab antiquis Patribus reprehendebatur. Dummodo igitur aliquot eleemosynas elargiantur, videntur satis attingere finem ob quem divitias ipsis concessit Deus.

Multi, quos citat et videtur probare S. Alph. (l. c.), conati sunt determinare quanta superfluorum pars pauperibus in communi necessitate largienda sit. Statuerunt plerique sufficere ut detur redituum pars quinquagesima. Sed talis determinatio nulla ratione solida fulciri potest. Quare satius ducimus ab ea facienda abstinere et, sicut in aliis hujusmodi obligationibus opinati sumus (nn. 194, 207), id prudenti arbitrio relinquere. Profecto crescet illa obligatio cum numero eorum qui in communi necessitate versantur, cum penuria acerbiore qua premuntur, etc.

Obligatio eleemosynae, qualis hic statuta est, proprie eos tantum respicit qui liberam bonorum suorum administrationem habent vel vicariam administrationem alienorum gerunt, ut tutor bonorum pupilli. Quid autem liceat uxori et filiisfamilias in dandis eleemosynis, liquebit ex iis quae de eorum dominio dicentur n. 469 seqq. Famulis eleemosynam e bonis dominorum dare non licet, nisi tenuem et cui consentire dominos merito praesumant. (S. Alph. n. 33)

§ 4. DE ODIO ET DILECTIONE INIMICORUM.

227. I. Obligatio diligendi inimicos, quam saepe Christus inculcavit, ex. gr. Matth. V. 44, eo sensu intelligenda est quod eos a generalitate dilectionis proximi excludere non licet.

Inimici proprie intelliguntur ii qui nos injuste laeserunt vel injusto

odio prosequuntur : quamquam nihil impedit quominus doctrina hic statuta extendatur a fortiori ad eos quos quis ob quodlibet motivum naturaliter aversetur. Igitur animus paratus esse debet ad eos in necessitate juvandos perinde ac tenemur quoslibet in pari necessitate juvare. Quod autem, praeter articulum necessitatis, particularia beneficia vel dilectionis signa inimicis praestentur, id ad perfectionem caritatis pertinet. (2. 2. q. 25. aa. 8 et 9) Hinc :

II. Quilibet tenetur etiam inimicis exhibere **signa communia caritatis**, specialia vero non tenetur, nisi aliunde ratio obligationis accedat.

Communia caritatis signa censentur ea quae ab omnibus hominibus talis conditionis invicem exhiberi solent, puta a vicino vicinis, a patre filio, a convictore collegii suis contubernalibus. Quaenam autem illa sint ex communi prudentum aestimatione et recepta consuetudine dijudicandum : magna enim diversitas est pro regione, statu et tempore. His signis adnumeranda sunt ea quae libere impenduntur alicui multitudini, ut si quis omnibus alicujus civitatis pauperibus eleemosynas distribueret. (S. Th. l. c. a. 9)

Cetera dilectionis signa dicuntur *specialia*. Haec procedunt ex liberalitate, non ex debito : unde, sicut libere assumuntur, ita et libere omitti possunt.

Denegare inimico signa caritatis communia est mortale v. genere suo, ut ex oppositione ad caritatem patet. Attamen leve vel nullum peccatum erit, si materia parvi momenti est vel habetur causa excusans. Cfr. Assertum III. Speciatim :

1° " Non licet inimicum excludere a communibus orationibus, v. gr. oratione Dominica et quae pro communitate instituitur, nec a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione..., cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia vel collegio ex consuetudine salutare, solo inimico excluso. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 28) Salutatio autem et allocutio non sunt adnumerandae signis communibus nisi inter valde conjunctos.

2° Si quis offensus est ab eo quocum familiariter agebat, videndum utrum haec familiaritas a libera ipsius voluntate an a vinculo quod ab ejus voluntate non penderet, oriretur. Si tale vinculum adest, puta consanguinitatis, contubernii, etc., servandum est tamquam necessarium quidquid talis conjunctio, e recepta consuetudine, secum trahit ; deponere licet quidquid libere ei additum est. (Ball. P. n. 71)

3° Ad dijudicandam gravitatem peccati denegantium aliquod caritatis signum, attendendum quoque est ad causam ob quam id fit. Sic quod duae moniales per plures dies nolint jam se invicem salutare vel alloqui, erit grave, si ex odio vero proficiscetur, ut cum rixa gravis forte praecesserit ; idem leve erit, si ob nugas tantum dissident. (Ball. P. n. 83)

228. III. Quandoque licet ob justas causas communia caritatis signa *ad tempus* omittere. Praecipuae sunt :

1° Si quis offensus est ab inferiore, et ita eum emendare intendit.

2° Si id non fit ex odio, sed ex justo dolore recentis injuriae, praesertim ubi haec fuit valde atrox.

3° Si, absque odio, aliquis, etiam non Superior, intendit legitimam vindictam sumere de leviore injuria, ut offensoris audacia et insolentia refrenetur vel alia bona procurentur. Quod enim in gravioribus injuriis a judicibus peti potest, videtur ab unoquoque assumi posse ob eosdem fines in levioribus offensis, quibus vindicandis ad judices recurri non solet. (Ball. P n. 82)

IV. Ex adverso, quandoque datur obligatio exhibendi inimico **specialia caritatis signa**, nempe :

1° Si, omissis signis specialibus quae dari solebant, oriretur scandalum. Attamen plerumque non desunt alia media impediendi quominus ceteri ex interrupta amicitia insipienter concludant id ex odio fieri. (D'Annib. II. n. 87. nota 24)

2° Si ita inimicus a malo, puta a graviore odio, retrahi posset. Hoc autem, ut advertit Ball. P. (n. 76), nihil aliud est quam applicatio generalis obligationis qua tenemur proximo in spirituali necessitate succurrere. At, cum talis obligatio desinat ubi sine gravi incommodo impleri nequit, generatim vero exhibere offensori specialia caritatis signa grave sit, sequitur raro hanc obligationem in praxi occurrere.

3° Si inimicus veniam precatur et specialia caritatis signa exhibet, puta salutando vel alloquendo. Nam qui ea in iis adjunctis reddere nollet, aequivalenter declararet odium a se foveri.

229. V. *Per se* nemo tenetur inimico veniam petenti remittere satisfactionem pro damno, si ab eo sit laesus, imo nec eam acceptare, si offerat ; sed etiam juridice potest compensationem petere, dummodo non intendat principaliter malum delinquentis, sed aliquod bonum ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta emendationem peccantis, vel saltem cohibitionem ejus et quietem aliorum, justitiae conservationem, Dei honorem. (2. 2. q. 108. a. 1)

Practice, quando offensor congruam satisfactionem offert, vix fieri potest ut ab odio immunis sit offensus qui nihilominus juridice vindictam prosequi velit, praesertim si agitur de expetenda poena gravi, sine ullo petentis emolumento, aut si urgetur satisfactio quam offensor praestare nequeat. (S. Alph. n. 29) Nihilominus qui vindictam juridice prosequi velit, putans se bonam habere causam, non statim a beneficio absolutionis excludendus est, sed diligenter edocendus de obligatione odii

vitandi, et, si protestatur se nullo malevolentiae affectu duci, absolvi poterit. (Ball. P. n. 91)

VI. De **ordine et modo** in reconciliatione servandis, haec notanda sunt:

1° Offensor tenetur veniam petere, nisi alter quoque injuriam rependit vel certo praevidetur veniam denegaturus, aut nisi offensor offensum superat dignitate vel statu. (D'Annib. l. c. nota 15)

2° Plerumque sufficit veniae petitio *virtualis*, quae fit ex. gr. donum mittendo, indebitum obsequium praestando, Quodsi offensus huic virtuali veniae petitioni acquiescere nolit, videndum e gravitate offensae ceterisque adjunctis num rationabiliter petat *formalem*.

Confessarius igitur in imponenda formali veniae petitione sit prudentissimus. Numquam illam imponat ubi fieri nequit sine peccati occulti revelatione; imo, etiamsi quandoque objective requiri videtur, ab ea imponenda saepe abstineat ne frustra bonam poenitentis fidem perturbet. (Lehmk. I. n. 622, nota)

3° Si uterque offendit, prior reconciliationem procurare debet qui gravius laesit; si aequalis fuit laesio, qui prior laesit. Attamen, cum generatim sat aegre constet quis prior vel gravius laeserit, confessarius utrumque jubebit reconciliationem inchoare; caveat tamen ne, intempestive hanc obligationem urgendo, animos exacerbet. (Lehmk. I. n. 625)

230. VII. Odium quod caritati adversatur vocatur *inimicitiae* et fertur in personam secundum se et in bona quae habet, volendo illi malum quatenus illi malum est. Per se autem malum non est odium quod dici solet *abominationis*, quo non hominem, sed ejus malitiam vel saltem personam tantum quatenus malam vel nobis noxiam aversamur. Saepe tamen istud abominationis odium erit peccatum leve, eo quod personam hanc, absque causa rationabili, fugimus. Cfr. Bus. ap. S. Alph. n. 30.

VIII. Licet optare proximo aliquod malum, dummodo intentio *principaliter* feratur in bonum proximi et servetur ordo caritatis, quo exigitur ut bonum quod intendimus rationabiliter sit praeferendum bono cujus privatio optatur. (Ball. P. n. 99)

Ideo licet ex. gr. mortem optare haeresiarchae vel publicae pacis turbatori, ob bonum commune et multorum salutem; desiderare morbum aut egestatem peccantis ut resipiscat. (Bus. l. c.) Similiter licet patri desiderare mortem filii cujus flagitiis timet ne infametur familia. (Ball. P. n. 103) Nam rationabiliter sanitati vel vitae alicujus praefertur ejusdem bonum spirituale, commune bonum, multorum fama.

Contra reprobata est ab Innoc. XI prop. 14ª: " Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis : quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas. „ Nam proprium emolumentum temporale nequit rationabiliter praeferri vitae proximi, ad quam conservandam etiam e bonis statui necessariis opitulari debemus.

Quid dicendum sit de gaudio quod, supposita alterius calamitate, aliquis fovet de proprio emolumento inde secuto, ex. gr. de haereditate ob mortuum patrem obtenta, satis liquet ex iis quae de simili prorsus argumento dicta sunt n. 171.

Si quis diversa mala optat inimico, ex. gr. mortem, infamiam, etc. probabilior videtur sententia quam tuetur Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 260) : haec mala non esse in confessione explicanda eo quod, licet specifice differant, non desiderantur, nec attenduntur quatenus talia sunt, sed quatenus sunt malum proximi. Cfr. S. Alph. (l. 2. n. 50) qui et alias sententias proponit. Certo tamen explicanda essent mala specifice diversa quae aliquis *inferre* optasset.

§ 5. DE SCANDALO IN GENERE.

231. DEFINITIO. Scandalum, sensu vulgari et minus proprio, saepe designat admirationem quam in plebe excitat actio quaedam nova et extraordinaria et, saltem specie tenus, minus recta, licet nullus inde ad peccandum inducatur. Sensu autem theologico et proprio, designat dictum vel factum minus rectum, praebens proximo ruinae spiritualis occasionem.

Quae definitio ut rite intelligatur, adverte :

1° Ad scandalum requiri actionem quae vel in se mala sit, ex. gr. turpiloquium, vel saltem mali speciem habeat, ex. gr. die Veneris carnes publice edere ex justa dispensatione. Non est ergo proprie scandalum actio omnino recta qua alius abutitur ad peccandum. Nam " nihil secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundum quod habet aliquem defectum rectitudinis : quia id quod est perfecte rectum magis munit hominem contra casum quam ad ruinam inducat. „ (2. 2. q. 43. a. 1)

2° Ruinam spiritualem intelligi detrimentum quod peccatum grave vel leve animae inferat. Parum autem refert utrum peccatum ad quod proximus inducatur sit ejusdem an alius speciei, seu utrum actiones malae e scandalo oriundae sint similes an dissimiles actioni minus rectae quae scandalum constituit.

DIVISIO. 1° Scandalum distingui solet *activum* et *passivum*. Attamen soli scandalo activo convenit definitio data; passivum autem est peccatum occasionatum seu in quod labitur proximus, occasione dicti vel facti alieni.

Patet haberi posse activum sine passivo, puta si quis inducere velit ad fornicandum puellam quae non consentiat : nam ad activum sufficit actio vel omissio talis ut propter eam *probabiliter* existimetur peccaturus qui secus non peccasset. Similiter potest haberi passivum sine activo eo sensu qui explicabitur infra, ubi de scandalo pharisaico.

2° Scandalum activum distinguitur triplex (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 157) :

a) Indirectum, quod committitur quando agens praevidet ex actione sua facile posse induci proximum ad peccandum, id tamen non intendit, ex. gr. si clericus ancillam populo suspectam retineret tantum quia culinae esset peritissima.

b) Directum, quod committitur quando agens intendit proximum inducere ad actionem pravam, quam tamen non spectat ut malum proximi, sed ut lucrum suum, ex. gr. turpiloquia miscens cum puella ad obtinendam fornicationem.

c) Diabolicum, quod committitur quando agens similiter intendit actionem pravam alterius, sed formaliter tamquam ruinam ejus spiritualem, ex. gr. impios sermones habens ut fidem e cordibus evellat. Patet id pertinere tantum ad homines nequissimos.

3° Scandalum passivum distinguitur duplex :

a) Pusillorum, quod oritur e scandalo activo propter proximi ignorantiam vel debilitatem.

b) Pharisaicum, quod oritur unice ex ipsius sumentis malitia, ut odium quod Pharisaei in Christum conceperunt ob ejus opera perfectissima. (1)

232. ASSERTA. I. Scandalum activum quodcumque adversatur caritati, ideoque constituit peccatum grave vel leve prout datur proximo occasio peccati gravis vel levis. Scandalum autem diabolicum insuper habet specialem malitiam contra caritatem Dei. (Struggl, tr. 4. q. 5. n. 21) Attamen nonnisi leviter peccare videntur qui, sine prava intentione, occasionem valde levem praebent iis qui facillime in peccata etiam gravia labuntur, ex. gr. liberi qui praevident e levi sua inobedientia parentes in blasphemias, pro inolita consuetudine, erupturos esse. Etenim hujusmodi peccata fere unice e malitia proximi oriuntur : qui,

(1) In his divisionibus explicandis AA. nonnihil dissident : unde apud singulos videndum quid intendant praesertim per scandalum passivum et pusillorum.

si una occasio subtrahitur, aliam facillime reperiet ac proinde modicum detrimentum ab hujusmodi scandalo patitur. (Berardi, Prax. Conf. n. 591)

II. Scandalum directum, sive etiam diabolicum, praeter peccatum contra caritatem, continet peccatum contra virtutem ad quam violandam proximus inductus est : nam quaelibet virtus specialiter obligat non tantum ad eam exercendam, sed etiam ne eam in aliis impediamus. Ideo in confessione explicandum est ad quodnam peccatum, ex. gr. furti, turpis tactus, etc. proximus per scandalum directum inductus sit.

Num idem statuendum sit de scandalo indirecto, controvertitur. Alii cum S. Alph. (l. 3. n. 45) affirmant ; alii cum Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 159) probabilius negant, quia virtutes singulae non jubent ut earum violationem ab aliis impedias et in hunc finem abstineas ab iis peccatis e quibus, praeter intentionem tuam, talis violatio sequi possit. Quare in scandalo indirecto non est opus accusare speciem peccati ad quod proximus inductus est.

Probabilius non est accusanda in confessione circumstantia *inductionis* ad fornicationem vel simile peccatum carnale cum complice commissum. Ratio est, quod alter in idem peccatum consentiens et ipse priori dedit scandalum : unde quod unus incepit sollicitare non videtur esse nisi circumstantia aggravans. (S. Alph. n. 46)

III. Scandalum tum activum, tum passivum, est aliquid *prorsus relativum* ad conditiones personarum a quibus datur vel accipitur. Nempe :

1° Quanto magis aliquis dignitate eminet vel aliorum aestimatione fruitur, tanto magis sibi invigilare debet ne quid minus recti faciat. Nam alii propensiores erunt ad haec minus recta exempla sectanda.

2° Facile dari potest scandalum ab iis qui, ut clerici vel religiosi, Ecclesiam catholicam, clerum vel ordinem religiosum quodammodo repraesentant. Nam propter ea quae ipsi minus recte faciunt, saepe alii incipiunt male de fide, clero, religiosis sentire vel minus ad pietatem affici. Contra, si quis laicus peccat, saepe nullum scandalum orietur : nam nullum peccatum in eo est quod alii, ob indicia sufficientia, male de ipso suspicari vel sentire incipiunt.

3° Si ii coram quibus peccatur, tales sunt ut hac minus recta actione ad nullum peccatum movendi praevideantur, nullum fiet proprie scandalum. Hoc autem continget praesertim cum isti sunt in virtute firmissimi vel in peccato habituati. Exemplum habes in eo qui blasphemat coram monialibus vel coram opificibus qui jugiter blasphemare soleant.

233. IV. Si quis praevidet ex actione sibi licita, sed specie tenus

mala, ex. gr. violatione abstinentiae, aliquem scandalum passurum esse, debet eam omittere vel videntes monere de justa actionis suae ratione; quodsi neutrum facere potest sine gravi incommodo, jam de alterius peccato curare non debet. Patet ex obligatione quam caritas imponit, sed absque gravi incommodo nostro, vitandi spiritualem proximi ruinam.

V. Actionem in se bonam, nec specie tenus malam, licet ponere ex quavis causa, etiam non gravi, necessitatis vel utilitatis, etiamsi proximus praevidetur hac occasione peccaturus. Ita licet petere mutuum ab usurario unice ad lucrum negotiatione quaerendum; petere, etiam ex mera devotione, sacramenta a ministro qui ea non sine peccato ministraturus est, quando nullus alius commode adiri potest, etc.

Idem absque causa justa non licet, quia caritate jubemur nullam dare occasionem peccatis alienis, si facile possumus. Attamen, quando res in se bona petitur ab eo qui jam actu ad peccandum paratus est, ex. gr. pecunia ad usus vanos ab usurario, probabilius nonnisi leve peccatum committitur, ut cum multis AA. opinatur Lugo (de Just. et J. disp. 25 n. 235), quia damnum quod ita proximo infertur modicum est, cum parum noceat ei qui jam ex parte sua voluntatem malam habet et illam alibi exsecutioni mandavit, proponere occasionem in qua, praeter intentionem meam, illam exsequatur; reapse scandalum totum provenit e malitia alterius qui posset facillime, si vellet, peccatum vitare. S. Alph. tamen (n. 47) pro gravi culpa stat, eo quod opinatur grave nocumentum spirituale alteri inferri.

234. VI. Res praeceptae numquam sunt omittendae propter scandalum pharisaicum. Propter scandalum autem pusillorum, plures opinantur omittenda esse, saltem una vel altera vice, praecepta positiva, ex. gr. Missae auditionem a muliere quae praevidet se in ecclesia ab aliquo determinato viro turpiter concupitum iri. Hanc sententiam S. Alph. (l. 3. n. 51) probabiliorem censet, eo quod praeceptum generale de vitando scandalo proximi, cum sit naturale, praeferendum est praeceptis positivis. Alii, quorum sententiam idem S. Doctor (l. c.) probabilem dicit, tenent praecepta etiam positiva non desinere ob scandalum quod sit mere acceptum: his astipulamur. Practice igitur mulier, de qua in exemplo dato, potest Sacrum vel adire vel omittere.

VII. Licet probabilius apponere alteri occasionem peccandi, dummodo id fiat ob justam causam: nam nihil aliud fit quam ponere actum indifferentem, permittendo ob rationem sufficientem, peccatum alienum, quod alioquin nullatenus cum hac permissione per se connectitur. Ita licet

marito vel hero dare occasionem adulterii vel furti uxori vel famulo de cujus fide dubitat : nam ipsius maxime interest eam fidem habere exploratam. (S. Alph. n. 58) Plures tamen contradicunt, immerito existimantes in his haberi positivam inductionem ad peccatum, quae sit intrinsece mala.

VIII. Licet probabilius suadere minus malum ei qui ad majus faciendum omnino determinatus est. Nam, quando aliquis nullo modo (ut supponitur) a malo patrando deterreri potest, suadere minus malum habet rationem boni. Ideo determinato ad adulterium suadere licet fornicationem, determinato ad homicidium consuli potest furtum. (S. Alph. n. 57)

§ 6. DE COOPERATIONE IN GENERE.

235. NOTIONES. Cooperatio est concursus cum alio principaliter agente. Manifestum est cooperationem ad peccatum alienum, quam unice intuentur Theologi Morales, semper referri ad peccata externa.

Cooperatio dividitur praecipue :

1° In *formalem* et *materialem*. Prior ea est qua quis tum ad intentionem, tum ad opus externum principalis agentis concurrit ; posterior, qua quis concurrit tantum ad opus externum. (S. Alph. n. 63 ; D'Annib. I. n. 174)

2° In *proximam* et *remotam*, prout arctior vel minus arcta connexio habetur inter actionem principalem et secundariam. Pressius id definiri nequit, sed prudenti arbitrio in variis casibus determinandum est.

ASSERTA. I. Numquam licet cooperatio formalis cum alterius peccato.

Ratio patet : concursus cum peccantis intentione necessario supponit pravam voluntatem.

II. Cooperatio materialis semper illicita est, quando fit per opus in se malum, ex. gr. emendo rem furto sublatam cum animo eam habendi ut suam. Nam actio de se prava talis manet, etiamsi, me cooperationem denegante, multi praesto essent qui eamdem praeberent. (1)

III. Cooperatio materialis licita est, quando praestatur actione in se

(1) Quandoque cooperatio quae fit per actum in se malum, puta ponendo partem ritus superstitiosi, vocatur formalis : quae quaestio nominis est. Exemplum habes in resp. S. C. de Prop. Fide 2 Julii 1827. (Coll. P. F. n. 1731)

bona vel saltem indifferenti et datur ratio sufficiens ut peccatum alterius ex ea secuturum, permittere possim, seu, quod in idem recidit, quando habetur incommodum relative grave in deneganda cooperatione.

Haec mera applicatio est principii statuti n. 14.

IV. Ad cohonestandam cooperationem materialem eo gravior causa requiritur quo :

1° Probabilius est alterum, denegata cooperatione, non esse peccaturum, sive id nequeat, sive nolit. Ideo major causa requiritur ut carnes, die prohibita, praebeantur ei qui legem transgressurus sit in domo paterna quam in taberna.

2° Propius connectitur actio cooperantis cum principali peccato. Ideo gravior ratio requiritur ut liceat ordinare characteres ad librum pravum imprimendum quam ut liceat ad eumdem finem chartam praeparare.

3° Gravius est peccatum ad quod concurritur, praesertim si laedit bonum commune vel jus innocentis. Ideo multo gravior causa requiritur ut quis adjuvetur ad stuprandam mulierem quam ad fornicandum. (Lehmk. I. n. 649)

§ 7. DE QUIBUSDAM SPECIEBUS SCANDALI VEL COOPERATIONIS.

236. Cum fere innumerae sint, praesertim nostris temporibus, utriusque hujus argumenti applicationes, paucas hic subjiciemus quae ad solvendos multos alios casus, tamquam exempla, conducere queant; scandalum autem cum cooperatione conjungemus eo quod magnam inter se similitudinem habent et saepe simul ex eadem occasione nascuntur.

I. De interventu catholicorum in funeribus civilibus.

1° Per se nullum peccatum admittunt comitantes funus quod pompa religiosa caret eo quod Ecclesia honorem christianae sepulturae defuncto, ex. gr. ob suicidium, denegavit : ita enim officium mere civile seu obsequium humanitatis exhibetur.

2° Si funera solemniter peraguntur absque caerimoniis religiosis quia defunctus ita sepeliri voluit, per se non licet iis interesse ; imo etiam id graviter illicitum foret si, *in concretis adjunctis*, talis interventus communiter censeretur favor impiorum conatibus praestitus vel grave scandalum gigneret. Hinc ratio habenda est locorum et temporum. Nam facilius haec assistentia scandalo vel specie mala caret, et communiter tamquam obsequium mere civile habetur, in iis locis in quibus talia funera jam saepe peracta sunt et parum attenduntur. Id praesertim obtinet pro iis qui, propter rationem omnibus notam, puta cognationis,

amicitiae cum defuncto vel ejus familia, aegre abesse possunt. Vix autem scandalum deerit ubi talia funera rarius contingunt ideoque animos magis commovent, vel ubi cum apparatu extraordinario celebrantur.

Eadem applicanda sunt quando defunctus se ante mortem cum Ecclesia reconciliavit, sed, ob aliquod testamentum antea factum vel perversam cognatorum voluntatem, hoc impio ritu effertur.

Ubi vero apponuntur feretro insignia massonica, vel massones, liberi cogitatores similesve cum vexillis suis interveniunt, funera necessario induunt rationem impiae manifestationis, ideoque per se graviter illicitum est iisdem interesse. Cfr. Epistolam Pii IX ad Arch. Paris. 26 Oct. 1865. (Act. S. S. t. 11. p. 218)

3° Quando interventus hujusmodi funeribus est per se graviter illicitus, potest tamen excusari ob incommoda gravia quae e denegato interventu imminent, praesertim ubi hanc rationem facile omnes agnoscere possunt. Sic enim patebit assistentiam mere materialem praestari ad gravia damna vitanda. Ita excusarentur milites a ducibus suis coacti, bajuli feretri qui, si officium suum recusarent, vitae suae subsidio privarentur, orphani a superioribus orphanotrophii adesse jussi, etc. Rarissime incommoda vere gravia timenda erunt viris qui, ob honestiorem conditionem, minus a ceteris pendent: quare regulariter assistentiam suam funeribus scandalum grave daturis denegare debebunt.

Cfr. Berardi (Praxis Conf. nn. 166, 684) ; Villada (Cas. Consc. II. p. 103 seqq.); D'Annib. (I. n. 115) ; Aertnys (I. de Virt. theol. n. 8), etc.

237. II. De aedificandis templis haereticorum, idolorum, etc.

1° Si haec cooperatio ex adjunctis habetur ut favor ab operariis, architectis, etc. praestitus haereticis, numquam licet. Hoc autem facilius contingit ubi agitur de secta recens exorta.

2° In iis locis quibus nondum exstant haereticorum templa, ut Romae, quando data est Instr. Card. Vicarii ad parochos Urbis (an. 1878), graviter peccant, saltem regulariter, " architecti, conductores, opificum domini qui curam et operam suscipiunt ad exstruendum et ornandum aliquod templum protestanticum. Quod ad ipsos vero murarios aliosque opifices subalternos pertinet, ii possunt a peccato excusari, modo desit scandalum, neve quae facere jubentur faciant in contemptum religionis. „ (Instr. cit. n. 6)

3° In locis in quibus sectae haereticae jamdiu publice cultum suum exercent, architecti et operarum domini nequeunt talem aedificationem suscipere unice ob lucrum faciendum ; excusarentur tamen si ob denegatam operam suam gravia detrimenta paterentur, puta si propterea a plerisque clientibus suis desererentur.

Templis haereticorum recte assimilat Lehmk. (I. n. 658) aedes francomurariorum, et assimilanda videntur aedificia quae societatibus impiis, ex. gr. Socialistis, usui futura sint. At templis idolorum aedificandis operam dare numquam, etiam ad vitandum mortis periculum, licere, constanter respondit S. Sedes. (S. Inqu. 8 Jan. 1851 ; Coll. P. F. n. 1748 etc.) Mahumetanis autem templis, gravis mali metu, manum admovere pluries permisit S. C. de Prop. Fide, ex. gr. 21 Nov. 1837. (Coll. P. F. n. 1733)

Quae de aedificatione per operarios, architectos, etc. dicta sunt, etiam et a fortiori applicanda sunt cooperationi quae detur per pecuniam ad templa haereticorum, idolorum, etc. aedificanda. Speciatim de pecunia conferenda ad aedificanda templa haeretica, S. Poenit. an. 1822 (Buccer. Enchir. ad n. 192) respondit id licitum esse tantum si hac ratione catholici, qui cultum in eadem ecclesia cum protestantibus celebrant, se ab hac scandalosa promiscuitate liberare possunt. Attamen Konings (Theol. Mor. I. n. 313) existimat id quandoque licere ad vitandum grave damnum privatum, puta ne mercatoris officina penitus a protestantibus deseratur. Facilius, in locis in quibus permixti protestantibus vivunt catholici, licet pecuniam conferre ad aedificanda vel sustinenda instituta quorum finis principalis non est religiosus, puta scholas, orphanotrophia, etc. modo publice talis cooperatio non consideretur tamquam favor falsae sectae praestitus, neque eadem pecunia insumatur ad pervertendos catholicos qui in iis institutis suscipiuntur. (Konings, l. c. ; Lehmk. n. 660)

Jam hodie in multis regionibus, ut in Belgio, omnibus patet Deputatos catholicos qui subsidiis in favorem cultus heterodoxi suffragantur, id facere ut graviora mala vitent, nullatenus ut sectae falsae faveant. Ideo id jam sine speciali protestatione in his regionibus licet. Insuper, cum subsidia data tandem e vectigalibus desumantur, si proportio inter subsidia et cives ad hunc cultum vel falsam opinionem pertinentes servatur, nihil aliud fit quam pecuniam horum civium transmittere ad ea instituta quae malunt : quae cooperatio satis remota prorsus excusatur iis rationibus quae generatim licitam reddunt tolerantiam civilem variarum sectarum.

238. III. De conficiendis vel vendendis rebus quae ad pravum usum destinantur

1º Si res conficiendae vel vendendae tales sunt ut nonnisi ad pravum usum inservire possint, numquam licet eas conficere vel vendere, puta imagines prorsus obscoenas et quae nulli utilitati scientificae, ut anatomiae studio, inservire possint ; item libros ita obscoenos, ut nullum honestum usum praebeant ; instrumenta quae adhibentur ad copulam sine fructu peragendam.

2° Plerumque res habere possunt aliquem usum non peccaminosum. Sic idolorum imagines possunt adhiberi tamquam ornamenta, si artificiose confectae sunt, vel speciminis ergo in longinquas regiones mitti. Attamen, quando res natura sua valde connexae sunt cum malo usu, et prava intentio petentium vel ementium manifesta est, practice omnino illicitum est eas conficere vel vendere, quamvis quidam AA. id ex urgentissima causa licere autument. Cfr. Lehmk. I. n. 657. Exemplo sit confectio vel venditio idolorum vel ornamentorum ad solum cultum idololatricum pertinentium in regionibus ethnicis.

Conficere emblemata franco-murariorum vel ornamenta in eorum aedibus facere, non est intrinsece malum : siquidem et illa emblemata ad alium usum adhiberi possunt et ornamenta, saltem generatim, nullam impietatem continent. Ideo, dummodo nulla detur sectae approbatio, id facere liceret in casu quo id denegans in gravissimam necessitatem incideret. (Lehmk. l. c.) Ita et S. Inqu. 31 Aug. 1785 declaravit licere christianis apud Mauros captivis sculpere in petra imaginem lunae crescentis. (Coll. P. F. n. 1709)

Similiter quando res magnum periculum abusus secum fert, ut venenum, non licet illud vendere, nisi moraliter constet emptorem ea non esse abusurum, vel eadem res tam saepe in bonum usum adhibeatur (quod de *quibusdam* venenis forte dici potest) ut jam passim illam omnibus vendere per leges vel consuetudines liceat. (S. Alph. n. 71; Sabetti, n. 198)

3° Res per se indifferentes, quibus multi abutuntur, ut aleas, fucos, ornamenta muliebria, licet conficere et vendere ob solam lucri faciendi causam, dummodo non constet moraliter eum emptorem qui adstat eas ad finem pravum adhibere velle. Nam haec cooperatio remota est; ab uno autem denegata facile a multis aliis praestaretur. Hinc patet licite vendi carnes diebus abstinentiae.

4° Si ex adjunctis vel ementis declaratione certo constat de pravo usu ad quem res indifferens sit adhibenda, non licet eam conficere vel vendere, nisi, praeter amissionem lucri ob omissam venditionem, haberetur alia ratio proportionate gravis. Quanta autem haec esse debeat, prudenter in singulis casibus ope principiorum generalium (n. 235, IV) determinandum est. Ex his liquet multo graviorem causam requiri ut aliquis vendat rem qua emptor usurus sit ad injuriam tertio inferendam quam qua peccatum nemini nocivum commissurus sit. Ideo vix umquam a gravi peccato excusabitur qui pharmacum ad abortum procurandum vendit. Caupones vero ob metum cujuscumque gravis damni, puta si alias notabiliter laederentur ex diminutione emptorum, possunt vinum ministrare iis quos sese inebriaturos esse praevident, vel carnes praebere, diebus vetitis, omnibus eas petentibus. (S. Alph. n. 69) Quare,

quando praevident plerosque hospites eas petituros esse, inquietandi non sunt si prandium communiter carnibus parant, dummodo iis qui abstinentiam servare volunt copiam id faciendi praestent.

5° Quae de rebus vendendis dicta sunt, fere applicanda veniunt iisdem locandis, propter utriusque contractus similitudinem. Speciatim licet domum locare meretricibus, iis in locis ubi ad majus malum vitandum tolerantur, maxime si alii conductores desint, nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis vel, ob situm domus, ansam majorem darent peccatis. (S. Alph. n. 70) Eadem applicentur ubi agitur de domo locanda cauponi praebenti choreas parum honestas, et similia. Gravior sane causa requiritur ut eam liceat locare viro vel coetui qui bono communi plurimum nocet, puta Socialistis; vix umquam id licebit quando, contractu denegato, hujusmodi nebulones alias aedes congruas reperire nequeant. Cfr. Vol. II. n. 596.

239. IV. De ornatu muliebri.

1° Si mulier praevidet ex ornatu, etiam conveniente, aliquem in particulari scandalum passurum esse, tenetur semel vel bis ornatum illum dimittere, vel conspectum juvenis eam concupituri fugere; diutius non tenetur, quia id grave incommodum inferret. (S. Alph. n. 54) Reapse tamen raro id practicum erit: quia naturalis species et simplicior ornatus plerumque magis ad luxuriam provocabunt quam ornatus superfluus et exquisitus.

2° De consuetudine incedendi pectore denudato, sapienter S. Alph. (n. 55), praefatus se, ut concionatorem, pluries hunc usum fortiter exprobrasse, addit se, tamquam scriptorem, nihil aliud apud DD. reperisse, nisi:

a) " Quod illae feminae quae hunc morem alicubi introducerent, graviter peccarent. „

b) " Quod denudatio pectoris possit esse ita immoderata ut per se non posset excusari a scandalo gravi, tamquam valde ad lasciviam provocans. „

c) " Quod si non sit ita valde immoderata et alicubi adsit consuetudo ut mulieres sic incedant, esset quidem exprobrandum, sed non omnino damnandum de mortali. „ Ut enim advertit Lessius (de Just. et J. l. 4. c. 4. n. 112), pectus censetur pars honesta, nec natura, aut pudor humanus postulat illud absolute tegi.

3° " De se vitiosum est quod mulier utatur veste virili, aut e converso: et praecipue quia hoc potest esse causa lasciviae. „ (2. 2. q. 169. a. 2) Attamen, seclusa intentione libidinosa vel gravi scandalo, peccatum hoc leve est; imo nullum, si adest justa causa. (S. Alph. n. 52)

240. V. De libris vel ephemeridibus fidei vel moribus infensis. (1)

1° Lectio, emptio, retentio scriptorum pravorum, spectata tantum lege naturali, fieri potest illicita sive ob scandalum, sive ob cooperationem cum auctore, sive ob periculum proximum peccandi.

2° *Scandalum* dimetiendum est e regulis supra datis. (n. 232) Grave fiet peccatum ex hoc capite praesertim : si legens vel emens est persona magnae auctoritatis, puta clericus qui coram aliis legat ematve pravos libros vel ephemerides.

3° Quandonam *periculum proximum* sit declaratur Vol. II. n. 371. Speciatim in hoc argumento, attendendum erit :

a) Ad modum quo res fidei vel moribus adversae proponuntur a scriptore. Nam multum interest utrum error breviter innuatur an fuse defendatur, utrum turpia ratione scientifica an cum lenociniis aptis ad excitandam phantasiam et sensualitatem exponantur.

b) Ad indolem legentis. Nam multum refert utrum sit vir doctus an rudis, frigidus an propensus ad res venereas, assuetus ex. gr. ob studium vel exercitium medicinae, turpibus tractandis an ab his valde remotus.

c) Ad ipsam lectionem. Sic, praesertim pro scriptis fidei infensis, multo majus fiet periculum si leguntur singulis diebus vel hebdomadis quam si semel iterumve, data occasione, perlustrantur.

d) Ad varia adjuncta quae pravum effectum impedire vel augere possunt. Ita periculum fidei, quod esset omnino proximum si nihil praeter libros vel ephemerides pravas legeretur, quandoque removeri posset si saepe bonorum scriptorum antidotum sumeretur.

4° Ad *cooperationem* quod attinet, vix ullum dubium esse potest de editore vel domino typographiae qui prava scripta edenda suscipiat : hi enim in diffundendis pravis libris vel ephemeridibus praecipuam partem habent. Ideo, quando norunt librum esse aperte malum, illius editionem impressionemve sine peccato gravi admittere nequeunt. De iis autem qui varia ratione editori vel typographo cooperantur, haec nota :

a) Ut judicetur num operarii typographici *ratione cooperationis* graviter peccent, magis practicum videtur distinguere inter indolem officinarum in quibus operam navant quam inter singulos libros quibus imprimendis opem dant : nam horum naturam multi ignorare solent. Insuper attendenda est distinctio quam AA. communiter ponunt inter cooperatores proximos et remotos : proximos, hic censent operarios qui

(1) De praecepto ecclesiastico quo haec prohibeantur legi, retineri, etc. agemus in Tr. de Praec. Ecclesiae. Hic igitur tantum adnotabimus ea quae lex naturalis de hoc argumento suppeditat.

typos ordinant vel atramento tingunt, chartam typis imponunt, etc.; remotos, eos qui chartam praeparant vel libros impressos ordinant. (Gury. I. n. 253) Merito tamen notat Konings (Th. Mor. I. n. 215) : hodie remote tantum plerosque concurrere, praesertim ubi machinae artificiosae motibus impressionis opus peragitur.

Jamvero ii qui laborant in officinis e quibus nihil nisi prorsus malum prodit, ex. gr. ephemerides aperte impiae vel obscoenae, biblia et tractus protestantici, si proxime impressioni cooperantur, tenentur per se sub gravi eas officinas deserere; attamen, cum talis cooperatio non videatur intrinsece mala (Laymann, l. 2. tr. 3. c. 13. n. 5), possent manere, secluso gravi scandalo, donec aliam officinam reperirent in qua salarium ad familiam suam alendam sufficiens lucrarentur. Remoti autem cooperatores et ipsi quidem ad aliam officinam adeundam obligantur, non tamen cum notabili suo detrimento. At si agitur de iis officinis in quibus excuduntur ephemerides non ita aperte malae, vel libri nunc boni, nunc mali praelo mandantur, tunc neque ipsi cooperatores proximi obligantur ad officinam omnino bonam, cum notabili detrimento, adeundam. Cfr. Villada, Cas. Consc. I. p. 110 seq. De Stat. Foed. Amer. notat Konings (l. c.), quod tamen aliis regionibus caute applicandum est : " Si ejusmodi cooperatio, justa de causa, non liceret, catholici in his provinciis vix operam suam praestare possent in typographeis : catholica enim vel omnino innoxia paucissima sunt. Addo : communi opinione etiam timoratorum, sic cooperantes generatim non damnari. „

b) Pravas ephemerides in locis publicis vendentes assimilandi sunt proximis cooperatoribus. Ideo, si victum sibi comparant vendendo ephemerides fidei aut moribus vere infensas, debent quamprimum aliam victus comparandi rationem quaerere ; possent tamen in isto commercio perstare quamdiu gravissima necessitate premuntur, puta ne mendicare cogantur. At ubi scripta obscoena vel valde impia vendunt, rarissime id licebit. De bibliopolis pravos libros vendentibus vel locantibus cfr. n. 456.

c) Pravis ephemeridibus subscriptionem (abonnement) dare, licitum videtur omnibus qui eas, ob quamlibet causam, legere tuta conscientia possunt : jus enim ad finem dat jus ad medium necessarium. Possent quidem, absolute loquendo, plerique eumdem finem obtinere emendo singula ephemeridum exemplaria. Sed ad medium adeo incommodum non videntur obligari eo quod subscriptio paulo efficaciorem cooperationem praestat pravis diariis : nisi quandoque, denegata subscriptione, spes fundata esset ut tales ephemerides supprimerentur, vel si scandalum oriretur e nomine subscribentis, ex. gr. sacerdotis.

d) Cauponibus, tonsoribus et similibus non licet clientibus proponere

ephemerides quae fidei moribusve prorsus adversentur, etiamsi propterea clientes multi eos derelicturi sint ; licebit autem propter causam rationabilem proponere eas quae tantum raro aliquid minus rectum continent. (Gury, I. n. 256) Attamen si fructus non speratur, confessarius poterit quandoque ab aperta monitione abstinere vel curare tantum ut malum, appositis bonis ephemeridibus, minuatur. (Lehmk. I. n. 664)

e) Ephemeridibus vel periodicis, quae religionem aut bonos mores data opera impetunt, nuntios de rebus vendendis, locandis, etc. inserere vel ad eadem articulos imprimendos mittere, regulariter illicitum est : plerumque enim (nisi de erroribus refutandis agatur) aliquis favor pravis scriptis praeberetur. Attamen, cum generatim hujusmodi cooperatio, praesertim per nuntios insertos, sat levis sit, plerumque qualibet justa causa cohonestabitur. Sed quandoque ob gravem favorem praestitum, puta a scriptore peritissimo, gravis causa requireretur vel etiam nulla sufficeret, puta si pessima scripta hac cooperatione cum magno fidelium scandalo promoverentur. Huc pertinet a. 22. Const. Leonis XIII *Officiorum ac munerum* (25 Jan. 1897), quo nihil juri naturali superadditur : " Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam nisi suadente justa et rationabili causa publicet. „

241. VI. De choreis.

1° Etsi, speculative loquendo, choreas ducere actus virtutis esse queat, practice tamen, ut fieri solent in regionibus nostris, res periculosa et multorum peccatorum occasio dicenda est. Quare confessarii est ab iis prudenter avertere omnes quidem, sed praesertim juvenes utriusque sexus qui hucusque caste vixerint.

2° Chorearum honestas praecipue pendet a personis quae iis interveniunt et a ratione saltandi : ideo confessarius, sive in permittendis, sive in prohibendis choreis, magnopere ad utrumque, praesertim ad prius, attendat. Ita solent multo minoribus periculis obnoxiae esse choreae quae inter paucas familias honestas ducuntur quam prorsus publicae, rusticae quam oppidanae. Quidam AA. severissime damnant rationem saltandi hodie usitatam, qua viri mulieres tam arcte amplecti debent, ut impossibile videatur gravia luxuriae peccata vitari. Cfr. Em. Dechamps, Op. t. 8. *La vie de plaisir.* Alii tamen, ut Berardi (de Recid. II. n. 165), quibus astipulamur, non ita universe hoc morale periculum adesse censent. Contrarium enim ipsa experientia et testimoniis poenitentium constare videtur. Nec ita mirum est : nam ad luxuriam multo magis movebit tactus inter juvenem et puellam, solitarie et ex affectu tantum factus, quam ubi mens ad multa alia distrahitur et ad saltandi rythmum intenditur.

3° Confessarius poenitenti qui choreis interesse vult absolutionem denegare nequit, nisi choreae istae eidem sint proximum graviter peccandi periculum. (Vol. II. n. 360) Id autem raro ante experientiam habitam constabit, nisi modus saltandi esset prorsus turpis vel personae congressurae valde perversae. At postquam choreas adivit poenitens, interrogetur num gravia peccata hac occasione admiserit, ut turpiloquia, amplexus libidinosos, etc. et, secundum regulas generales de occasione proxima, e responsis concludatur num sub gravi urgeat obligatio abstinendi.

4° Etiamsi quis in choreis graviter delinquere solet, dantur tamen casus in quibus non est obligandus, saltem sub gravi, ut ab iis abstineat (Berardi, l. c. n. 164), videlicet:

a) Si peccata proveniunt potius ex habituali malitia et negligentia mediorum salutis quam ex ipsa saltatione. Hujus rei signum erit quod poenitentes passim, ubicumque praesertim cum feminis versantur, peccare solent. Hi potius adigendi sunt ut vitam magis christianam agant: hac enim neglecta, non minus peccabunt ex. gr. in conviviis, concentibus musicis, etc. etiamsi choreas dereliquerint; sin autem officia christianae vitae fidelius obire incipient, spes est fore ut in choreis quoque a gravibus peccatis abstineant.

b) Si poenitens a quibusdam choreis sine gravi incommodo abesse nequit, ut si uxor gravi maerore vel ira afficeret maritum quem comitari denegaret.

c) Si quis ita fragilis esset ut passim in omnibus rebus, etiam maxime indifferentibus, peccandi occasionem reperiret. Is enim non esset obligandus sub gravi ut choreas de se honestas vitaret, sed potius ut adhiberet media quibus removeri queat periculum, ex. gr. modestiam in vestitu, cogitationes sanctas, orationem, fugam eorum quos novit pronos ad turpiloquia vel tactus lascivos et eorum in quos amor sensualis valde propensus est.

5° Majus periculum solet esse in choreis quae cum larvis aguntur, eo quod multi, soluti a timore ne ab aliis agnoscantur, licentius se gerunt. Nihilominus etiam in iis plurimum attendendum ad personas inter quas fiunt.

6° Ex supra dictis liquebit quomodo agendum sit cum iis qui choreas indicunt vel iis locum praebent, ut solent caupones. Non committunt per se grave peccatum, si choreae satis honestae sunt, quamvis plures hac occasione peccaturi sint. Videndum ergo num talis occasio praestita reapse grave scandalum censeri queat: quod facilius contingit pro iis qui chorearum consuetudinem primi introducunt (cfr. n. 239) vel soli servant in aliquo loco. (Lehmk. I. n. 643) Excusari vero possunt cives honestioris conditionis qui choreas decentes in propriis aedibus prae-

bent, eo quod, ob consuetudinem aequalium suorum similemve rationem, aegre hoc omitterent.

242. VII. De spectaculis.

1° Qui assistit spectaculo quod non sit notabiliter turpe, mortaliter non peccat, nisi expertus sit hanc esse sibi proximam gravium peccatorum occasionem. Qui vero interest spectaculo in quo repraesentantur res notabiliter turpes vel turpi modo, mortaliter peccat si interest ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus ; venialiter, si, secluso periculo consensus in turpem delectationem, interest ob curiositatem tantum aut vanum solatium. (S. Alph. l. 4. n. 427) Hodie sane plerumque res notabiliter turpes vel turpi modo exhibentur in theatris publicis : nam etiam cum ludus scenicus satis honestus est, solent interponi choreae prorsus indecentes. Hinc, ut dignoscatur num graviter peccent qui his spectaculis intersunt, videndum utrum curiositate an turpium rerum amore ducantur. Jamvero cum Berardi (de Recid. II. n. 173) opinamur fideles qui sacramenta frequentant et tamen interdum theatra adeunt, plerumque vanum solatium tantum quaerere, neque (ut ex eorum testimoniis liquet) tam facile in gravia peccata incidere quam quidam AA. putant. Nequit ergo theatrorum aditus haberi *per se* ut periculum gravis peccati proximum.

2° Inde liquet confessario cum poenitentibus qui theatrum adire volunt fere agendum esse ut cum iis qui choreas appetunt. Prudenter, antequam aliquid sub gravi imponatur, investigandum num in casu adsit periculum proximum. Hoc rarius aderit in iis qui unice musica delectantur vel ad spectaculum parum attendunt, aut etiam quid agatur vix intelligunt ; saepius in juvenibus qui, si crebro theatrum adeunt, facillime in omnem luxuriam ruunt.

3° Quandoque, ob peculiares circumstantias, grave peccatum committetur etiam ab iis qui vel semel ad spectaculum tendunt, ex. gr. si quaedam exhibeantur adeo turpia vel religioni injuriosa ut ad hoc spectaculum tendentes communiter habeantur tamquam turpitudinem vel impietatem foventes ; si quis, ob conditionem suam, spectaculum sine gravi scandalo adire nequeat, quales sunt clerici vel religiosi. (1) Ita quoque graviter delinquunt parentes qui sua sponte liberos suos ad theatrum ducunt, nisi antea noverint (quod rarum erit) spectaculum etiam adolescentibus innocuum fore.

4° Confessarius, quantum fieri potest, poenitentes, praesertim pios, a theatris publicis adeundis deterreat, tum quia facile peccata saltem levia

(1) Ideo in Stat. Mechl. (n. 55) " theatrorum publicorum ingressus, spectaculi videndi causa, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae... prohibetur. „

hac occasione committuntur, tum quia crebro periculum est ne, libidine impulsi, prudentiae limites mox transiliant. Quodsi efficere nequit ut penitus abstineant, curet saltem ne adeant spectacula quae norint esse magis indecentia et periculosa.

5° Pecuniam dare ad emendum jus adeundi spectaculi notabiliter turpis, est quidem cooperatio ad rem malam, sed omnino levis si tantum quibusdam vicibus idem jus emitur. Ideo ob causam rationabilem, ex. gr. taedii depellendi, prorsus excusatur. (Villada, Cas. Consc. I. p. 351) Multo gravior fit haec cooperatio quando assidue idem jus emitur, praesertim per subscriptionem annuam. Attamen, ut dijudicetur num haec sit culpa gravis et num quandoque ob gravem causam, puta ob munus publicum, excusari possit, praecipue attendendum est ad influxum quem haec cooperatio in eadem spectacula habitura sit. S. Alph. (l. 4. n. 427), postquam olim opinioni benigniori adhaesit, censuit graviter peccare omnes pecunia concurrentes ad comoedias notabiliter turpes, etiamsi sine ipsis repraesentarentur : quia haec cooperatio ad actionem graviter peccaminosam non est licita nisi fiat ex gravi causa necessitatis vel utilitatis. Villada (l.c.) excusat ob causam gravem, ex. gr. si valde molestum esset alicui abstinere ab his spectaculis et alia honestiora deessent, eos qui assidue introitum emunt ; vix autem censet dari causam quae legitimam reddat subscriptionem, quam opinatur esse cooperationem proximam dum prior sit remota. In magnis tamen civitatibus non videtur verum discrimen vigere quoad influxum inter subscribentes et assidue theatra adeuntes : ideo censemus ibidem subscriptionem ob causam gravem (quae raro aderit) excusari posse saltem a mortali.

6° Repraesentantes seu componentes spectacula notabiliter turpia graviter peccant ob scandalum aliorum, quamvis non intentum. (S. Alph. n. 428) Attamen ad breve tempus praestari posset concursus per actionem vel cantum, ne quis incidat in penuriam valde gravem, modo spectacula non sint absolute graviter turpia, et lascivia, quantum fieri potest, temperetur. Ratio est quod cum spectatores non per se, sed e pravo affectu graviter peccent (cfr. supra 1°), id non necessario refundendum est in actorem qui id invitus permittit. (Lehmk. I. n. 667) Ob multo minorem causam excusari possunt musici qui personas non agunt, sed tantum in theatris publicis artem suam exercere solent. Etenim quod ab ipsis praestatur in se nihil mali continet et tantum per unionem cum verbis et actionibus mimorum ad peccata provocare potest. Eorum igitur cooperatio, seu proximam, seu remotam voces, multo minus arcte cum spectaculis turpibus connectitur quam quae a dramatis personis praestatur. Etiam communis aestimatio, cujus in tali argumento magna ratio habenda est, benignius de eorum concursu quam

de mimorum opera sentit. Cum insuper multo levius peccatorum periculum esse soleat in musica quam in mimica arte exercenda in theatris publicis (modo haec non sint extraordinarie scandalosa), non videntur a bona fide deturbandi qui talem cooperationem sibi licitam putant ad majus lucrum faciendum, famam acquirendam, etc.

243. VIII. De famulis cooperantibus ad peccata dominorum.

1° *Ob solam rationem famulatus*, licet praestare ea quae remote tantum ad peccatum domini concurrunt, ut apponere vinum domino se inebriaturo, parare carnes die abstinentiae, ostium domus meretrici aperire, eidem sternere lectum, etc. Haec enim per se prorsus indifferentia sunt, neque a famulo, saltem plerumque, sine gravi incommodo denegari queunt.

2° In iis vero quae propius ad peccatum accedunt, praesertim si injuriam erga tertium innocentem continent, requiritur praeter famulatum *alia ratio proportionate gravis*. Quanta autem requiratur, aegre determinari potest, ut liquet vel ex ipsa sentiendi varietate quae inter AA. viget. Sapienter Berardi (Prax. Conf. n. 784), postquam plurium opiniones de variis casibus hujusmodi cooperationis exposuit, addit : " Ego censeo accuratam et tutam horum et similium casuum solutionem dari posse solum considerata facti specie cum omnibus suis circumstantiis, sumendo regulam a solitis principiis utilitatis, facilitatis et necessitatis recusationis. „ Ideo pauca tantum specialia hic addemus.

3° Comitari dominum ad domum concubinae vel eum illuc curru vehere, non licet ratione solius famulatus, sed requiritur praeterea notabilis damni metus. (S. Alph. l. 3. n. 64) Idem *theoretice* de quibusvis aurigis dicendum est : *practice*, ut advertit Ball. P. (n. 261), vix est quod de iis inquirat confessarius " quia neque sunt, neque possunt esse solliciti quis, cur, quorsum vehi petat et cum, publico in loco, omnibus indiscriminatim prostent, nequeunt petenti officium detrectare sine gravissimo incommodo. „

4° Tantum ob grave malum vitandum liceret famulo excubias agere dum herus cum amasia versatur, illumque admonere si quis superveniat, secreto informationes capere circa locum in quo talis puella sola inveniri queat, etc. (Berardi, op. cit. n. 781)

5° Deferre ad concubinam litteras amatorias vel munuscula S. Alph. l. 3. nn. 65 et 67) censet esse intrinsece malum ; alii tamen, ut Ball. P. (n. 267), verisimilius opinantur licere ad vitandum grave damnum : nam actus ea deferendi est per se indifferens, et continetur in censu obsequiorum quae a singulis famulis praestanda sunt ; insuper practice vix constabit famulo quid in iis litteris contineatur.

APPENDIX.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

244. Praeter officia e virtutibus theologicis oriunda, derivantur et alia plurima e virtutibus moralibus, hoc nomine vocatis quia mores hominum secundum rectae rationis praescriptum componunt. His officiis fusius evolvendis hic supersedebimus: singula enim, quantum ad scopum nostrum facit, declarabuntur interpretatione legum generalium vel particularium quibus virtutes morales applicantur. Utile tamen visum est brevem appendicem de iisdem virtutibus subjicere, tum ne desint in isto opere notiones ullae quae in proponendis christiani hominis obligationibus requiruntur, tum ut elucidentur quaedam officia quae in tractatibus de Praeceptis Decalogi, Ecclesiae, etc., locum opportunum non invenerint.

Inter virtutes morales eminent quatuor a Patribus et Theologis **cardinales** seu principales dici solitae : Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia. His nominibus, sensu latiore sumptis, designantur generales quaedam rectitudines quae in omni virtute reperiantur oportet : siquidem omnis virtus debet esse prudens in operando, ne erret per inconsiderantiam vel negligentiam ; justa, ut operans praestet quidquid debet Deo, proximo vel sibi ipsi ; fortis, ne sinat se difficultatibus vinci ; temperans, ne modum a ratione praescriptum excedat. Sensu pressiore, prudentia, justitia, etc. designant virtutes speciales quae velut cardines sunt reliquarum omnium, eo quod omnes virtutes morales ad has quatuor reduci possunt. Non omnes tamen eodem modo ad quatuor cardinales reducuntur : quaedam enim sunt illarum partes integrales, quaedam partes subjectivae, quaedam tandem partes potentiales. (2. 2. q. 48. a. 1).

Partes *integrantes* alicujus virtutis cardinalis eae sunt quae necessario debent concurrere ad perfectum ejusdem virtutis actum, fere sicut tectum, paries et fundamentum concurrunt ad constituendam domum perfectam. Ita memoria, docilitas, etc. dicuntur partes integrantes prudentiae, quia sine his nequit poni actus perfectus hujus virtutis. Partes *subjectivae* eae dicuntur quae sub virtute cardinali, tamquam species sub genere continentur. Ita subjectivae partes ejusdem virtutis sunt prudentia qua quis regit seipsum, et prudentia qua quis regit multitudi-

nem. Tandem partes potentiales nuncupantur eae virtutes adjunctae quae ad quosdam secundarios alicujus virtutis cardinalis actus vel materias ordinantur, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis. Ita potentiales partes prudentiae sunt eubulia, quae est circa *consilium*, synesis, quae est circa *judicium* eorum quae secundum regulas communes fiunt, et gnome, quae est circa *judicium* eorum in quibus oportet quandoque a communi lege recedere, dum prudentia est circa actum principalem qui est *praecipere*.

§ 1. DE PRUDENTIA.

245. Prudentia a S. Thoma (2. 2. q. 47. a. 1), post Aristotelem, definitur : Recta ratio agibilium. Eadem fusius a Lessio (de Just. et J. l. 1. c. 1. n. 1) describitur : virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe. Igitur prudentiae actus est essentialiter in intellectu : sub quo respectu eadem virtus prorsus differt a ceteris virtutibus moralibus, quarum actus essentialiter sunt in voluntate. Prudentia tamen merito connumeratur virtutibus moralibus ratione materiae, quia tota versatur in consideratione et directione morum. (1. 2. q. 58. a. 3. ad 1)

Quicumque peccat prudentiam violat : quia omne peccatum est contra judicium prudentiae, sicut omne opus bonum est secundum judicium prudentiae. Speciatim vero contra prudentiam peccatur :

I. Per defectum, quadrupliciter :

1° *Praecipitatione*, quae, proposito aliquo fine, statim opus aggreditur, vel certe judicat de mediis et modo exsequendi, omissa deliberatione quam prudentia de iisdem praemitti jubet.

2° *Inconsideratione*, quae judicat omissa diligenti inspectione rei et circumstantiarum quam prudentia praemitti jubet.

3° *Inconstantia*, qua, sine ulla vel saltem justa causa, mutatur sententia, dum prudentia jubet rebus deliberatis et judicatis inhaerere donec justa recedendi causa detur.

4° *Negligentia*, qua omittitur diligentia requisita in actu intellectus excitantis et dirigentis voluntatem et vires externas ad exsecutionem. Per se hi defectus veniales sunt, per accidens quandoque mortales evadunt, ut puta si quis inconsideratione sua se proximo peccati mortalis periculo objiciat, si quis inconstans sit in voto magni momenti exsequendo, etc.

II. Per excessum, vel potius sub quadam specie et imagine prudentiae, sex modis :

1° *Prudentia carnis* (Rom. VIII, 6), quae excogitat idonea media ad complenda opera carnis, ea scil. opera quae ad mere temporalem felicitatem assequendam juvant. Haec non est peccaminosa nisi ratione pravi affectus cui subest: quare venialis vel mortalis erit prout intentio a qua imperatur leviter vel graviter culpabilis est.

2° *Astutia*, seu notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum, cum exsequendi affectu conjuncta. Haec quasi species est prudentiae carnis, et ad grave peccatum pertingit tantum quando graviter malus est affectus cui subest, vel quando grave proximi nocumentum intenditur.

3° *Dolo*, qui nihil aliud est nisi exsecutio astutiae per verba vel facta.

4° *Fraude*, quae pariter est exsecutio astutiae, sed per sola facta.

5° *Sollicitudine temporalium*, seu nimia occupatione mentis in iis conquirendis vel conservandis, orta ex inordinato eadem habendi amore vel amittendi timore.

6° *Sollicitudine futurorum*, seu nimia occupatione animi circa futura, maxime ut vitae necessaria habeantur, conjuncta cum anxietate et parva fiducia. Haec species est sollicitudinis temporalium. Ambae maxime nocent saluti: tum quia continent cupiditatem, quae radix omnium malorum est (1 Tim. VI, 10), tum quia animum impediunt a seria cogitatione rerum ad salutem pertinentium. Cfr. Matth. VI, 25-34. Neutra tamen gravis est, nisi quis propter temporalia violet vel paratus sit violare aliquod praeceptum in re gravi.

§ 2. DE JUSTITIA.

246. Justitiae notionem et multiplicia officia exponemus in tractatu de Justitia et Jure, qui totus in iis versatur.

Ad justitiam, tamquam ejus partes potentiales, referuntur multae aliae virtutes. Hae omnes, cum hac virtute cardinali, in eo conveniunt quod sunt ad alterum (Deum, proximum). A perfecta autem ratione justitiae non omnes eodem modo deficiunt. Vid. haec ratio in eo est ut alteri reddatur quod ei debetur secundum aequalitatem (n. 461 seq.). Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum existens, a ratione justitiae deficere potest: uno modo, in quantum deficit a ratione aequalis; altero modo, in quantum deficit a ratione debiti. Sunt enim quaedam virtutes quae debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere aequale. Talis est religio: nam quidquid ab homine Deo redditur, debitum est, non tamen potest esse aequale, ut scil. tantum homo ei reddat quantum debet. Aliae vero virtutes sunt quae possunt reddere aequale, sed in quibus debitum est adeo parvum ut non inducat obligationem legalem et strictam, sed solum moralem, quae ex quadam honestate virtutis

procedit estque talis ut, nisi illi satisfiat, honestas morum conservari non possit vel non commode et decore possit. (2. 2. q. 80, a. un. ; Lessius, l. 2. c. 46) Legalis autem obligatio in eo est quod is cui aliquid debetur, id ab altero exigere potest stricte et quasi lege imposita.

247. Inter **virtutes justitiae adnexas** in quibus adest **debitum legale**, primum locum tenet religio. Haec enim est justitia quaedam creaturae ad Deum, qua debitus cultus et honor Creatori persolvuntur. De religionis natura et officiis potissimum agemus in explicandis primo et secundo Decalogi praeceptis. Cfr. n. 255 seqq.

Praeterea in eadem virtutum serie reponi solent :

1° *Pietas*. Hac virtute primario colimus parentes tamquam vitae et educationis nobis secundum Deum auctores ; secundario, reliquos consanguineos, tamquam nobis conjunctos vinculo simili ei quo cum parentibus devincimur, et patriam, tamquam opportuna ad ortum educationemque suggerentem.

2° *Observantia*. Haec virtus est qua cultum deferimus Superioribus et aliis personis excellentibus quae nos gubernant vel gubernare idoneae sunt. Officia e pietate et observantia oriunda potissimum explicantur ubi de quarto Decalogi praecepto.

3° *Obedientia*, quae pars est observantiae. Duplex autem distinguitur obedientia : materialis et formalis. Materialis ea est qua impletur Superioris praeceptum e quolibet motivo honesto ; formalis (quae sola virtutem specialem constituit) dicitur tantum quando subditus ad implendum praeceptum movetur speciali honestate quae in implendo Superioris jussu relucet. Ex universali praxi manifestum est sufficere ut subditus quilibet materialem obedientiam Superiori praecipienti praestet. Ratio est, quod intentio illa quae per formalem obedientiam exsecutioni superadditur, minime necessaria est ut haec constituat virtutis actum ; imo irrationabiliter praeciperet Superior ut subditus hac ratione formali ducatur potius quam alia perfectiori, ut puta motivo caritatis. Notasse juvabit proprie non reperiri obedientiae virtutem in habitu quo subditus exsequatur quamlibet honestam Superioris sui voluntatem, sine ullo vero praecepto manifestatam. Latiori tamen sensu idem habitus merito vocari solet obedientia, et quidem perfectissima. Etenim, cum obedientia versetur circa voluntatem Superioris exsequendam, ille perfectissime obediens dicendus est qui eam voluntatem tanti facit ut eam qualitercumque sibi notam, et in omnibus licitis, totis viribus exsequatur ; quapropter etiam tutissimus erit ab eadem voluntate transgredienda ubi cum stricto praecepto conjuncta erit. (Sanch. in Dec. l. 6. c. 2. n. 3. ; Suar. de Relig. tr. 10. l. c. 14. n. 15 seqq.)

248. Virtutes quibus **moralis tantum obligatio** inducitur sunt praesertim sequentes:

1° *Gratitudo*: quae respicit debitum ex accepto beneficio natum et, ut illi aliquo modo satisfiat, rependit aliquid benefactori, puta actionem gratiarum, obsequium, cultum vel aliud beneficium. (Lessius, l. c. c. 47. n. 1) Haec tamen non videtur esse specialis virtus nisi respiciat debitum e beneficio privati benefactoris oriundum. Quando enim respicit beneficia accepta a Deo, parentibus vel Superioribus, probabilius non est habitus distinctus a religione, pietate et observantia. (2. 2. q. 106. a. 1) Duplex autem distinguitur ingratitudo: formalis et materialis. Formalis in eo est quod beneficium vel benefactoris animus contemnitur, puta si quis alterutrum elevet vel sinistre interpretetur, ne videatur aliquid debere benefactori, etc. Haec ingratitudo ex genere suo est grave peccatum: quia involvit judicium temerarium, dum falso judicatur affectum simulatum esse vel rem alio quam benevolo animo dari, imo magis hac ingratitudine quam judicio temerario homines offendi solent. Venialis tamen fit ob imperfectum consensum vel materiae parvitatem, puta si beneficium sit parvum. Materialis ingratitudo in eo est quod, absque contemptu, vel omittitur debitum gratitudinis officium, puta reverentia et honor, vel committitur aliquid contra benefactorem. In ea datur leve peccatum, quia negligitur quod ordo naturalis erga benefactorem postulat; mortale peccatum in ea nonnisi per accidens reperiretur, nimirum si caritas sub gravi postularet ut benefactori in necessitate versanti subsidium ferretur. (S. Th. 2. 2. q. 107. a. 3; Lessius, l. c. n. 17 seq.)

2° *Vindicatio*, qua inclinamur ad reddendum malefactori poenam pro injuria debitam. Sed servandus est modus ordine rationis praescriptus: qui est ut vindicta, saltem in poenis non minimis (n. 228), auctoritati publicae reservetur. Igitur privati cives malefactoris punitionem appetere non debent nisi per auctoritatem publicam. Imo laudabiliter eam omittunt ob altiores fines, puta ad imitandum Christum inimicis suis ignoscentem, nisi quando bonum commune eam fieri postulet. In personis publicis haec vindicatio plerumque pertinet ad alias virtutes, praesertim ad justitiam commutativam, legalem vel distributivam. (n. 462)

3° *Veracitas*, seu, ut dicere solent antiquiores (2. 2. q. 109) *veritas*, qua inclinamur ad conformitatem inducendam inter mentem nostram et signa quibus utimur ad aliquid proximo significandum, quales sunt scriptura, sermo, gestus. Huic opponitur imprimis mendacium, de quo dicetur n. 413 seqq.; deinde simulatio seu mendacium in exteriorum factorum signis consistens, et hypocrisis qua quis simulat se ornari virtutibus quibus caret. Malitia utriusque facile ex iis quae de mendacio dicentur erui potest. De hypocrisi advertere juvat eam per se esse

venialem perinde ac mendacium. Mortalis tamen evadit dupliciter : *a)* ratione finis graviter mali qui per eam intenditur, puta ad falsam doctrinam sub virtutis specie disseminandam vel ad obtinendam dignitatem ecclesiasticam qua quis omnino indignus sit ; *b)* ratione contemptus sanctitatis vel religionis, qui saepe cum hypocrisi conjunctus est. (Lessius, l. c. n. 46)

4° *Affabilitas.* Haec virtus efficit ut conversatio nostra cum proximo in rebus seriis sit grata et talis qualem esse decet, spectatis conditione nostra, persona quacum agimus, negotio et reliquis circumstantiis. Dupliciter contra hanc virtutem peccatur : adulatione, qua quis nimium studet blandus esse et gratus, ideoque omnia probat, omnia laudat ; morositate, qua quis nimis parum studet placere et ubique se difficilem exhibet. Uterque defectus per se venialis est. (Lessius, l. c. n. 47 seqq.)

5° *Liberalitas.* Haec moderatur affectum pecuniae et quarumlibet rerum pretio aestimabilium, ac reddit nos faciles et promptos ad eas expendendas quando ratio id dictat. Huic virtuti opponuntur avaritia (de qua n. 178) et profusio. Dupliciter adversatur liberalitati profusio : tum defectu in bonis fortunae conservandis, tum excessu in iis erogandis. Neutro modo per se veniale peccatum excedit : nam per eam violatur tantum ordo ratione praestitutus in servandis erogandisve iis bonis quae dignitate omnibus cedunt. Sed non raro peccatum mortale eidem conjungitur, ut puta quia per profusionem homo se imparem facit solvendis debitis, vel malas artes ad pecuniam corrogandam adhibere cogitur dum nimias expensas producere cupit. (Lessius, l. c. n. 62)

6° *Misericordia.* Haec inclinat ad succurrendum proximo in necessitate spirituali vel corporali posito. De ejus officiis dictum est Sect. III. c. 2.

§ 3. DE FORTITUDINE.

249. Fortitudo est virtus quae motus animi in rebus terribilibus, praesertim periculis mortis, sustinendis vel repellendis moderatur. (Lessius, l. 3. c. 1. n. 11) ✓ 1683

Sic definita, virtus specialis est et distincta ab illa fortitudine seu firmitate animi in bono honesto quae unicuique virtuti perfectae inest. Etenim in periculis mortis aliisque maxime terribilibus peculiaris difficultas inest ut quis decore et e rationis norma interius exteriusque se gerat. Quare etiam opus est speciali virtute quae nos in iis adjunctis dirigat et juvet. Hinc apparet proprium actum virtutis fortitudinis tunc tantum elici cum ob motivum ejus formale, vid. ob amorem illius boni quod in fortitudine reperitur, mala terribilia sustinemus vel repellimus.

Quodsi pericula maxima decore adimus ex amore parentum, patriae, fidei, etc., proprie elicimus actus pietatis, justitiae legalis, fidei, etc. Attamen ex usu passim, tum apud veteres, tum apud recentiores recepto, fortitudo non solet tam arctis limitibus circumscribi, sed fortis dicitur quicumque ex quavis causa honesta opus fortitudinis praestat. Numquam tamen fortes dici possunt qui pericula etiam mortis aggrediuntur vel sustinent inhoneste, ex. gr. latrones, duellantes, etc. Repugnat enim virtuti materia inhonesta. Quare hujusmodi homines non sunt dicendi fortes, sed temerarii, feroces, etc.

Virtus fortitudinis efficit ut homo medium teneat inter duo extrema in quae pronum est labi eum qui maximis periculis objicitur, vid. inter ingentem timorem quo excitemur ad mali fugam, et nimiam audaciam qua ad pericula temere adeunda stimulemur : quae duo extrema, ut recte advertit Lessius (l. c. n. 3), alternantibus motibus animum vera fortitudine carentem pulsant et velut inter se confligunt.

Hinc facile patet quae vitia opponantur fortitudini. Per defectum opponitur *timiditas* seu *ignavia* : per excessum opponuntur *intimiditas* et *audacia*.

Timiditas est vitium quo homo excedit in timendo et deficit in audendo, vid. quia timet quod non oportet vel quo modo non oportet vel plus quam oportet, aut non audet aggredi quando et sicut ratio dictat. Hoc vitium nonnisi per accidens ad grave peccatum pertingere potest, nimirum si quis ad evadenda pericula mortis paratus sit aliquid facere vel omittere quod sine peccato mortali fieri vel omitti nequeat. (1)

Intimiditas est vitium quo homo deficit in justo timore concipiendo, ex vitae contemptu, superbia vel animi stoliditate. Nam ad fortitudinem spectat quandoque timorem excitare ut homo malum declinet quod vires ejus superet, puta naufragium vel vis hostium longe superior, neque ob justam causam adeundum sit. Tandem audacia seu temeritas est excessus in audendo et aggrediendo, cum quis, ut malum imminens avertat, aggreditur aliquid quod non convenit, vel quando non convenit, vel quo modo non convenit : quod vitium plerumque e vanae gloriae cupiditate oritur. Utriusque vitii reatus, praesertim ubi ad graviora progreditur, patebit e dicendis de quinto Decalogi praecepto.

250. Praecipuae **virtutes fortitudini adnexae** sunt : magnanimitas, patientia et perseverantia. Hae erunt partes fortitudinis integrantes, si versabuntur circa mortis pericula ; potentiales, si exercebuntur in superandis periculis minoribus.

(1) Opus praestantissimum fortitudinis est martyrium : de quo suo jure agunt Dogmatici, cum argumentum sit prorsus speculativum.

Magnanimitas est virtus quae ad magna et heroica in omni virtutum genere inclinat. Ut proprie actus magnanimitatis exerceatur, necesse est ut homo in magna et heroica feratur, non quia in illis elucet peculiaris honestas hujus vel illius virtutis, puta religionis vel abstinentiae, sed ob motivum distinctum a reliquarum virtutum motivis, vid. quia hujusmodi opera, utpote magna et ardua, consentanea sunt animo magno et generoso, magnis gratiae praesidiis adjuto, magna rerum coelestium cognitione instructo, magnis praemiis illecto, magnis exemplis provocato. (Lessius, c. 2. n. 6) Ab ea virtute inadaequate tantum distingui videtur *magnificentia*, cujus est magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficere, quando ratio id postulat, puta in exstruendis templis, nosocomiis, etc. Magnanimitati adversantur: praesumptio, ambitio, inanis gloria, pusillanimitas, de quibus dictum est n. 177.

Patientia est virtus quae animum adversus mala hujus vitae firmat. Ejus proprium est tristitiam, quam mala ista in animo gignere solent, vel penitus comprimere, vel ita moderari ut rationem plane sui compotem relinquat, neque reliquas virtutes in officiis suis impediat. Ut formaliter exerceatur virtus patientiae, necesse est ut homo in hanc moderationem incumbat, propter specialem honestatem quae elucet in hac interna et externa moderatione inter mala praesentia. Usu tamen communiter recepto, etiam ille dicitur patiens qui eamdem moderationem exercet ductus motivo alius virtutis quae per tristitiam et afflictionem oppugnetur, quamvis iste proprie et formaliter exerceat actum illius virtutis ob cujus amorem resistat iis quae eamdem impugnent. A virtute patientiae inadaequate tantum distinguitur *longanimitas*, quae animum firmat adversus malum aliquod determinatum, vid. adversus molestiam quae e rei exspectatae dilatione percipitur. Patientiae per defectum opponitur *insensibilitas*, ob quam homo nullis suis vel proximi malis tangatur: quod signum est brutae stoliditatis vel inhumanae duritiei. Eidem per excessum adversatur *impatientia*, qua quis dolore victus aliquid mali facit, puta dum transgreditur limites quos ratio ponit in dolore manifestando. Per se haec vitia veniale peccatum non excedunt; impatientiam tamen saepe ducere ad gravia, puta blasphemias, vulnerationes, etc. notissimum est.

Perseverantia est virtus qua quis bonum opus prosequitur quamdiu recta ratio id postulat. Ut eadem formaliter exerceatur, necesse est ut quis perseveret ductus speciali honestate quae relucet in bono opere prosequendo usque ad finem ratione praestitutum, victis taedio et molestia quae e diuturnitate obrepere solent. Juxta S. Thomam (2. 2. q. 137. a. 3), a perseverantia eatenus differt *constantia*, quatenus haec facit hominem firmiter consistere in bono contra difficultatem quae provenit ex ipsa diuturnitate actus, illa vero idem efficit contra difficul-

tatem quae provenit e quibuscumque aliis exterioribus impedimentis. Haec tamen distinctio, prout observat Lessius (l. c. n. 48), neque ab AA. neque vulgo servari solet: quare praestat duas istas voces velut duo ejusdem virtutis nomina promiscue usurpare. Perseverantiae per excessum opponitur *pertinacia*, per defectum *inconstantia* seu animi mollities. Pertinacia in eo est quod quis manet firmus in agendi vel sentiendi proposito, ubi non oportet vel plus quam oportet. Peccatum pertinaciae erit grave vel leve pro ratione materiae: sic grave foret nolle retractare opinionem ab Ecclesia damnatam. Inconstantiae vitium in eo est quod quis facile recedit a bono propter aliquas molestias non ita graves ut eas sustinere non posset. (2. 2. q. 139. a. 1) Hujusmodi recessus a proposito erit mortalis si quis sub gravi tenebatur perseverare, puta ob votum in religione emissum; levis, si tenebatur sub levi. Quod si nulla erat obligatio perseverandi, nullum per se peccatum erit in deserendo proposito; per accidens peccabitur, si talis mutatio fit ex aliqua inordinata passione. (Lessius, l. c. n. 49)

§ 4. DE TEMPERANTIA.

251. Temperantia, prout quartam e virtutibus cardinalibus designat, est virtus quae refrenat appetitum in iis quae maxime alliciunt, vid. in voluptatibus gustus et tactus, seu in usu alimentorum et venereorum. Versatur ergo primario in moderandis his delectationibus quae vehementissimae sunt et longissime a ratione abducunt, secundario tamen etiam in moderanda oblectatione aliorum sensuum, nimirum quatenus horum objecta ad voluptatem gustus vel tactus, mediante imaginatione, incitant. Moderatur autem temperantia non solum externum harum delectationum usum, sed etiam internos affectus, ut vid. eas tantum desideremus quantum, qualiter, ubi, quando et quo modo oportet. Quae sit temperantiae mensura in cibo et potu, dictum est n. 180. Quae vero servanda sit in usu venereorum, extra legitimi conjugii usum, patebit e dicendis de sexto Decalogi praecepto; idem de conjugatis habes Vol. II. n. 543 seqq.

In genere adversantur temperantiae *stupor* et *intemperantia*. Stupor, rarum utique vitium, in eo est quod quis nolit uti delectationibus tactus et gustus quando recta ratio id postulat. Adverte hoc vitio immunem esse qui hujusmodi delectationes fugiat ob aliquam justam causam, puta ad poenitentiam agendam. Intemperantia, qua nihil frequentius, est excessus in iisdem delectationibus concupiscendis vel fruendis.

Habet autem temperantia sub se plures virtutes, alias tamquam partes subjectivas, alias tamquam partes potentiales: de singulis breviter dicemus.

252. Partes subjectivae hujus virtutis sunt :

1° *Abstinentia.* Haec duplici ratione sumitur. Quandoque (2. 2. q. 146. a. 1) designat virtutem quae cupiditates et delectationes esculentorum refrenat et in ipso usu moderationem constituit. Sic nihil aliud est nisi temperantia circa cibos. Crebrius (Lessius, l. 4. c. 2. n. 1) hoc nomine venit virtus qua quis, ex amore honestatis temperantiae vel alius cujuslibet virtutis, subtrahit sibi aliquot cibos, quos sine intemperantia sumere posset : quod fit praecipue per jejunium ecclesiasticum. (n. 436 seqq.) Eidem virtuti opponitur gula, de qua dictum est n. 180 seqq.

2° *Sobrietas.* Haec latissimo sensu idem sonat ac temperantia ; strictiore sensu, idem ac temperantia in cibo et potu. Proprie et quatenus est virtus specialis, designat temperantiam in potu inebriante et definiri potest : virtus quae affectum et usum potionis inebriare valentis debite moderatur. Ratio ob quam haec specialis virtus statuitur, sita est in peculiari difficultate quae in hac moderatione reperitur, ob majorem proclivitatem hominum in potum inebriantem et graviora damna quae excessus in tali potu secum trahit. (Lessius, l. c. n. 88) Sobrietati opponitur ebrietas, de qua dictum est n. 183 seq.

3° *Castitas.* Haec virtus est quae venereas cupiditates et delectationes refrenat, ne plus iis utamur quam rationis norma secundum praesentem statum nostrum sinit. Castitas perfecta erit si quis ab omnibus voluptatibus carnis etiam licitis perpetuo abstinere proponet; eadem imperfecta tantum erit, si quis ad tempus tantum proponet hanc plenam abstinentiam, vel etiam intendet quidem ab illicitis abstinere, sed simul licitis uti : in qua ultima hypothesi, habebitur castitas conjugalis, quae tamen videtur specie differre a castitate perfecta, quia alia ratio honesti reperitur in absoluta abstinentia, alia in usu moderato. (Lessius, l. c. n. 92 seqq.)

A castitate perfecta nonnisi connotato differt *virginitas.* Haec enim nihil aliud est quam castitas perfecta in subjecto incorrupto, seu quod numquam antea fuerit libidine contaminatum. Sed probe secernenda est virtus virginitatis a statu mere naturali, qui virginitas dici solet, et consistit in integritate carnis, libidinosae contagionis experte. Amittitur virtus virginitatis stricte dicta omnibus illis actibus quibus amittitur castitas, ac proinde non tantum luxuriae actibus consummatis, sed etiam actibus imperfectis, imo desideriis turpibus et morosis delectationibus quae plene voluntaria fuerint. Eadem tamen non amittitur violatione carnis involuntaria : quia virtus, cum in animo consistat, nequit homini invito auferri. Insuper attende saepe virginem dici eum qui contra castitatem peccaverit actibus internis vel externis solitariis, modo numquam copulam carnalem habuerit : quia sic manet illa carnis integritas, quae vulgo virginitas dici solet. Nec quidquam amplius videtur Ecclesia

requirere a mulieribus ut virginum velum accipere possint : quippe quas Pontificale Romanum interrogari jubet tantum de vita, conscientia et *carnis integritate*. Hae tamen coram Deo virgines non sunt, neque virginitatis laureolam assequentur. (Lessius, l. c. n. 120 ; Ball. P. de sexto Praec. Dec. n. 131 seqq.)

253. Partes potentiales temperantiae sunt :

1° *Continentia*. Haec, sensu apud veteres DD. recepto (2. 2. q. 155 : Lessius, l. 4. c. 4. n. 1), designat firmum propositum animi quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiae, quibus ad voluptates tactus, praesertim venereas, impellitur. Huic virtuti opponunt incontinentiam, in eo sitam quod passio quae versatur circa easdem delectationes vincit rationem, licet totalem ejus usum non auferat. Usu tamen hodie communiter recepto, neque continentia a castitate, neque incontinentia a luxuria differre intelligitur.

2° *Mansuetudo*. Haec virtus est quae irae passionem secundum rectam rationem moderatur, sicut temperantia rationi subjicit cupiditates delectationum gulae et veneris. Ejus officium est iram penitus reprimere ubi justa irascendi causa deest ; ubi vero justa ratio poscit ut irascamur, impedire ne ira modum excedat. Huic virtuti per excessum opponitur iracundia, per defectum inirascentia. De iracundiae reatu dictum est n. 188. Inirascentiae vero vitium in eo est quod quis non excitet in se iram qua indigeat ad implendum aliquod officium justitiae vel caritatis ad quod obstrictus sit, puta corripere, castigare, retundere contumaces. Attamen illa irae vacuitas non habet distinctam malitiam a malitia omissi illius officii justitiae vel caritatis : mala enim non est nisi quatenus in ea censetur volita omissio debitae actionis. (Lessius, l. c. n. 35)

3° *Clementia*. Haec virtus, quae Superiorum propria est, inclinat animum ad imponendas minores poenas quam quae jure imponi possunt. Magnam habet affinitatem cum mansuetudine : a qua tamen differt potissimum motivo suo formali. Etenim mansuetudo ad vindictam minuendam inclinat propter honestatem quae in ira moderanda elucet ; clementia, propter decorum quod sibi comparat homo potestate praeditus, dum, ob benignitatem erga proximum, non utitur in puniendo tota sua potestate. Clementiae opponitur per excessum *crudelitas*, per defectum *nimia lenitas*. Crudelitas vitium est quo poenae, ex quadam animi asperitate, supra modum exiguntur. Supponit ergo in eo qui poenas exigit, aliquam auctoritatem seu veram, seu usurpatam ; in eo qui punitur, aliquem reatum. Quodsi alterutrum deest, puta in judice torquente innoxios homines, proprie, juxta veteres (2. 2. q. 159) habetur feritas : quia poenam sic inferentes delectantur, ferarum more, proximi doloribus vel ex iis lucrum quaerunt. Usu tamen recepto, crudelitas et feritas

convertuntur. Nimia lenitas vitium est, Reipublicae aeque perniciosum ac crudelitas (Lessius, l. c. n. 44), quo poena mitigatur vel omnino remittitur, etiam cum utilitas delinquentis vel exemplum aliorum requirit ut per justam severitatem tota exigatur.

4° *Modestia*, qua quis, suo modulo contentus, motus suos internos et externos et omnem rerum suarum apparatum intra mensuram sibi congruam coercet. Sub modestia numerantur quatuor virtutum species (2. 2. q. 160. a. 2), quarum singulae quibusdam humanis moribus moderantur : humilitas, motibus animi ad excelsa ; studiositas, nimio desiderio cognitionis, praesertim curiosae ; modestia morum, motibus et gestibus externis corporis ; modestia cultus, exteriori apparatui, puta in vestibus, supellectili, etc. De singulis breviter.

a) Humilitas. Haec definiri potest cum Lessio (l. c. n. 54) : Virtus inclinans nos ad nostram vilitatem signis, seu internis, seu externis, et factis profitendam. Fundamentum humilitatis est notitia sui, quae potissimum comparatione exiguitatis nostrae cum infinita Dei perfectione acquiritur, ac proinde recte dicit S. Bernardus (De gradibus humil.) : eam esse virtutem qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Nihilominus formaliter non residet in intellectu, sed in voluntate, quam inclinat ut se intra mensuram sui suppositi contineat, nec ad aliquid per modum spei vel desiderii supra illam feratur. Ut autem intelligatur quomodo humilitas cum veritate conciliari possit, etiam in iis qui maximis naturae vel gratiae donis excellunt, notandum est cum S. Thoma (2. 2. q. 161. a. 3) in homine duo considerari posse : id quod est Dei et id quod est hominis ; hominis autem esse quidquid pertinet ad defectum, Dei vero quidquid pertinet ad salutem et perfectionem. Jamvero humilitas proprie respicit reverentiam qua homo Deo subjicitur. " Et ideo quilibet homo, secundum id quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere quantum ad id quod est Dei in ipso ; non autem hoc requirit humilitas ut aliquis id quod est Dei in seipso, subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero... Similiter etiam non hoc requirit humilitas ut aliquis quod est suum in seipso, subjiciat ei quod est hominis in proximo... Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse quod in alio non est, ex quo se potest ei subjicere per humilitatem.„ Quomodo honesti rationem habeat ex humilitate amplecti vilia, Lessius (l. c. n. 53) praecipue hac ratione explicandum ducit. Dum vilia ex humilitate amplectimur, id agimus ut profiteamur nos nihil boni ex nobis habere, nihil posse, nihil esse, et consequenter omne bonum nostrum esse ex Deo, ad ipsum veluti auctorem omnia referenda, in ipsum omnem laudem et honorem, qui nobis tribuitur, refundendum. Hoc ipso enim quod nostram vilitatem profitemur, tacite etiam significamus omne bonum nostrum Deo assignandum

esse. Attamen nequaquam impedit humilitas quominus quis appetat magna, modo per id quod a Deo accepit sufficientem proportionem cum iis habeat, neque magna appetat quasi ipse per eâ quae praecise ex se habet iis sit dignus aut ea possit efficere. " Imo nulli sunt magis magnanimi quam illi qui vere sunt humiles. Cum enim non suis viribus, sed Dei tantum auxilio, cui se penitus subjecere, nitantur, ejusque omnipotentiam et bonitatem assidue cogitent, nihil est quod hac ratione illis impossibile aut valde arduum appareat, ac proinde etiam quidvis aggredi, cum honor Dei postulat, non dubitant.„ (Lessius, l. c. n. 51) Humilitati opponuntur per excessum *superbia* (n. 177) et per defectum *nimia sui abjectio*. Haec inclinat hominem ad imprudentem sui abjectionem, vid. quando haec redundat in injuriam status vel officii quod gerit, vel talenti quo praeditus est, vel in eorum incommodum quibus prodesse potest aut debet. Opponitur humilitati per defectum, quatenus humilitas rationabilem propriae excellentiae curam prosequitur. (Lessius, l. c. n. 64)

b) Studiositas. Haec virtus est quae affectum et studium cognoscendi juxta rectae rationis normam temperat. Duplici fungitur officio : altero, per quod proprie cum temperantia connectitur, moderatur tum appetitum sciendi, ne quis velit plura et altiora scire quam ipsius capacitati congruat, ne scientiam pluris faciat quam virtutem, etc., tum ipsum conatum scientiae acquirendae vel exercendae ; altero, per quod cum fortitudine connectitur, ad sciendi desiderium et ad studium necessarium vel congruum impellit. Studiositati per excessum opponitur *curiositas*, per defectum *negligentia*. Curiositas proprie in hoc est quod aliquis, solius cognitionis affectu, superfluam diligentiam adhibet ut aliquid sciat, quod nihil ad ipsum scire attinet, vel quod captum ipsius superat. Nec refert utrum hujusmodi cognitio per intellectum an per sensus quaeratur. Si vero non solius cognitionis affectu, sed ob alium finem, puta voluptatis quae ex ipsa re percipiatur, aliquid scire appetas quod ad te non pertineat vel captum tuum superet, haec non erit curiositas proprie dicta, sed aliud vitium, puta libido vel sensualitas. Verum, ubi cum debita moderatione et ex honesto fine rerum novarum cognitio quaeritur, non vitium, sed virtus exercetur. (n. 39) Curiositas est peccatum per se leve : nulla enim gravis inordinatio in eo videtur quod homo appetat scire quae ad eum non pertineant, aut superfluam in hujusmodi operam ponat, modo necessaria non negligat. Sed saepe homo, inordinato sciendi desiderio, transgreditur legem sub gravi obligantem, puta dum in hunc finem exercet spiritismum, litteras alienas aperit, etc. (Lessius, l. c. n. 83 seqq.) Negligentiae vitium in eo est quod quis voluntarie omittat discere quae discere vel scire tenetur. Hic defectus per se venialis est : nihil enim grave in solo taedio laboris apparet. Per acci-

dens gravis fiet si quis, propter hoc taedium, negligat studium ad quod sub gravi teneatur, puta judex negligens studium necessarium ad causam prudenter dirimendam.

c) Modestia morum est virtus qua externi motus et gestus corporis ex praescripto rationis temperantur. Hujus ergo officium est gressum, vocem, orationem, etc. ita moderari ut congruant personae tum in se spectatae, tum versanti in tali loco, tempore vel negotio. Eadem velut species est *eutrapeliae* quae ludis et jocis rationis modum imponit. Modus autem quem ratio in iis servare jubet, determinetur oportet e fine horum delectabilium, nempe ut anima congruam a praeteritis laboribus quietem et aptam dispositionem ad novos labores assumendos nanciscatur. Cfr. 2. 2. q. 168. a. 2. Excessus in talibus manifeste magis nocet quam defectus, et quandoque ad grave peccatum pertrahit, puta si proferantur joci graviter turpes cum gravi scandalo audientium, vel si, propter ludi libidinem, officium magni momenti negligitur.(n. 660 seq.) Modestiae morum per excessum opponitur *petulantia*, qua praescriptum rationis in externis motibus et gestibus excedituir, puta dum nimium extenditur communis modus, vel assumitur modus alienus qui cum propria conditione non congruat. Per defectum eidem virtuti opponitur *morum rusticitas*. Utrumque defectum per se venialem esse liquet.

d) Modestia cultus est virtus quae in rerum externarum apparatu rationis moderationem adhibet. Per excessum contra hanc virtutem peccatur dupliciter : ratione ipsius cultus et ratione affectus hominis qui conviviis, vestibus, etc. ambitiose, deliciose vel luxuriose utitur. Ratione ipsius cultus : quando is per se talis est ut non congruat receptae consuetudini proborum in tali loco. Ratione affectus : quando is inordinatus est seu ex parte finis intrinseci vel extrinseci qui intenditur, puta si quis per corporis cultum quaerat vanam gloriam, vel ad impuros amores impellere nitatur, seu ex parte agentis qui nimium studium in hujusmodi rebus ponit, puta si mulier plures horas in se ornanda insumat. Per defectum contra eamdem virtutem peccatur etiam dupliciter : primo, ex parte agentis, negligendo contra decori regulas cultum corporis vel rerum suarum : secundo, ex parte finis, quaerendo per vilitatem cultus inanem gloriam. Quo melius determinetur mensura in ornatu corporis tenenda, adverte quemvis honeste appetere et procurare vestitum quo, pro conditione status sui, decore compareat : decet enim ut in societate humana unusquisque illum vestitum gerat qui cum ejus conditione convenire communiter in hoc loco existimetur. Insuper mulieres matrimonio junctae vel nubere cupientes rationabiliter in cultu suo intendunt ipsam corporis pulchritudinem : nam cum naturae institutione et ipsius feminei corporis conformatione congruit mulierem ope pulchritudinis cor viri sibi in ordine ad matrimonium devincire, initoque matri-

monio devinctum conservare. Per se veniale peccatum est in ornatu qui assumatur cum intentione minus recta, ut puta si mulier quae nubere nolit vel vir se ornet ut pulchritudinis laudem obtineat, aut si etiam mulier quae rationabiliter hanc laudem appetit, excessum in ornatu corporis admittat. Haec enim per se mera vanitas est, neque ullum grave hominis officium laedit. Per accidens tamen ornatus superfluus multiplici ex capite potest cum peccato mortali conjungi, ex. gr. si fiat cum animo pertrahendi ad libidinem, vel si ratio sit ob quam debita non solvantur. (Lessius, l. c. n. 112 seqq.)

TRACTATUS VI.

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

SECTIO I. — DE PRIMO PRAECEPTO.

254. Primum Decalogi praeceptum effertur his verbis: " Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me. „ (Ex. XX. 2, 6) Hinc satis patet materiam hujus praecepti, prout affirmativum est, consistere in actibus virtutis religionis; prout negativum est, in vitiis eidem virtuti per excessum vel defectum oppositis.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS POSITIVIS HUJUS PRAECEPTI.

§ 1. DE VIRTUTE RELIGIONIS IN GENERE.

255. Religio est virtus moralis justitiae adnexa (n. 247) quae inclinat hominem ad reddendum cultum debitum Deo, tamquam primo principio creationis et gubernationis rerum. (2. 2. q. 81. a. 2) Dicitur *virtus moralis*, non theologica: nam virtutis theologicae objectum materiale est Deus; virtutis vero religionis objectum materiale sunt actus quibus Deus colitur; cum autem hi actus in Dei reverentiam cedant, Deus comparatur ad virtutem religionis sicut finis. (S. Th. l. c. a. 5) Objectum formale ejusdem virtutis est honestas moralis quae relucet in adimplendo hoc debito erga Deum. Ad religionem tamquam virtutem *elicientem* referuntur tantum illi actus qui, secundum rationem suae speciei, pertinent ad reverentiam Dei; ad eamdem, tamquam *imperan-*

tem, pertinere possunt actus omnium virtutum tam theologicarum quam moralium. (S. Th. l. c. a. 4; Struggl, tr. 5. q. 1. n. 6)

Actus qui per se ad virtutem religionis pertinent explicantur a S. Th. l. c. qq. 82-91, nempe : devotio, adoratio, oratio, sacrificium, oblationes, decimae, votum, juramentum, assumptio divini nominis per modum adjurationis vel ad invocandum per orationem vel laudem. Plura ex his vel nullam difficultatem practicam continent, vel alibi, praesertim ubi de secundo Decalogi praecepto, explicantur. Hic tantum agemus de adoratione et oratione.

§ 2. DE ADORATIONE.

256. Adoratio late sumpta designat quemlibet actum quo alterum propter ejus excellentiam reveremur. Varia autem fit adoratio pro natura excellentiae quae sit ejus objectum formale, vel actuum quibus illam excellentiam colamus.

Si objectum formale est excellentia Dei infinita et imparticipata, habetur adoratio sensu maxime proprio, quo cum cultu *latriae* convenit; si vero idem objectum est excellentia finita et participata, habetur adoratio sensu minus proprio, quo creaturis praestari potest. Hoc posteriore sensu convenit cum cultu *duliae*. Haec appellatio apud antiquos Theol. (2. 2. q. 103. a. 4) designat reverentiam cuicumque homini ratione cujuscumque excellentiae exhibitam, hodie vero reservatur cultui exhibendo iis qui, propter aeternam gloriam, maximam conjunctionem cum Deo habent. Ita etiam vox *hyperdulia*, quae prius (l. c.) designabat cultum omnibus sanctis exhibitum, jam reservatur designando cultui quo colitur eminens excellentia B. V. M.

Actus autem adorationis, licet mere internus esse possit, solet tamen esse simul *spiritualis*, quatenus consistit in interiori mentis devotione, et *corporalis*, quatenus consistit in exteriori corporis humiliatione. Hoc enim sponte sequitur e duplici natura, intellectuali et sensibili, qua constamus. Exterior autem adoratio fit propter interiorem, " ut vid. per signa humilitatis quae corporaliterexhibemus, excitetur noster affectus ad súbjiciendum se Deo. „ (2. 2. q. 84. a. 2)

Notandum quoque cultum esse vel *absolutum* vel *relativum*, prout sistit in objecto suo materiali, vel per istud transit ad aliud objectum, a quo prius suam excellentiam desumit. Ita relativus est cultus qui exhibetur reliquiis vel imaginibus sanctorum, quia non habent sanctitatem sibi intrinsecam, sed coluntur propter moralem connexionem quam cum ipsa persona sanctorum habent. Jamvero, cum in cultu relativo spectetur persona quacum objectum cultus relationem habet, varia erit cultus

species pro excellentia illius personae. Ideo cultus latriae exhibetur reliquiis SS^mae^ Crucis, imagini Crucifixi vel SS^mo^ Nomini Jesu, cultus duliae reliquiis vel imaginibus Sanctorum.

Inter actus externos quibus reverentia exhibetur, plerique per se indifferentes sunt ad latriam vel duliam, ex. gr. genuflexio, suffitus. Ideo ad alterutrum determinari possunt per intentionem internam quae eos comitatur. Attamen sacrificium, saltem propter significationem quae eidem, omnium gentium usu, adnexa est ad recognoscendum supremum vitae et mortis dominium, ad solum cultum latriae usurpari potest. (2. 2. q. 84. a. 1)

Adoratio tum interna, tum externa erga Deum praecipitur lege naturali et positiva. Cfr. quae a Philosophis moralibus probantur de necessitate cultus socialis, qui necessario debet esse externus, et plurima S. Scripturae loca quibus cultus, et speciatim sacrificium, Deo offerri jubetur. (Deut. VI. 13; Matth. IV, 10)

Frustra inquireretur quoties hac obligatione adstringantur fideles : nam, alias obligationes suas implendo, isti simul satisfacient. (Ball. P. n. 15)

257. De **cultu duliae** quaedam notasse juvabit, ob dubia quae quandoque emergunt. Nempe :

1° Cultum *publicum* hodie exhibere non licet nisi iis qui, proprio sensu, Sancti vel Beati nuncupantur. Cfr. Constit. Urbani VIII *Sanctissimus*, an. 1625, et *Coelestis Hierusalem*, an. 1634. Sancti autem proprie nuncupantur ii tantum qui solemniter a R. P. albo Sanctorum adscripti sunt; Beati vero qui, ex speciali concessione R. P. ab aliqua provincia, ordine religioso vel loco, tamquam in coelis existentes, cultu aliquo publico coli possunt. Erga Beatos cultus ille eatenus tantum licet quatenus diserte Pontificio Indulto conceditur. Notandum tamen ipsum Urbanum VIII (Const. *Sanctissimus*) declarasse " quod per supra scripta praejudicare in aliquo non vult, neque intendit iis qui, aut per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Ap. vel Ordinarii coluntur. „ Quid autem liceat erga eos qui in antiquissima cultus possessione versentur, deducendum est e longaeva consuetudine. (Ben. XIV, de Beat. et Can. SS. l. 1. c. 37. n. 4 seqq.) Attamen hujusmodi cultus nonnumquam a S. C. R. probari et novis concessionibus augeri solet. Cultus ergo publicus reddi nequit iis qui cum fama sanctitatis vel martyrii obierunt et Servi Dei nuncupari solent; idem valet, etiam postquam a R. P. signata est causa introductionis eorum beatificationis et propterea jam Venerabiles vocantur.

2° Cultus publicus, vetitus exhiberi iis qui nondum Sanctis vel Beatis adscripti sunt, intelligitur ille qui nomine Ecclesiae, aut tamquam constitutus ab ea, fit aut fieri censetur. (Reiffenst. in l. 3. Decr. t. 45. n. 20) Id potissimum contingeret si in honorem Servorum Dei functiones liturgicae agerentur, perinde ac fieri solet pro Sanctis vel Beatis. Non prohibetur autem cultus privatus seu privata devotione exhibitus, ut si aliquis in honorem alicujus Servi Dei, etiam aliis audientibus, preces aliquas recitaret : nam si talia non licerent, jam, post multum tempus, de fama sanctitatis, quae ante Beatificationem investiganda est, constare non posset.

3° Imagines Servorum Dei nullatenus altaribus imponi possunt, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; possunt tamen in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo nullum cultus vel sanctitatis indicium prae se ferant. (Const. cit. et Decr. S. C. R. 14 Aug. 1894)

4° Tabellae, imagines, sive pictae, sive ex quavis materia fictae, atque alia quaecumque signa fidem facientia gratiae quae iisdem Servis Dei accepta referatur, simul cum deferentis aliorumve testimoniis, a custodibus ecclesiae recipi possunt, atque, approbantibus Ordinariis, ad quos statim omnia referenda sunt, in secreto aliquo seorsim ab ecclesia loco asservari. (Const. *Coel. Hierus.*)

5° Reliquiis Servorum Dei exhiberi potest tantum cultus privatus, eas secum portando, osculando, aegrotis admovendo, etc. Facultas autem quam Trid. (Sess. 25. De invoc. vener. et reliquiis Sanct.) episcopis agnoscit, approbandi novas reliquias, unice intelligenda est de reliquiis noviter repertis eorum qui jam inter Sanctos vel Beatos relati sunt. (Reiffenst. l. c. n. 28)

§ 3. DE ORATIONE.

258. DEFINITIO. Oratio, *sensu lato*, dicitur quivis pius motus quo anima ad Deum ascendit, puta per coelestium contemplationem ; *sensu presso*, est petitio decentium a Deo. (2. 2. q. 83. a. 1) Hoc posteriore sensu, quo a Theologis vox illa adhiberi solet, supponit in animo orantis desiderium alicujus boni obtinendi, et formaliter consistit in practica hujus desiderii explicatione apud Deum, sive id sola mente, sive etiam voce (quod crebrius est) efficiatur. (Struggl, tr. 5. q. 1. n. 20 seq.) *Decentia* intelliguntur quaecumque honeste et convenienter desiderari possunt, spiritualia quidem bona absolute, temporalia vero sub conditione saltem implicita quod ad salutem animae conferant.

I. Oratio adultis est necessaria **necessitate medii**, eo sensu quod Deus, e dispositione Providentiae suae, non solet conferre gratias efficaces et perseverantiam finalem, nisi iis qui eas pia oratione postulant.

Hanc veritatem, quae praesertim e traditione Patrum constat, probandam relinquimus Dogmaticis ad quos pertinet. Cfr. Suar. de Relig. tr. 4. l. 1. c. 28.

259. II. Oratio adultis est etiam necessaria **necessitate praecepti divini** quod sub omni Lege tum vetere, tum nova exstitit.

Patet ex innumeris locis S. Scripturae quibus oratio praecipitur, ex. gr. Luc. XVIII, 1 : " Oportet semper orare et numquam deficere. „ Cum autem satis appareat Christum hic declarare necessitatem jam existentem, idem praeceptum intelligendum est numquam non viguisse.

Haec ergo necessitas afficit omnes homines, etiam peccatores : quorum oratio, licet nequeat esse meritoria de condigno, poterit tamen multas gratias obtinere : imo, dummodo non sit voluntas prorsus obstinata in malo, neque desint conditiones reliquae ad bene orandum requisitae, defectus status gratiae non videtur obstare quominus etiam infallibiliter obtineant peccatores ea quae ipsorum saluti utilia sunt. (Suar. l. c. c. 25)

III. Praeceptum illud obligat profecto ut *crebro* oremus; quoties autem praecise orandum sit, vi hujus praecepti, determinari nequit. (Suar. l. c. c. 30. n. 16)

Prior pars satis liquet e S. Scripturae testimoniis, ex. gr. I Thess. V, 17. " Sine intermissione orate, „ et ex ipsius vitae nostrae ratione. Hanc enim scimus esse multis periculis spiritualibus obnoxiam, quae superare nequeamus nisi Deus continuum et abundans auxilium nobis praestet ; aliunde etiam novimus orationem esse medium ordinarium a Deo constitutum ad tale auxilium assequendum. Quare ipsa ratio dictat non esse exspectandum extremum periculum ut oretur, et contra propriae salutis curam agere qui non oret frequenter. (Suar. l. c.) Quod autem tempus illud orandi presse determinari nequeat, doctrina est communis Theol. (Struggl, l. c. n. 23), quae plurimum confirmatur dissidio eorum qui tempus illud propius definire conati sunt. Ideo quod multi tenent, orandum esse saltem semel in mense, a praestantissimis AA. ut Suar. l. c., dubitanter profertur et parum ad praxim confert : nam plerique fideles praecepto illi abunde satisfaciunt, neque liquet quid ipsis esset praecise imponendum, cum jam dicendus sit orasse qui semel dixerit : ***Deus, miserere mei !*** similemve precatiunculam.

Nullum ergo peccatum per se faciunt qui omittunt preces matutinas

et vespertinas aliasve ante et post refectionem dici solitas. Boni tamen confessarii est eos enixe ad praxim adeo salutarem adhortari.

260. IV. Obligatio orandi per accidens oritur praesertim in sequentibus casibus:

1° Ubi urget aliqua gravis tentatio cui homo existimat se aliter resistere non posse. Qui tamen in tali casu orationem omitteret, probabilius non committeret aliud peccatum praeter illud ad quod tentatio impellit: nam ejus obligatio orandi non oritur nisi e virtute, ex. gr. castitatis, contra quam tentatur. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 37. n. 12)

2° In evidenti mortis periculo, si quis est in gravi peccato constitutus, ut veniam a Deo obtineat.

3° Ad avertendam gravem calamitatem quae privatis vel reipublicae immineat: quo in casu tamen raro gravis erit orandi obligatio, eo quod raro constabit orationem fore efficacem ad effectum hunc obtinendum ex. gr. ne alter duellum ineat, vel quod alii multi, ut fit in calamitate publica, jam ad eumdem finem orant. (Lessius, l. c.)

Alios casus ex industria omittimus, vel quia dubia est obligatio, ut in primo usu rationis (Suar. l. c. n. 9), vel quia res per se patet, ut contingit in iis qui, vi status, tenentur recitare Horas Canonicas.

V. Non datur stricta obligatio orandi pro aliqua particulari persona, nisi ob specialem ejus indigentiam, vel ob necessitudinem qua cum ea jungimur; neminem tamen excludere possumus e communibus orationibus quibus pro omnibus universe Deum deprecamur, exceptis iis qui vel nulla re jam indigent vel nulla oratione juvari possunt, nempe Beatis et damnatis. Igitur, licet non detur strictum praeceptum peculiares orationes fundendi pro inimicis, non licet eosdem excludere ab orationibus quas caritas interdum postulat ut faciamus pro patria, Ecclesia, communitate, vel etiam ab iis quas, sine ulla obligatione, instituimus formula quae natura sua omnes includat: id enim virtuale odium foret. (Suar. l. c. c. 16. n. 4) Cfr. dicta de dilectione inimicorum n. 227 seqq.

261. VI. Licet bonum et utile sit **invocare Sanctos** (Conc. Trid. Sess. 25. De invoc. vener. et rel. SS.), non videtur id sub strictum praeceptum cadere, deficiente lege naturali et positiva. Attamen venialiter peccare posset, ob incuriam salutis suae, qui prorsus omitteret auxilium tam efficax quod in Sanctorum, praesertim B. M. V. intercessione reperire est; imo graviter, si haec omissio oriretur e contemptu et animo haeretico.

Num expediat invocare animas in purgatorio detentas, inter AA. controvertitur. Negant plerique antiqui cum S. Th. (2. 2. q. 83. a. 4. ad

2 et 3) et quidam recentiores, ut D'Annib. (II. n. 19. nota 14) : quia, cum nondum fruantur visione Verbi, nequeunt cognoscere quae nos dicamus vel sentiamus. Affirmant multi recentiores (Ball. P. n. 38 ; Lehmk. I. n. 345), tamquam sententiam probabilissimam et communem. His certe astipulatur hodierna praxis multorum. Attamen Bellarminus (de Purgat. l. 2. c. 15), qui inter praecipuos hujus sententiae patronos citari solet, unice intendit animas purgatorio detentas pro nobis, tamquam in multis periculis versantibus, orare ; superfluum vero ducit ab eis petere ut pro nobis orent, quia non possunt *ordinarie* cognoscere quid agamus. Reapse nullo theologico fundamento nititur quod multi existimant : illis animabus perinde ac coelitibus innotescere quidquid pro ipsis faciamus vel cum ipsis orando colloquamur.

VII. Ad recte orandum sequentes **conditiones** requiruntur :

1° Ut petamus *decentia* sensu supra (n. 258) explicato.

2° Ut oremus cum fide, credentes nos a Deo obtinere posse quod petimus, imo infallibiliter obtenturos esse vi promissionum divinarum (Matth. VII. 8 etc.), modo orationi insint omnes conditiones quas divinae promissiones supponunt.

3° Ut oremus cum humilitate, nostram indigentiam agnoscentes, non nostris, sed Christi meritis fidentes.

4° Ut oremus cum perseverantia : irrationabiliter enim vellemus statim exaudiri, cum Deus saepe dona sua differat quo amplius ea aestimemus et ad orandum excitemur.

Oratio his conditionibus stipata infallibiliter exaudietur si quis postulat pro seipso, sive justus sit, sive etiam in statu peccati, modo habeat bonam voluntatem cooperandi gratiae quam petit : nam nullibi promissiones Christi ad solos justos coarctantur. (2. 2. q. 83. a. 16) Imo infallibilis videtur similis oratio pro aliis facta, modo in iis nullum sit obstaculum rei petitae, ex. gr. indurata voluntas : nam pro aliis orare jubemur et nullibi ad solum orantem restringuntur divinae promissiones. Tandem infallibiliter exaudienda videtur similis oratio si petuntur ea temporalia bona quae saluti nostrae utilia sunt, cum nulla appareat ratio ob quam a promissis maxime universalibus excludantur.

De attentione ad orandum requisita dicetur Vol. II. n. 59.

CAPUT II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS PER EXCESSUM.

§ 1. DE SUPERSTITIONE IN GENERE.

262. NOTIONES. Religioni, sicut cuivis virtuti morali, duplex opponitur vitium, unum secundum excessum, alterum secundum defectum : omnis enim virtus moralis in medio consistit.

Vitium religioni oppositum per excessum vocatur *Superstitio*. Haec definiri potest : cultus vitiosus veri vel falsi numinis. Nam excessus non est in eo quod " plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet. „ (2. 2. q. 92. a. 1)

Superstitio igitur est duplex : prior, qua cultus exhibetur quidem vero Deo, sed modo indebito ; posterior, qua cultus exhibetur ei cui exhibendus non est, nempe cuicumque creaturae.

Modus indebitus in cultu veri Dei potest esse *falsus* vel *superfluus* : hinc distinguitur superstitio cultus falsi et cultus superflui.

ASSERTA. I. Superstitio cultus falsi ex se peccatum mortale constituit, quia graviter praejudicat veritati et puritati Religionis christianae, dum eam minus aestimabilem, vel suspectam de errore facit. Ideo graviter peccat qui Deum nunc colit caerimoniis cultus Judaïci, quibus Christus adhuc venturus significatur ; qui proponit colendas falsas reliquias vel falsa miracula praedicat, ex. gr. ut devotionem erga aliquam imaginem augeat ; qui, ut populum commoveat, fingit aliquod miraculum vel historiam in S. Scriptura reperiri. Hoc ultimum tamen et similia facilius, ob animi levitatem, fieri possunt venialia. (Bus. ap. S. Alp. l. 4. n. 3 ; Struggl, tr. 5. q. 5. n. 6)

II. Superstitio cultus superflui ex genere suo peccatum veniale est ; quia, praeciso scandalo vel alia circumstantia graviter mala, non praejudicat graviter puritati et uniformitati verae religionis. Exempla habes in sacerdote qui e praepostera devotione multiplicaret orationes in Missa contra rubricas, vel longas preces privatas verbis Missalis intersereret. Videndum tamen num forte aliunde gravis peccati ratio cultui superfluo adveniat, puta e prohibitione Ecclesiae vel scandalo, ut si

ecclesiasticis officiis insereretur profanus cantus vel rythmus, qui pravas cogitationes adstantibus ingereret et videretur cultui divino graviter injuriosus: imo, si cantus esset prorsus turpis, jam ex se grave peccatum et cultum falsum seu perniciosum constitueret. (Sanch. in Dec. l. 2. c. 37. n. 7) Potest quoque cultus superfluus fieri mortale peccatum ratione vanae observantiae quae eidem admiscetur, ut si quis orationes in se bonas recitat cum certo numero benedictionum et circumstantiis ineptis, *infallibiliter* exspectans effectum aliquem temporalem, puta immunitatem ab omni morbo vel vulneris sanationem. Attamen qui id agunt ad finem in se bonum, saepe, ob simplicitatem, a peccato, saltem gravi, excusantur. (Struggl, l. c. n. 8)

Superstitio qua cultus indebitus redditur creaturae solet subdividi in species sequentes : idololatriam, divinationem, vanam observantiam, magiam et maleficium. (Bus. l. c. n. 2) Breviter de singulis.

§ 2. DE IDOLOLATRIA.

263. Idololatria est superstitio qua tribuitur honor creaturae sicut Deo. Parum refert utrum id quod colitur per aliquam imaginem repraesentetur necne (2. 2. q. 94. a. 1. ad 4), vel quo signo externo honor ille exhibeatur, dummodo ex intentione colentis vel communi acceptione significetur honor divinus. Cfr. n. 256.

Distingui solet idololatria in *materialem* et *formalem* ; quae posterior subdividitur in *perfectam* et *imperfectam*.

Materialis committitur ab eo qui, sine interno affectu, ex metu ex. gr. mortis, creaturae cultum divinum praestat. Haec semper peccatum grave est : nequit enim in Christianis non graviter adversari obligationi fidei profitendae.

Formalis et perfecta idololatria committitur ab eo qui adorat idolum quod reapse putat esse deum: formalis at imperfecta, ab eo qui, vel ex odio Dei vel ex affectu aliquid a daemone aliave creatura obtinendi, ipsi, quasi Deo, cultum defert. Patet utraque gravem injuriam Deo inferri. Imperfecta autem gravius peccatum constituit quam perfecta. Haec enim ob ignorantiam aliquo modo excusatur, illa vero ex mera voluntatis malitia committitur, et etiam aliquam simulationem et mendacium perniciosum Deoque injuriosum continet. (Laym. l. 4. tr. 10. c. 2. n. 5)

§ 3. DE DIVINATIONE.

264. NOTIONES. Divinatio est superstitio qua quis res occultas ope daemonis, *expresse* vel *tacite* invocati, indagat.

Expresse invocatur daemon ab eo qui vel verbis daemonem implorat, vel saltem facto aliquid usurpat per quod scit aut putat daemonem cooperari. Tacite invocatur ab eo qui media, quae novit vana et naturaliter improportionata, adhibet ad aliquid cognoscendum, etiamsi forte protestatur se nullum cum daemone commercium intendere. Protestatio enim hujusmodi eliditur factis : nam, cum noverit media naturaliter esse inepta, Deum autem et Angelos bonos hujusmodi opem non ferre, nequit effectum, quem intendit, exspectare nisi a daemonis interventu. (S. Alph. l. 4. n. 8)

Multae species divinationis, per invocationem sive expressam, sive tacitam daemonis, enumerantur a S. Th. 2. 2. q. 95. a. 3, ut divinatio somniorum, necromantia, augurium, auspicium, etc. quae tamen, juxta communiorem sententiam, non differunt in genere moris, sed mere materialiter, ideoque in confessione non sunt explicandae. Etiam probabile censet S. Alph. (n. 6) non differre moraliter, in ordine ad confessionem, divinationem quae fiat per expressam daemonis invocationem ab ea quae fiat per tacitam tantum. Regulariter tamen discrimen hoc erit confitendum, ut pateat confessario utrum grave an leve peccatum admissum sit, vel quia expressa invocatio saepe alia peccata adnexa habet, scil. haeresim, adorationem daemonis, etc.

265. ASSERTA. I. Divinatio quae fit **per expressam invocationem daemonis** semper est grave peccatum.

Hoc clarissime patet quando a daemone petuntur ea quae solus Deus novit, nempe futura libera et arcana cordium : quo casu homo cum daemone sicut cum Deo agit eique divinos honores tribuit. Sed etiamsi daemon naturaliter nosse potest ea quae ab ipso petuntur, puta ea quae hic et nunc aguntur in loco remotissimo, id graviter injuriosum est Deo, qui vult ut homo abrumpat cum hoc hoste Dei et humanae naturae omne commercium, praesertim quo se illi tamquam magistro addicat; adversatur etiam caritati hominis erga seipsum, quia daemon, etiamsi verum dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur, et sic intendit perducere in aliquid quod sit saluti nocivum.

Peccatum illud adversatur religioni, eo quod homo sic consulens daemonem eidem cooperatur, quatenus conatur divinam excellentiam sibi usurpare : hoc enim daemon adjuvando intendit ut homo, relicto Deo, a quo omnem cognitionem sibi necessariam vel utilem sperare debet, ad ipsum recurrat et ipsi se subjiciat, tamquam indigens ejus auxilio et in eo confidens. (2. 2. q. 95. a. 4.; Ball. P. n. 56)

266. II. Divinatio **per implicitam daemonis invocationem** natura quidem sua peccatum est mortale, cum aequivalenter daemonis auxilium

imploretur. (n. 264) Aliquando tamen a mortali excusatur, nempe : *a)* ob ignorantiam gravis malitiae : haec enim multo minus apparet quam in invocatione expressa ; — *b)* ob imperfectionem superstitionis, quando scil. vanis signis non adhibetur *certa* fides, sed solum concipitur aliqua spes vel timor ; — *c)* ob defectum seriae intentionis, ut si notitia rerum occultarum non intenditur serio, sed potius per modum joci : sic enim vera superstitio aberit. (Struggl, tr. 5. q. 5. n. 19) Hinc :

1° Graviter peccat qui vitam suam fere omnem dirigit per somnia, chartas, astra et similia quibus quaeri solet cognitio quam rerum istarum observatio naturaliter praebere nequit : id enim graviter divinae Providentiae ordini adversatur. Leviter tantum peccaret qui, propter similes rationes, semel vel iterum aliquid omitteret ad quod sub mortali non teneatur, puta interesse convivio, ne, tredecim mensae accumbentibus, unus brevi moriatur, iter facere die Veneris, etc.

2° Plerumque si qui observant somnia, auguria, etc. non peccant nisi venialiter, quia solet adesse excusans ratio ex iis quae supra enumerantur, speciatim defectus firmae fidei. (Sanch. in Dec. l. 2. c. 38. n. 21 seq. ; S. Alph. n. 9)

3° Somniis credere non est omnino illicitum, siquidem e S. Litteris et Sanctorum historia constat veritatem quandoque a Deo somniantibus manifestari. Sed diligenter, antequam credatur, examinandum num res manifestata sit bona, num finis manifestationis videatur Deo dignus, etc. (Ball. P. n. 64)

4° Generatim leviter tantum peccant consulentes eos qui futura vel occulta e chartis similibusve artibus praedicunt : nam plerique agunt sine firma fide, sed tantum ex joco vel levitate, praesertim si hos divinatores non adeunt privatim, sed cum sociis, ut fit in diebus festivis. Videndum tamen num graviter peccent, vel ob firmam fidem quam responsis adhibeant, vel ob scandalum aut cooperationem cum divinatore qui serio cognitionem occultam inquirat. Hoc ultimum raro contingit : plerique enim unice lucrandae pecuniae gratia artem, cujus vanitatem perspiciunt, exercent. (Sabetti, n. 209)

5° Superstitiosa est divinatio quae fit per sortes divinatorias, ad futurum vel occultum aliquod cognoscendum, quasi sortibus quaedam vis divina insit : ut si quis ex taxillorum projectione et dispositione divinet quis sit obtenturus victoriam. Idem regulariter dicendum de sortibus consultoriis, quibus inquiritur quid in hac vel illa re agendum sit : nam Deus voluntatem suam inquiri vult, non sortibus, sed doctrina Ecclesiae et judicio prudentum. Hae tamen licitae forent, non tantum ob specialem Dei instinctum, ut per se patet, sed etiam ubi causae necessitas et honestas id exigeret aptiorque modus dubium vincendi non suppeteret, dummodo tunc cum magna reverentia indicium a solo

Deo exspectetur, ut si quis, haerens in bivio, aliter viam discernere nequiret. Cfr. 2. 2. q. 95. a. 8.

Manifestum est nullam superstitionem reperiri in sortibus divisoriis, easque, seclusa legis positivae prohibitione, licite adhiberi, sive ad honestum ludum (cfr. n. 663), sive ad haereditatem dividendam, sive ad litem componendam, dummodo litigantes qui aequale jus habent consentiant : quia nihil aliud continent quam contractum inter eos qui ad aliquam rem jus habent, ut illius sit cui sors obtigerit. (S. Alph. l. c. n. 10)

§ 4. DE VANA OBSERVANTIA ET MAGIA.

267. *Vana observantia* est superstitio qua quis, expresso vel implicito pacto cum daemone, aliquid efficere nititur, ex. gr. scientiam repente et sine labore acquirere, per certas quasdam formulas reddere sanitatem, etc. Vocatur *vana* eo quod effectus illi vel non obtinentur, vel, si obtinentur, magis nocent, saltem animae, quam prosunt. Quodsi effectus illi essent omnino miri, puta repentina corporum immutatio, diceretur *magia*. Haec igitur specie morali non differt a vana observantia, imo neque a divinatione : siquidem parum interest, in genere moris, utrum ope daemonis quaeratur scientia occultorum an quidvis aliud.

E definitionibus datis, liquet discrimen inter divinationem et vanam observantiam in eo situm esse quod prior unice ordinetur ad cognoscenda occulta, posterior ad quoslibet alios effectus, praesertim externos. (Sanch. in Dec. l. 2. c. 40. n. 1) Alii tamen aliter hoc discrimen indicant, ut videre est apud Ball. P. n. 79 seq. Quae controversia ad praxim parum conducit.

Reatus vanae observantiae prorsus eadem ratione definitur ac supra (n. 265 seq.) de divinatione dictum est : par enim utriusque malitia est in recursu sive implicito, sive expresso, ad daemonem. Implicitus recursus habetur quando agens certo novit media quae adhibet esse imparia fini quem intendit. In praxi pleraeque vanae observantiae potius inter ineptias recensendae sunt quam inter superstitiones proprie dictas. (Berardi, Prax. Conf. n. 249) Ideo confessarii est poenitentes, praesertim rudes sed pios, suaviter docere quam inania et ridicula sint eorum conamina ; de gravi autem reatu ne facilius sermo injiciatur. Quandoque etiam doceantur poenitentes praxim suam expedire a quibusdam circumstantiis vanis vel a persuasione effectus infallibilis, cum saepe sic fiat prorsus innocua vel laudabilis.

268. QUAER. Quousque licitum sit conatus adhibere ad aliquid efficiendum, quando dubium est num medium adhibitum naturaliter par sit effectui producendo.

RESP. In hoc casu videtur tenenda haec regula quam effert La Croix (l. 3. p. 1. n. 28) laudatus a S. Alph. (n. 20) : " Potius judicandum est esse a natura adeoque non esse superstitiosum, quia plurimae sunt virtutes in rebus naturalibus nobis incognitae; itaque in dubio dicendum est id potius esse a natura, cum miros a natura effectus fieri videamus, quorum rationem reddere non possumus : ergo, etiam in tali dubio, sumus in possessione juris ad utendum ejusmodi rebus, donec resciatur non esse a virtute naturali occulta. „ Haec tamen regula supponit dubium niti ratione probabili, puta analogia quam hic effectus habet cum aliis certe naturalibus, absentia cujuslibet circumstantiae inhonestae vel quae manifeste postulet agentis supernaturalis interventum, etc. Nam, si res dubia censeretur tantum ob rationem generalem quod multa nos in natura latent, id logice duceret ad omnem miraculorum vim enervandam. Cfr. quae in Philosophia vel Theologia de miraculo explicantur.

§ 5. DE MALEFICIO.

269. Maleficium est superstitio qua proximo nocumentum infertur. Nocetur autem vel inspirando turpem amorem (philtrum), vel causando morbos, sterilitatem, varias calamitates (veneficium).

Liquet in maleficio, praeter malitiam vanae observantiae, quae a gravi peccato excusari practice nequit, reperiri etiam malitiam injustitiae.

Experientia constat hodie rarissima esse vera maleficia. (Berardi, l. c. n. 260) Quare confessarius facilis esse non debet in iis credendis quae a poenitentibus minus doctis quandoque narrantur: suadeat media naturalia adhibere et, piis precibus vel sacramentorum susceptione, a Deo obtinere finem calamitatum quae non raro perperam maleficiis adscribuntur. Graviter etiam increpandi erunt ii qui, praejudiciis occupati, alium, praesertim senem vel anum, maleficii incusant : nam isti plurimum desunt caritati et justitiae, cum, tales rumores spargendo, vitam putato malefico molestissimam efficiant.

In sequentibus paragraphis agemus de recentioribus quibusdam artibus quibus, saltem interdum, superstitio exercetur.

§ 6. DE TABULIS ROTANTIBUS ET SPIRITISMO.

270. I. Numquam licet **tabulas** ea qua notum est ratione in gyrum agere ad obtinendum effectum certo supernaturalem, ex. gr. ad acquirendam notitiam rei quam nullus adstantium novit, ut ipsa mensa distincte

responsum scribat, etc. Id enim manifeste contineret labem divinationis vel vanae observantiae, cum hujusmodi effectus neque a mensa, neque ab ullo conscio vel inconscio adstantium influxu exspectari possit. Neque id liceret etiam experimenti causa, nempe ad cognoscendum num effectus supernaturales reapse producantur : nam finis ille honestus non tollit medii malitiam. Sed si cui persuasum foret nullum effectum hujusmodi oriturum fore, non peccaret mensas movendo ut reliquorum errorem experimento corrigeret.

II. Si effectus intentus, ex. gr. mensam in gyrum, non mero voluntatis imperio, sed impositis digitis vertere, probabiliter est naturalis, per se licet eum producere, nisi obstet ratio scandali vel prohibitionis ab Ordinario factae (n. 268). Ideo summum venialiter peccant qui ex curiositate vel jocandi causa id experiuntur vel hujusmodi experimento intersunt. (D'Annib. II. n. 54, nota)

271. III. Spiritismus intelligitur spirituum consultatio, praesertim de rebus extramundanis. Semper est graviter illicitus : siquidem aperte continet malitiam divinationis vel vanae observantiae. Spiritus enim illi non sunt nisi daemones : nam animae coelitum profecto his vanis evocationibus non subsunt; damnatorum vero animae non permittuntur (saltem generatim) habere cum viventibus has relationes quas S. Litterae et christiana traditio daemonibus agnoscunt. Hinc numquam licitum est serio petere ab iis qui se *media* vocant, ut spiritus evocent vel quacumque de re consulant. Neque talis evocatio animarum defunctarum licita fit si quis profitetur se excludere quodlibet commercium cum spiritu malo et preces dirigit ad angelos bonos, prout S. Inqu. 30 Martii 1898 respondit : superstitio enim manet in facto evocationis, neque inani protestatione removetur.

IV. Si cui, ob seria indicia, constaret eum qui se *medium* jactet esse circulatorem, liceret eum, secluso scandalo, rogare ut artem suam exerceret, quo melius de ipsius fallacia constaret. Id tamen non licet *universe*, quasi *semper* nihil praeter fraudem adhiberetur. Ut enim sapienter statuunt Patres Conc. Baltim. II. (Coll. Lac. t. 3. col. 406) : " Bene videtur esse exploratum plura quae in Circulis Spiritismi exhiberi phaenomena miranda dicuntur, esse vel omnino ementita et operatorum inter se collusione fraudulenta producta, vel personarum quae dicuntur *media* imaginationi et spectatorum credulitati esse praesertim adscribenda, vel demum manuali cuidam dexteritati, qualis apud praestigiatores usu venit, esse tribuenda. Vix dubitandum tamen videtur, quaedam saltem ex eis a satanico interventu esse repetenda, cum vix alio modo satis explicari possint. „

V. Qui illicitis sessionibus tabularum rotantium vel spiritismi intersunt, graviter peccant si superstitionem formaliter approbant, eidem pecunia aliterve favent, vel grave scandalum praebent. Insuper in adeundis spiritismi coetibus graviter peccari potest ob periculum adhaerendi iis qui hodie, pluribus in locis, Spiritistarum nomine, in sectam, religioni catholicae prorsus adversam, coadunantur. Quodsi haec omnia mala abessent, is qui e mera curiositate semel aut iterum hujusmodi coetui interesset, leviter tantum peccaret. In hunc sensum videntur Patres Baltimorenses (l. c.) subditos *hortari* " ut nulla vel indirecta ratione, spiritismo faveant, et ne ex curiositate quidem ejus circulis umquam adsistant. Qui domum enim diaboli ingrediuntur, timeant ne machinationibus ejus decipiantur imperioque subjiciantur. „

§ 7. DE HYPNOTISMO.

272. NOTIONES. Ex hypnotismo, qualis hodie a permultis medicis et scientiarum cultoribus adhibetur, quaedam phaenomena passim et facile prodeunt : quaedam raro tantum neque aliter quam ubi hypnotizatus, ob indolem suam vel etiam crebro repetita experimenta, aptissimus est suggestionibus suscipiendis. Praeterea dicuntur ex hypnotismo quandoque prodire phaenomena prorsus mirabilia et portentosa : quamquam multi medici praestantes, in hypnotizandi arte versatissimi, negant haec sibi umquam contigisse. Cfr. von Olfers, Pastoralmed., p. 107.

Prorsus ordinaria phaenomena sunt : eum qui in hypnoticum somnum vel quasi-somnum inductus est, penitus pendere ab eo qui ipsum in hunc statum induxit, dum ceteras personas vel res in eodem loco positas neque audit, neque videt. Itaque quaslibet suggestiones ab hypnotizante verbo prolatas veritatis instar habet : pro illius lubitu, sibi videtur quaelibet audire, videre, olfacere, gustare, neque contra illius suggestiones ea facere potest quae vigilanti facillima forent, ex. gr. consanguineorum nomen recordari, pedem manumve movere. Etiam jam a somno hypnotico expergefactus, existimabit se videre quae jussus est videre quando expergefactus esset.

Extraordinaria phaenomena sunt : suggestiones quae nonnisi post longum intervallum, puta annum, effectus suos producant ; apparens personalitatis immutatio, ex. gr. dum puella se vetulam, militem vel sacerdotem reputat ; sanguinis vel humorum effusio in eo corporis loco quem hypnotizans suggesserit. Videsis haec fusius exposita apud P. Coconnier, *L'hypnotisme franc.*, capp. 4 et 5. Tandem alii asserunt, alii negant ope hypnotismi quandoque cognosci quae in loco valde distanti fiunt vel ipsas humanas cogitationes, nullo externo signo mani-

festatas, praedici futura, videri trans corpora opaca, sensus exerceri extra proprium cujusque organum, etc.

In sequentibus assertis hypnotismo applicabimus ea S. Sedis decreta quae de magnetismo animali prodierunt, quia nullum videtur vigere essentiale discrimen inter utriusque phaenomena : unde ambo, saltem sub morali respectu, in eodem gradu ponendi sunt.

ASSERTA. I. Illicitus est usus hypnotismi si ad hypnosim inducendam media in se mala, puta tactus turpes, adhibentur, vel quaeruntur effectus certo supernaturales aut inhonesti. (Litt. Encycl. S. Inqu. 4 Aug. 1856 ; Coll. P. F. n. 1754) Cfr. n. 267.

Supernaturales autem effectus videntur : cognitio rerum quae hic et nunc in locis valde distantibus fiunt, vel quae ab hypnotizato nullis mediis naturalibus apprehendi possunt, ut *clara* cognitio morborum et conditionis alicujus personae absentis, cujus capilli vel vestes hypnotizato exhibentur ; suggestio in distans per *merum* voluntatis imperium exercita ; distincte proferre, lingua prorsus ignota, ea quae certo e nullo vestigio in memoria relicto provenire possunt; scripta thecis ferreis ligneisve inclusa legere luminis ordinarii ope (1) ; ostendere scientiam, ex. gr. artis medicae, quae certe non fuerit antea naturaliter acquisita. Sed in casibus concretis cavendum est ne, sine maturo examine, pronuntietur nullam adesse fraudem vel naturalem causam qua quaedam maxime mirabilia explicari queant, ut puta dum hypnotizatus cogitationes aliorum directe percipere videtur, quae reapse ipsi indicantur motibus inconsciis illius quem tangit, vel tenui labiorum motu, etc.

273. II. Probabilius immunis est *a superstitione* qui hypnotismum adhibet ad obtinendos effectus qui eumdem regulariter comitantur, prout a medicis virisque scientificis adhiberi solet. Rationes sunt :

1° Juxta regulam supra positam (n. 268) experimenta e quibus miri effectus oriuntur, manent licita donec clare pateat istos effectus esse supernaturales. Jamvero, quamvis plura ex iis phaenomenis quae ex hypnotismo, omnium consensu, oriuntur, nondum satis explicari possint, saltem probabiles rationes afferuntur ob quas eadem solis naturae viribus adscribamus. Etenim hallucinationes et partialis insensibilitas, in iis qui vehementi aliqua passione extra se rapiuntur, vel in somnambulismo naturali, eodem fere modo reperiuntur atque in hypnosi. Imperium autem quod hypnotizans in hypnotizatum exercet non levem analogiam habet cum imperio quod vir forti voluntate praeditus nonnumquam exercet in eos qui vivida phantasia proni sunt ut in

(1) Dicimus " luminis ordinarii ope „, ut abstrahamus a possibilitate cernendi res trans corpora opaca ope radiorum quos nuper observavit Dr. Röntgen.

quamcumque partem agantur : insuper minus mirabile apparebit si quis attendat (quod extra dubium est) speciales conditiones in hypnotizante et hypnotizando requiri, puta in hoc persuasionem effectus secuturi vel magnam nervorum sensibilitatem, in illo speciem aptam ad auctoritatem conciliandam, neque semper ita absolutam esse hanc dominationem ut hypnotizatus nullatenus resistat. (n. 15) Adde analogiam cum miris effectibus qui in quibusdam morbis, ut in hysteria, contingunt : his enim liquido constat e systemate nerveo per morbum vel (ut alii hypnosim explicare malunt) per naturalem phantasiae commotionem vehementer excitato, exspectari posse maxime stupendas immutationes in memoria, intellectu, sensibus, etc. (1)

2° S. Sedes non quemlibet usum magnetismi animalis, sed tantummodo ejusdem abusum, nempe effectus supernaturales vel turpes qui ex eodem interdum prodire videntur, reprobavit. Sic in documento omnium praecipuo, vid. in Litt. encycl. a S. Inqu. datis 4 Aug. 1856 (Coll. P. F. n. 1754), pluries distinguitur inter usum et abusum magnetismi : reprehenduntur ii qui, *neglecto licito studio scientiae*, curiosa sectantur et ariolandi divinandive principium quoddam se nactos gloriantur. Effectus autem qui quaeri prohibentur prorsus diversi sunt ab ordinariis hypnotismi phaenomenis, sed prorsus praeternaturales : " Hinc somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis, mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt. „

Hujus argumenti vim auget quod S. Sedes ab anno 1856 nullum documentum ediderit quo hypnotismum reprobaret, quamvis ignorare nequeat eum a multis catholicis viris moderate et ad fines honestos usurpari. Accedit auctoritas multorum AA. qui aliquem saltem usum hypnotismi licitum existimant Gousset, (Th. Mor. I. n. 425) ; Bucceroni, (Cas. Consc. I. n. 8.)) ; D'Annib. (II. n. 53 etc.)

Plures tamen Theologi, duce P. Franco (*L'hypnotisme revenu à la mode*), contendunt ne simplicissimos quidem hypnotismi effectus sine

(1) S. Alph. (l. 4. n. 20) licitum ducit experimentum quod profecto phaenomenis hypnotismi propriis mirabilius magisque impervium apparet, vid. pulverem sympathicum in sanguinem hominis recens vulnerati et non multum distantis injicere ut sanguis e vulnere fluere desinat. Nuperius D'Annib. (II. n. 54) probabiliter naturalia ac prorsus licita docuit : attentare, ope hypnotismi, transpositionem sensuum, visionem per corpora opaca, inspectionem morborum quibus quis interius laboret, cognitionem rerum procul positarum, modo ne tam procul distent ut in animam crisiaci agere nullatenus possint.

superstitione produci posse, cum omnes sint daemonis interventui adscribendi. Horum rationes praecipuae sunt :

a) Etiam quando producuntur tantum effectus qui, natura sua, videri possint mere naturales, hi petuntur implicite a daemone. Quaeruntur enim ex unica illa causa quae omnia phaenomena hypnotica producit : haec autem nequit esse alia quam supernaturalis, siquidem pro lubitu hypnotizantis ab effectibus naturalibus ad supernaturales transitur. (Franco, op. cit. p. 232).— Resp. Effectus manifeste supernaturales non videntur produci cum ea frequentia et facilitate quae hic supponitur, sed raro tantum (n. 272), neque ex hypnotismo per se sumpto. Quare licet, verisimiliter saltem, supponere effectus hypnotismo proprios produci vi quadam naturali, sed mira et hucusque parum explorata, qualis erat olim vis electrica ; effectus vero supernaturales tribuendos esse daemoni qui se naturalibus immisceat ut homines decipiat et vim probativam miraculorum extenuet, praesertim quando hypnotizans damnabili curiositate transgreditur limites quos, in viribus naturae explorandis, apponunt ratio et fides.

b) Etiam minimi effectus hypnotici sunt praeternaturales quoad modum quo producuntur, vid. sine causa sufficiente, sine temporis mora, cum maxima facilitate eos in contrarios effectus mutandi, cum summa dependentia ab hypnotizante. (Franco, op. cit. p. 233) — Resp. Non videtur absonum eos produci ab ipsa phantasia hypnotizati sub iis excitationibus quae ab hypnotizante adhibentur, prout supra breviter exposuimus. Absonum vero videretur talia phaenomena, si vere praeternaturalia forent, produci cum ea constanti regularitate quam in ordinarii hypnotismi effectibus cernimus, dum interventus daemonis in rebus humanis non videtur a Deo permitti nisi per modum rarae exceptionis.

274. III. Etiam quando abest labes superstitionis, illicitum est aliquem in somnum hypnoticum conjicere, vel seipsum hypnotizanti tradere, sine gravi causa et debitis cautelis. Rationes sunt :

1° Per somnum illum homo fere omnino sub imperium hypnotizantis constituitur, et, quamvis non semper nefariis suggestionibus cessurus sit, magnum tamen periculum iis cedendi incurrit : plerumque enim repetitis mandatis quaelibet resistentia frangitur, potissimum ubi homo jam ad mala quae jubentur pronus est. Deinde in arbitrio hypnotizantis erit hypnotizatum turpiter tangere, ejus secreta extorquere, etc. Cfr. Coconnier, op. cit. p. 112 seqq. Plerumque etiam, qui semel se hypnotizanti tradiderunt, facillime ab eo iterum in hypnosim conjici, etiam inviti, possunt. Jamvero talis abdicatio libertatis humanae, cum tantis moralibus periculis conjuncta, licita esse nequit sine causa proportionata, ac proinde gravi (n. 14), neque sine cautelis quibus haec pericula,

quantum fieri potest, removeantur. Hae cautelae potissimum in eo erunt quod fidus testis, durante hypnosi, adstet, hypnotizans autem integerrimae sit probitatis.

2° Multiplicibus periculis exponitur sanitas ubi *imprudenter* vel *ab imperitis* inducitur hypnosis, praecipue si quis occulto morbo laborat : quare is qui medicinae imperitus, et sine medici consilio, alium hypnotizat, vel se hypnotizanti tradit, alienam vel propriam sanitatem in grave discrimen inducit.

Utrum inductio in hypnosim sine causa sufficiente, vel neglectis cautelis pro moribus et sanitate requisitis, grave an leve peccatum constituat, in singulis casibus definiendum erit e majore vel minore periculo damnorum moralium vel physicorum quae ex hypnosi timenda videantur.(1)

275. IV. Vitatis conatibus superstitiosis, et adhibitis cautelis supra explicatis, licet seipsum ob gravem causam hypnotizanti tradere. Etenim his cautelis, ut peritissimi medici testantur, quodlibet periculum pro sanitate removeri potest (Coconnier, op. cit. p. 284); e praesentia testis et probitate hypnotizantis removeri potest etiam quodlibet periculum pro moribus. Nihil ergo manet quod moralem difficultatem faciat, nisi privatio usus rationis et aliquale periculum ne quis postea invitus iterum in hypnosim conjiciatur (quod tamen non est semper in potestate hypnotizantis). Jamvero haec valde restricta abdicatio propriae libertatis non videtur notabiliter major quam quae fit ab aegroto qui ope chloroformii, etc. in somnum conjicitur : quod ob gravem causam licere diximus. (n. 185)

Ut liceat alterum in hypnosim conjicere, praeter has conditiones requiritur ejusdem consensus : nemo enim invitus, etiam ad tempus, usu suae rationis et libertatis privari potest. (2)

Graves causae ob quas licite hypnotismus adhibeatur, sunt praesertim duae : curatio morborum quibus sanandis desit aliud medium prorsus innocuum, et progressus quarumdam scientiarum, puta medicinae vel psychologiae, his experimentis obtinendus. Praeterea censemus hypnotismum licite adhiberi ad tollendas, vel saltem minuendas, quasdam malas propensiones quae, ob vehementiam suam, libertatem tollunt vel

(1) Sapienter lex Belgica (30 Maii 1892) poenis severis afficit eos qui personam hypnotizatam in *spectaculum* dederint, vel qui, cum nec medici sint, nec specialem licentiam a gubernio obtinuerint, hypnotizaverint personas viginti annis minores vel amentes.— De effectibus physiologicis hypnotismi videsis periodicum : *Revue des Questions scientifiques* (ann. 1889 et 1890), *Études sur le magnétisme animal, par le Dr Masoin.*

(2) Plerumque iterum inviti in hypnosim conjici possunt ii qui jam semel ab eodem hypnotizante in somnum conjecti sunt, vel qui extraordinaria sensibilitate praediti sunt; reliqui plerumque cogi non poterunt, modo nolint se subdere magnetizantis tentaminibus. (Coconnier, op. cit. p. 73 seq.)

extenuant, puta propensionem ad suicidium, ad liquores inebriantes, etc. Etenim ita non usus libertatis humanae, sed tantum *aliquod determinatum obstaculum* recto ejusdem exercitio officiens, tollitur, et quidem libere : siquidem supponimus hominem sponte se tradere hypnotizanti ut bonum hunc effectum obtineat. Ceterum per suggestiones hypnoticas libertatem ad malum omnino et perpetuo tollere tum reapse impossibile est, tum Dei ordinationi repugnat.

CAPUT III.

DE VITIIS OPPOSITIS RELIGIONI PER DEFECTUM.

§ 1. DE TENTATIONE DEI.

276. NOTIONES. Tentatio Dei est dictum vel factum quo quis experimentum sumit de Deo, ut videat num sit potens, sapiens, misericors aut aliquam aliam perfectionem habeat.

Distinguitur duplex : *formalis* seu expressa et *virtualis* seu interpretativa.

Formalis fit quando aliquis quidpiam a Deo postulat vel facit cum intentione explorandi Dei scientiam, potestatem, voluntatem, etc. (2. 2. q. 97. a. 1). Suarez (de Relig. tr. 3. l. 1. c. 2. n. 14) aliique eidem accensent dictum vel factum quo aliquis indebite et irrationabiliter explorat divinam voluntatem circa aliquid futurum : unde abest ab hujusmodi tentatione illa ignorantia vel dubitatio de perfectione divina quam S. Thomas ponit necessario inesse huic peccato.

Virtualis fit ab eo qui " etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem vel bonitatem vel cognitionem. „ (S. Th. l. c.) Ut autem habeatur interpretativa tentatio Dei, semper necessarium est ut, saltem desiderio et intentione, auxilium divinum imploretur. Ideo nulla habetur tentatio Dei quando nihil a Deo exspectatur, quod dupliciter contingit : 1° quando aliquis se committit discrimini, quia illud vult, puta denegando medicinas quo citius moriatur, vel incundo duellum, sine ulla falsa persuasione qua olim specialis interventus Dei in favorem innocentis exspectabatur; 2° quando effectus, ex imprudentia vel stoliditate, contra omnem probabilitatem exspectatur, ut fit quandoque ab aegrotis qui medicum et medicinas omnes respuunt.

In adeundis hac mente periculis poterit peccari contra quintum Decalogi praeceptum, non autem contra religionem. (Ball. P. n. 117)

277. ASSERTA. I. Tentatio Dei formalis, quando includit dubitationem de perfectionibus divinis, gravi peccato infidelitatis addit grave peccatum contra religionem.

Nam gravem irreverentiam Deo irrogat qui ab Eo petit ut probet suam omnipotentiam, bonitatem, etc. quasi esset ludio quidam. Ad irreligiositatem autem pertinet quod, ex incertitudine fidei, homo aliqua faciat, quae ad divinam irreverentiam pertinent. (S. Th. l. c. a. 3. ad 1)

II. Tentatio Dei formalis (sensu Suarezii), in qua non dubitatur de divinis perfectionibus, minus quidem culpabilis est, cum non supponat infidelitatem; constituit tamen et ipsa peccatum ex genere suo mortale contra religionem.

Nam gravem irreverentiam Deo irrogat qui indebite et irrationabiliter vult nosse in aliquo voluntatem Dei et, ad illam explorandam, aliquid a Deo petit. Vult enim ut Deus sua potentia aliquid mirabile et extraordinarium operetur solum ad illum vanum finem : quod est valde alienum a sapientia et prudentia Dei. Petit ergo a Deo aliquid quod esset indecentissimum infinitae Majestati : ut nempe potentiam suam exserat ad rem inutilem docendam. (Suar. l. c. n. 16)

278. III. Tentatio Dei interpretativa, cui nullum subsit dubium de perfectionibus divinis, est quidem ex genere suo mortalis; attamen plerumque est tantum veniale peccatum ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem vel parvitatem periculi cui aliquis se exponit.

Non apparet enim gravis irreverentia erga Deum in eo qui se alicui leviori periculo committit, exspectans speciale auxilium divinum praeter ordinem a Providentia Dei statutum. Attamen grave peccatum committitur ab eo qui se vel alium magno periculo exponat, temere exspectans miraculum quo liberetur. Adversatur hoc peccatum etiam religioni, quia, saltem virtualiter, divinum auxilium imploratur, sed imprudenter et contra beneplacitum Dei. (Suar. l. c. c. 3. n. 5)

Nullum autem est peccatum si speciale auxilium Dei imploratur ubi justa est causa, ex. gr. Dei instinctus, necessitas vel pia utilitas : sic enim jam non tentatur Deus. Quandoque etiam tentatio Dei mere materialis est, scilicet ubi aliquis ex errore et perperam intellecta fiducia existimat speciale auxilium divinum peti vel exspectari posse.

Hinc miraculum a Deo petere licet, quoties adest utilitas gravis ad nostram aliorumve salutem vel divinam voluntatem implendam. Offerre

autem absolute miraculum ad conversionem haereticorum, non licet, cum sufficiant nostrae fidei testimonia. (S. Alph. n. 31)

Controvertitur inter AA. num tentatio Dei interpretativa specie differat ab expressa. (S. Alph. n. 32) Practice discrimen erit in confessione explicandum, propter peccatum grave infidelitatis, quod in formali tantum reperitur.

§ 2. DE SACRILEGIO.

279. I. Sacrilegium, *lato sensu*, est quodlibet peccatum contra virtutem religionis, ex. gr. perjurium, blasphemia; *sensu stricto*, quatenus speciale peccatum constituit, definitur : violatio rei sacrae. (2. 2. q. 99. a. 1) In hac autem definitione *res* sumitur sensu maxime indeterminato, quo complectitur etiam personas et loca, seu quidquid ad divinum cultum ordinatur.

Malitia specialis hujus peccati contra virtutem religionis in eo est quod res sacra violatur per aliquam irreverentiam. Scilicet " ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum; et sic ei quaedam reverentia debetur, quae refertur in Deum. Et ideo omne illud quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet et habet sacrilegii rationem. „ (S. Th. l. c.)

II. Distinguuntur tres sacrilegii species, nempe *personalis*, *localis* et *realis*, prout irreverentia irrogatur personae, loco, vel rei sacrae. Rationem assignat S. Th. (l. c. a. 3), quod " debetur reverentia rei sacrae ratione sanctitatis. Et ideo, secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est quod sacrilegii species distinguantur. Tanto enim sacrilegium est gravius quanto res sacra in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem. „ Hanc divisionem, tamquam sacris canonibus omnino conformem, recipiunt etiam ii qui, ut Suarez (de Rel. tr. 3. l. 3. c. 1. n. 7 seq.), de theoretica ejus probatione dubitant.

Juxta S. Th. (l. c. ad 2) hae tres species sunt *infimae*, ita ut jam non sit ulterius distinguendum, ex. gr. inter sacrilegia personalia. Hoc etiam S. Alph. (n. 34) contra Suar. (l. c. n. 8) aliosque probabilius opinatur. Ceterum practice poenitentes, declarando peccatum commissum, ex. gr. utrum personam sacram violaverint percutiendo an fornicando, rationem sacrilegii plene pandent.

280. III. **Personale sacrilegium** committitur praesertim triplici ratione : inferendo manus violentas in personas ecclesiasticas, has contra

vigentium canonum praescripta subjiciendo tribunalibus civilibus, luxuriose violando personam Deo per votum castitatis sacratam. Sacrilegia autem non sunt reliqua peccata quae contra personam sacram fiunt, puta calumniae contra sacerdotem ; similiter nec reliqua peccata quae ab ipsa persona sacra committantur. Haec enim non repugnant directe personae quatenus sacra est.

De duabus prioribus rationibus agetur Vol. II. nn. 590 et 594.Hic ergo tantum de tertia breviter dicendum, scilicet :

1° Peccatum sacrilegii committitur tum a persona sacra luxuriae indulgente, tum a complice. Ideo si ambae essent sacrae, haec circumstantia in confessione omnino manifestanda foret.

2° Controvertitur quaenam personae relate ad hanc violationem dicendae sint sacrae. Probabilius opinamur eas tantum quae vel ordinem sacrum suscepere, vel per votum castitatis, etiam simplex, vere religiosae factae sunt. Nam, ut aliquis fiat persona sacra, non sufficit quodlibet votum privatum, sed requiritur ut per Ecclesiam ad cultum divinum deputetur. Haec videtur etiam S. Th. doctrina. Cfr. verba citata n. 279, I. Manifestum tamen est violationem personae quae voto privato castitatis ligetur, esse grave sacrilegium sensu lato, quatenus fides Deo data irreverenter frangitur. Alii autem, ut S. Alph. (l. c. n. 47), opinantur hoc esse sacrilegium proprie dictum. Cfr. Ball. P. n. 135 seqq. E probabilitate hujus posterioris sententiae sequitur non esse obligationem declarandi in confessione utrum votum castitatis violatum privatim an in ordinatione vel professione religiosa emissum sit.

Si quis autem simul religiosus et sacro ordine initiatus contra castitatem peccaret, non committeret nisi unum sacrilegium (S. Alph. n. 455), quia utrimque habetur idem votum ex eodem motivo religionis obligans. (n.163)

281. IV. Locale sacrilegium committitur quadruplici ratione : violando immunitatem ecclesiarum seu jus asyli, actionibus quibus ecclesia polluitur, furto rei quae in ecclesia reperitur et ad eam peculiariter spectat, actionibus profanis quae loci sanctitati repugnant.

De immunitate ecclesiastica agetur Vol. II. n. 598 ; de actionibus quibus ecclesia polluatur Vol. II. n. 242. Quae hic adnotabimus fere non spectant nisi ad duas posteriores sacrilegii localis rationes :

1° *Locus sacer*, seu ecclesia, in praesenti materia (seposita quaestione de immunitate), censetur ille qui auctoritate episcopi ad cultum divinum deputatus est, sive jam solemniter consecratus, sive tantum benedictione donatus sit. Comprehenduntur ergo omnes ecclesiae et sacella quae non sint *stricto sensu* privata, et coemeteria canonice fidelibus sepeliendis deputata.

2° Furtum, in ecclesia factum, probabilius non habet mortalem malitiam sacrilegii localis nisi res furto sublata, sive sacra sit, sive profana, speciali ratione ad ecclesiam pertineat, puta si ecclesiae usibus fuerit commodata vel ejusdem custodiae commissa. Atque ideo plures DD. interpretantes cap. *Quisquis* (Decr. Grat. q. 4. causa 17) : " Sacrilegium committunt auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro „ notant dici *de sacro*, non autem *in sacro*, ut indicetur aliquod vinculum speciale inter rem et ecclesiam. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 470) Ideo si quis crumenam alterius in ecclesia versantis furatur, non contrahit gravem sacrilegii malitiam, ideoque hanc circumstantiam in confessione tacere potest.

3° Omnia peccata quae in loco sacro committuntur, per se loquendo et seclusa ignorantia vel inadvertentia, aliquam sacrilegii malitiam adnexam habent. Nam adversatur reverentiae loco sacro debitae quod convertatur in locum peccandi et offendendi Deum. Haec tamen malitia plerumque levis est; gravis evadit tantum quando actiones peccaminosae speciatim legibus positivis in loco sacro fieri vetantur, ut sunt eae quibus ecclesia polluitur, vel quando natura sua gravem irreverentiam loci sanctitati inferunt, ex. gr. jumenta in ecclesia tamquam in stabulo collocare, ibidem comoedias lascivas exhibere, etc.(Lugo, l. c. n. 466 seq.)

In specie, peccata luxuriae non consummata gravem malitiam sacrilegii localis probabilius non continent, nisi conjuncta sint cum periculo pollutionis : tunc enim videntur comprehendi sub prohibitione ipsius effusionis seminis humani qua ecclesia pollui declaratur. Neque desideria turpia gravem hujusmodi malitiam involvunt, nisi ferantur in peccatum intra ecclesiam consummandum : quod perraro fiet. (Lugo, l. c. n. 464 seq.)

4° Prohibentur in ecclesia fieri saecularia judicia et parlamenta : quae tamen permitti possent, si deesset alius locus opportunus et sine strepitu fierent. (S. Alph. n. 37) Similiter mercatus in loco sacro prohibentur : quod tamen intelligendum est de casu quo locus ille ex industria negotiationi peragendae deligatur. Imo, si absque perturbatione divinorum officiorum id fiat, tolerari potest ut in coemeterio vel in ipso templo vendantur cerei et alia quae ad devotionem populi pertinent. (Laymann, l. 4. tr. 10. c. 7. n. 9) Permitti quoque possunt in ecclesiis comoediae honestae ad fovendam pietatem idoneae, exercitia litteraria vel scientifica. (Ball. P. n. 196)

282. V. Sacrilegium reale est violatio rei sacrae seu quae publica auctoritate cultui divino deputata sit. Res autem sacrae ad quadruplex genus reduci possunt (2. 2. q. 99. a. 3 ; Struggl, tr. 5. q. 6. n. 15) :

1° Sacramenta. Hinc sacrilegium committitur ab eo qui sciens volens

efficit ut invalide conficiantur, qui ea indigne ministrat vel suscipit, ut exponetur in Tr. de Sacramentis in genere. Quodsi contumeliose tractantur, accedit malitia blasphemiae, quia contemptus in ipsum Deum redundat vel prius contra Deum habetur et dein transfertur ad res divinas, ex. gr. si quis oleum sacrum contumeliose ad usum profanum adhibeat. (Lehmk. I. n. 380) Gravissimum sane est sacrilegium quod in S. Eucharistiam committitur; non constat tamen hinc oriri novam sacrilegii speciem. (n. 279, II)

2° Vasa consecrata ad usum sacramentorum, reliquiae et imagines Sanctorum, sacra Scriptura, sacrae aedes, altaria. Ut autem dijudicetur num graviter peccent qui unum ex istis, secluso contemptu, irreverenter tractent, videndum erit num gravem injuriam Deo rebusve sacris inferre merito censeantur. Id in quibusdam casibus erit manifestum; in dubiis attendatur ad intentionem agentis.

Speciatim quod ad verba S. Scripturae pertinet, grave sacrilegium erit ea adhibere ad finem graviter malum, puta ea detorquendo ad sensum impium vel obscoenum. Ubi ad meras facetias adhibentur, plerumque culpa venialis fiet; quandoque omnis irreverentia atque ideo omnis reatus abesse poterit. (Lehmk. I. n. 382)

3° Ornatus ministrorum sacrorum vel altarium, et alia quae ab Ecclesia in ordine ad usum sacrum benedicuntur. Advertendum tamen non omnia quae benedicuntur fieri res sacras, ut patet e benedictionibus *mere invocativis*, quas Ecclesia effundit in res usibus profanis destinatas, puta domos, naves. Insuper non omnia quae in ordine ad usum sacrum benedicuntur cum eodem rigore ab usibus profanis segregantur. Sic sacrilegium reale committeret qui ornamenta sacerdotalia benedicta deferret in ludo theatrali: non peccaret vero qui, secluso contemptu, ad usus profanos adhiberet incensum, candelas, ramos, aquam benedictam. (S. Alph. n. 40) Veteres canones (ex. gr. de Consecr. Dist. I. cc. 38 et 39) severe prohibebant ne res usibus sacris dicatae, ex. gr. ligna ecclesiae consecratae, altaris palla vel velum, usibus profanis addicerentur: quare illa comburi vel aliis usibus sacris adhiberi jubebant. Attamen rigor ille antiquus consuetudine mitigatus videtur. Ideo S. Alph. (n. 41) opinatur res sacras usibus profanis addici posse dummodo *totaliter* immutentur, ut si calix igne vel ferro ad communem argenti massam reducatur; non licere tamen ex veteri casula vestes profanas resarcire. Alii (Gennari, Consult. mor. can. Cons. can. 33) etiam longius progressi, censent jam posse usibus profanis addici calicem et, a fortiori, reliqua vasa quae benedictionem amiserint; vestes sacras posse ad alios usus adhiberi, dummodo prius earum forma immutetur: ecclesiae dirutae petras, ligna et reliquam materiam ad usus profanos licite vendi. Semper tamen cavendum a fidelium scandalo.

4° Bona mobilia vel immobilia ad sustentationem ministrorum ecclesiae, ad hujus fabricam aliosve usus sacros deputata : licet enim talia bona in se non sint sacra, jus tamen Ecclesiae ad ea sacrum est. (Struggl, l. c.) Quodsi res quaedam nondum transiit in Ecclesiae dominium, puta legatum nondum ab haerede solutum, sacrilegium non committitur nisi lato sensu ab eo qui eam furetur, destruat etc.

Sacrilegium reale etiam mera omissione fieri potest, et quidem grave, ex. gr. si ea quae ad sacrificium spectant, ut corporalia et similia, sint valde immunda. (S. Alph. n. 48) Raro tamen per illam negligentiam graviter peccabitur. Qui autem utitur corporali vel aliis paramentis non enormiter immundis venialiter tantum peccat, imo nullatenus, si alia haberi non possint. (S. Alph. l. 6. n. 376)

N. B. Feminae et laici prohibentur quominus nuda manu tangant calices, patenas, aras, etc. chrismate delibuta. Hoc tamen, si causa rationabilis adest, licet ; sine tali causa, alii contra alios id culpa veniali non vacare putant ; certe, secluso contemptu, non est mortale. Id etiam per privilegium conceditur regularibus et monialibus sacristis. Idem consuetudine extensum est ad minus stricte dictos religiosos vel moniales, qui, ex officio sacristae, causam rationabilem tangendi vasa sacra habent. (Gasp. de Euch. n. 757) Omnibus autem licet tangere ea quae non tangunt immediate S. Eucharistiam, nec chrismate inunguntur, ut vestes sacerdotales, reliquias ; item corporalia, pallas et purificatoria, saltem quando post usum sacrum lota sunt, imo etiam, piurium sententia, antequam laventur. (S. Alph. n. 48)

§ 3. DE SIMONIA.

283. DEFINITIO. Simonia communiter cum S. Th. (2. 2. q. 100. a. 1) definitur : studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.

Verba *studiosa voluntas* non tantum indicant voluntatis deliberationem (quae in omni peccato formali requiritur), sed intentionem unius partis obligandi alteram ad dandam rem spiritualem vel temporalem. Ad simoniam ergo requiritur et sufficit venditio virtualis et voluntas, etiam interna, emendi aut vendendi spirituale pro temporali : unde eam committit qui dat temporale pro spirituali, non praecise tamquam pretium, sed tamquam motivum ut alter det spirituale ita dispositus ut non daret si sciret alterum non esse hoc spirituale tributurum. Simoniacus vero non est qui dat temporale, tantum cum spe ut alter ex gratitudine sibi spirituale reddat : non enim venduntur ea quae ex mera gratitudine conferuntur. (Ball. P. n. 219 seq.)

Temporale pretium seu munus potest esse multiplex. Distingui solent ex can. 114. Caus. 1. q. 1 : munus ab obsequio, munus a manu, munus a lingua. *Munus ab obsequio* est subjectio indebite impensa, puta per famulatum, institutionem doctrinalem, curam impensam ex. gr. ei quem vis obligare ad beneficium tibi conferendum. *Munus a manu* est pecunia vel quidquid emi vel vendi solet, ut libri, monilia, etc. *Munus a lingua* est favor, commendatio, defensio, etc. quae pretio sunt aestimabilia, ut si quis alteri dat beneficium cum pacto expresso vel tacito quod se principi commendet ut collator ab isto officium aliquod temporale obtineat.

Spirituale intelligitur " res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut gratia et dona Spiritus Sancti (ut in casu Simonis magi, a quo id peccatum nomen duxit) ; sive causaliter, ut sunt sacramenta, concio, preces et sacramentalia ; sive sit effectus et usus potestatis supernaturalis, ut consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, praesentatio, confirmatio, collatio beneficii aliique actus jurisdictionis ecclesiasticae. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 49)

Spirituali adnexum additur " ad comprehendendum ea quae non sunt per se spiritualia, sed ad ea ordinantur iisque sunt adnexa, sive antecedenter, ut jus patronatus respectu beneficii, vasa et vestes sacrae respectu sacramentorum ; sive concomitanter, ut labor in administratione sacramentorum ; sive consequenter, ut reditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale. „ (Bus. l. c.)

Ex his patet simoniam esse speciem quamdam, certo tamen distinctam, sacrilegii realis : nam malitia ejus in eo apparet quod, rem sacram cum pretio temporali aequiparando, injuriam infert ejus dignitati, qua temporalia omnia superat.

284. DIVISIO. Simonia dividitur praecipue :

1° In simoniam *juris divini* et simoniam *juris ecclesiastici*. Simonia juris divini seu naturalis, ea est cui proprie convenit definitio supra data ; simonia vero juris ecclesiastici ea est qua una res spiritualis, aut spirituali adnexa, datur pro alia spirituali aut huic adnexa, ex. gr. in permutatione beneficiorum propria auctoritate facta : imo etiam talis simonia quandoque committitur, cum res in se temporalis datur pro pretio temporali, ex. gr. vendendo officium sacristae.

Discrimen magnum inter utramque illam simoniam viget. Prior enim mala est ipsa rerum natura (n. 283) ; posterior tantum ob Ecclesiae prohibitionem, ideoque iisdem modis cessare potest ac quaevis lex mere ecclesiastica. Probabilius tamen haec etiam veram simoniam continet. Nam in Ecclesiae potestate est efficere ut positio vel omissio actus indifferentis quem sub motivo alicujus virtutis, puta religionis, praecipit vel

directivae seu instructiones doctrinales, quae non magis obligant quam doctrina in qua fundantur, puta quae continentur sub titulo: De defectibus etc. (Suar. disp. 85. sect. 1)

Probatur haec sententia imprimis e Bulla Pii V missali praefixa: " In virtute sanctae obedientiae praecipientes ut, ceteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis missalibus... penitus omissis... Missam juxta ritum, modum ac normam, quae per missale hoc a Nobis nunc traduntur, decantent ac legant. „ Unde patet praecepto rigoroso non tantum vetari aliorum missalium usum (nisi peculiari privilegio id indultum sit), sed etiam positive imponi conformitatem cum ratione celebrandi in hoc missali descripta. At pro rubricis ante vel post Missam servandis non habetur tam strictum praeceptum ; imo, cum eas silentio praetermiserit S. Pius V eo loco quo pronum erat eas commemorare, censendus est noluisse eas omnes stricto praecepto imponere.

Nec propterea tales rubricae uniuscujusque sacerdotis genio permittuntur, sicut neque in Ordinibus religiosis regulae mere directivae in cujusque religiosi arbitrio ponuntur. Nam Ecclesia merito aestimare potuit pro regulis minoris momenti sufficere Superiorum vigilantiam et bonam sacerdotum voluntatem ad observandas rubricas quas practice raro negligere possunt sine peccato levi, nisi causa rationabili excusentur. Nihil ergo nos cogit ut cum quibusdam recentioribus, praesertim Rubricistis (ut Coppin, Sacrae Lit. Compend. n. 6 seqq.) omnes omnino rubricas tamquam praeceptivas habeamus.

Idem consequenter dicendum de S. C. R. decretis, quibus rubricae missalis authentice declarantur. Haec erunt praeceptiva vel mere directiva, prout rubricas intra Missam servandas vel reliquas afficiunt, nisi in his posterioribus amplior obligatio e subjecta materia vel verbis adhibitis colligatur.

251. II. Consuetudine abrogari nequeunt rubricae missalis in rebus majoris momenti, ne uniformitas substantialis in divini sacrificii liturgia pessumdetur.

Imo multi Rubricistae (Coppin, op. cit. n. 21 seq.) contendunt omnem consuetudinem contra quaslibet rubricas esse ab Ecclesia reprobatam, ideoque nullius valoris. Sed, ne praxim timoratorum sacerdotum vel ipsorum Praesulum condemnemus, omnino admittendum arbitramur : quasdam minoris momenti rubricas in desuetudinem abire posse. Sic ipsa S. C. R. interrogata : " Utrum possit servari consuetudo non accendendi tertium cereum in Missis privatis a consecratione ad communionem, quamvis commode fieri possit ? Item quod tobaleae altaris usque ad terram a lateribus non pertingant ? „ respondit 30 Dec. 1881 : " Ad utrumque servetur consuetudo. „ Consuetudines vero quae

cultum divinum dedeceant, unice tolerari possunt ad majora mala vitanda : quae raro timenda sunt in rebus quae unice ad clerum spectant, crebrius in iis quae a populo fiunt vel animadvertuntur.

III. Aegre determinatur quaenam sit materia gravis vel levis in **omittendis Missae partibus.** Duplex regula cum S. Alph. (n. 404 seqq.) tenenda videtur :

1° Facile fit grave peccatum ubi omittitur aliqua pars Missae *ordinaria*, seu quae semper praescribitur, puta confessio quae fit ad pedem altaris, epistola, collectae principales, fractio hostiae, illius mixtio cum sanguine. Haec severius applicanda sunt canoni Missae, utpote cum essentia sacrificii magis intime connexo. Quare communiter censetur mortale omittere quamlibet canonis orationem, vel ejus verba ita mutare ut sensus varietur, etc. Id tamen ad ultimos usque apices determinari nequit, ut patet ex ipso dissensu AA. qui illud tentarunt. Sic, ut graviter peccetur omittendo nomina Sanctorum in canone, alii requirunt ut omittantur duo nomina, alii tria vel quatuor, alii octo vel decem. Cfr. S. Alph. n. 405. Nec multum ad praxim faciunt illae minutiores omissionis gravis vel levis determinationes : siquidem nemo solet directa voluntate praetermittere Missae partem ; si qui vero quasdam omittunt ob negligentiam culpabilem, eorum reatus dijudicandus est e causa generali omissionum et mutationum quam culpabiliter ponunt, non autem ex omissionibus quae reapse contigerunt. Cfr. Vol. I. n. 20.

2° In partibus *extraordinariis*, seu quae non in qualibet Missa dicuntur, veniale est singulas omittere, utpote minus arcte cum sacrificio connexas, puta Gloria, Credo, sequentiam, collectas quae non sunt propriae Missae legendae, specialia quibusdam festis in praefatione vel canone. Si tamen plures simul partes omitterentur, gravis materia attingi posset. (S. Alph. n. 409)

252. IV. Sacerdos qui ob aegritudinem similemve causam ineptus esset omnibus rubricis servandis, posset tamen celebrare, saltem privatim, si quaedam tantum minoris momenti omittere vel mutare deberet, puta si nequiret hostiam elevare, si necesse esset niti baculo vel utroque brachio super altare posito. Imo posset celebrare publice dummodo populus rationem hujus exceptionis edoceretur. (S. Alph. n. 402) Attamen, si res magis extraordinaria foret, puta si nequiret celebrare nisi sedendo, si ab altero sacerdote fulciendus esset, etc., dispensatio a S. Sede vel, pro casu transeunte, ab episcopo petenda esset.

V. Regulariter nihil licet **addere** iis quae, e rubricarum praescripto, in singulis Missis dicenda vel facienda sunt. Nam S. Pius V (l. c.) vetat

quod nondum ulla obligatio ex justitia adstringit. Exemplum habes in sacerdote qui libere obligationem suscipit Sacrum cantandi, vel hora importuna locove distanti celebrandi, assistendi aegroto cum periculo infectionis vel notabili negotiorum suorum incommodo, etc. Parochus vero (excepto casu consuetudinis legitimae) nihil exigere potest ut S.Viaticum ad aegrotum longe distantem deferat.

Si compensatio laboris extrinseci justo major exigitur, vel si, absque ulla externa ratione, augetur pretium lege aut consuetudine taxatum, plerique (Ball. P. n. 282) universe affirmant veram simoniam committi. Ratio eorum est quod, cum deficiat justus titulus laboris extrinseci vel sustentationis, excessus jam ut pretium ministerii sacri exigitur.Quidam tamen, ut Gury (I. n. 292) et aliquatenus Lehmkuhl (I. n. 390), simoniam proprie dictam,seclusa mente vendendi spirituale pro temporali, adesse negant : quia, cum adsit titulus exigendi remunerationem, non habetur necessario comparatio spiritualis cum temporali. Certe, taxam dioecesanam excedendo, clericus peccaret contra justitiam et obedientiam : siquidem auctoritas ecclesiastica jus habet determinandi justum stipendium, fere sicut Status potest determinare pretium legale mercium (n. 632) ; imo et in foro externo tamquam simoniacus plecti posset.

288. IV. Simoniam committeret qui daret vel acciperet pretium pro absolutione a peccatis vel censuris,pro dispensatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, etc. ut per se patet. Attamen saepe in talibus dispensationibus quaedam solvi jubentur ob varios titulos, puta per modum mulctae ad piam causam applicandae, per modum commutationis ex. gr. voti in eleemosynam. (S. Alph. n. 96)

V. Simoniam non committunt :

1° Qui functiones sacras obeunt *principaliter* intuitu stipendii adnexi, ex.gr.se conferentes ad assistendum exsequiis propter pinguem mercedem. Nam, quamvis in hac re aliquis inordinatus affectus subesse queat, per se licet intendere quod licite exigitur. Supponimus hic mercedem intendi tamquam medium sustentationis, non mente simoniaca. (S. Alph. n. 55)

2° Qui pro stipendio tradunt doctrinam, puta catechesim aut theologiam, vel consilia quae non unice ordinantur ad bonum spirituale audientium, sed simul ad aliquam temporalem eorum utilitatem, puta instructionem, scientiam, commodum, honorem, etc. Quodsi unice ad utilitatem spiritualem audientium tenderent haec institutio vel consilia, non liceret aliquid exigere nisi ratione sustentationis, ut supra (II) explicatum est. (S. Alph. n. 94)

3° Qui dant pecuniam aliamve rem temporalem unice ut se ab injusta

vexatione liberent : nam sic temporale non datur pro re spirituali acquirenda, sed tantum ad removendam pravam alterius voluntatem et injustam denegationem rei spiritualis. Hinc liceret dare pecuniam sacerdoti qui aliter nollet administrare sacramenta, quotiescumque aliquis non posset, sine gravi incommodo, aliquo sacramento carere, puta ad implendum praeceptum Paschale : sic enim jam habetur ratio sufficiens ad permittendum sacerdotis peccatum. (S. Alph. n. 104) Idem quoque valet in materia beneficiorum ecclesiasticorum : in qua, ut dignoscatur utrum redimens injustam vexationem simoniam committat necne, inspiciendum est utrum per rem temporalem viam sibi sternat ad acquirendum jus spirituale, quod nondum possidebat, an tantum servet jus sibi jam quaesitum. (2. 2. q. 100. a. 2. ad 5) Ideo a simonia immunis esset qui pecuniam daret alii ut desisteret a calumniis quibus eum apud beneficii collatorem vexaret ; simoniacus foret qui ipsi collatori munera daret ne injuste denegaret beneficium digniori. (Ball. P. n. 289 seqq.)

4° Qui pecuniam dat homini impio detinenti reliquias aliasve res sacras easque profanaturo nisi ab hac injusta vexatione redimantur. Sic enim pretium temporale non datur pro re sacra, sed unice ad injustam impii hominis vexationem impediendam. Attamen, ex decreto S. C. Reliq. et Ind. 21 Dec. 1878 (Coll. P. F. n. 1917), illicitum est reliquias, quas homines impii venales exponunt, sponte redimere, sed monendus est Ordinarius ut secundum ejus directionem agatur. Hanc tamen positivam prohibitionem cessare censemus, si periculum sit in mora, puta propter imminentem profanationem. (Ball. P. n. 299) Etenim in hoc casu non esset aliud medium obtinendi finem praecipuum hujus decreti, vid. reliquiarum recuperationem.

5° Qui aliquid temporale alteri dat ut is rem spiritualem in sui ipsius commodum praestet, ex. gr. dotem puellae si ingrediatur monasterium, munera adolescenti si frequentet sacramenta. Hujusmodi enim dona vel promissiones fieri solent sine animo imponendi alteri strictam obligationem praestandi rem spiritualem, et sic nihil aliud sunt quam donatio liberalis ad inclinandam alterius voluntatem in rem eidem profuturam. (Suar. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 16. n. 14) Quodsi donans intenderet imponere alteri strictam obligationem, ex. gr. ingrediendi religionem, suscipiendi sacramentum, plerique id simoniacum reputant (Suar. l. c. n. 17 seqq ; S. Alph. n. 59), quia quodammodo emitur alterius voluntas ut is faciat quod gratum est danti pecuniam, munera, etc. Alii tamen, ut Lessius (de Just. et. J. l. 2. c. 35. n. 66) et Sanchez (de Matr. disp. 39. n. 4 seqq.), id probabiliter negant, quia pro temporali non obligo illum ut mihi vel alteri aliquid spirituale tradat, sed tantum ut sibi consulat, eadem ratione qua Deus mandata servantibus praemia promittit. Profecto cavendum est ne munera illa tanta sint ut alter jam principali-

ter, propter illa, rem spiritualem praestet cum periculo fictionis vel inconstantiae.

6° Qui vendit vasa sacra pro valore materiae qua constant, villam cui adnexum est jus patronatus, et similia in quibus temporale praecedit spirituale et quae propterea independenter ab isto vendi potest. At manifeste simoniacus foret qui pretium propter spirituale adnexum augeret. (2. 2. q. 100. a. 4; S. Alph. n. 72)

289. VI. Simonia juris tantum ecclesiastici committitur *praecipue* hisce modis (Struggl, tr. 5. q. 6. n. 23):

1° Vendendo officia Ecclesiae extrinsece tantum ordinata ad res sacras, ex. gr. sacristae, thesaurarii ecclesiae.

2° Offerendo munera alii, ut collatori suadeat beneficium danti conferre. (Decr. Grat. caus. 1. q. 5. can. 3) Id plures ad simoniam juris divini referunt, sed, ut videtur, immerito: quia preces quae emuntur non sunt aliquid spirituale.

3° Permutando beneficium ecclesiasticum cum alio beneficio ecclesiastico, absque consensu legitimae auctoritatis.

4° Accipiendo munera, etiam sponte oblata, pro examine ad parochiam, collatione ordinum, prima tonsura vel litteris dimissoriis. (Trid. Sess. 24. de ref. c. 18 et Sess. 21. de ref. c. 1)

5° Vendendo oleum benedictum, vel rosaria, cruces, numismata, quibus adnexae sint indulgentiae. Hoc enim prohibuit Ecclesia (ex. gr. S. C. Ind. et Rel. 12 Jul. 1847; Decr. Auth. n. 344) ad removendam omnem speciem vel periculum simoniae juris divini, quae committeretur si hujusmodi res carius venderentur ob benedictionem vel indulgentias adnexas. Cfr. Vol. II. n. 408. Praeterea et aliae plures prohibitiones fieri solent Statutis Synodalibus vel Conciliorum particularium, ut omnis species simoniae vel turpis lucri a sacro ministerio, et praesertim ab administratione sacramentorum, removeatur. Sic Conc. Baltimor. III iterum reprobavit quod jam a Patribus Conc Baltimor. II fuerat proscriptum: pecuniam exigi ad fores ecclesiae Dominicis ac festis diebus ut quis ingredi possit (n. 288) vel sacerdotem intra Missarum solemnia ab altari recedere et aedem sacram circumire ut a singulis fidelibus eleemosynam petat. (n. 293)

290. VII. Res spirituales simoniace acceptae generatim non sunt restituendae. Nam nullo jure talis restitutio universe injungitur: non jure naturali, cum nihil obstiterit (ut supponitur) validae translationi; non jure positivo, cum hujusmodi generalis obligatio restituendi ante sententiam judicis non reperiatur. Adde: plura, ex. gr. sacramenta, restitui non posse. Excipiuntur tamen beneficia quorum collatio, ipso

jure et ante sententiam judicis, irrita declaratur. (Extrav. l. 5. t. 1. c. 2) Quare etiam fructus percepti eadem ratione sunt restituendi, siquidem acquiri nequeunt sine titulo. (Extrav. cit.)

VIII. Pretium temporale acceptum pro beneficio aliave re spirituali, jure naturae restituendum est ei a quo acceptum est, donec collatio secuta sit : deest enim justus titulus ad illud servandum. Cfr. dicenda de contractu turpi. (n. 583) Si vero praestita est res spiritualis, non est facienda restitutio, ante sententiam judicis, quotiescumque laesa est sola virtus religionis : restitutio enim, ex natura sua, facienda non est nisi cum laesa est justitia commutativa. (n. 511) Hac autem laesa, restitutio regulariter facienda est danti, tamquam laeso; in materia beneficiorum, idem fieri potest. (Ball. P. n. 359) Ob sententias tamen contrarias, restitutio etiam ecclesiae vel pauperibus fieri potest. Cfr. S. Alph. n. 115.

Hinc ad restitutionem non tenetur qui vendit oleum sacrum, rosaria indulgentiis ditata, officium temporale ecclesiae, etc. pretio quod commensuretur valori materiae, commodo vel honori temporali quem officium illud vel etiam res spiritualis adnexum habeat. Idem dicendum de eo qui pro functione sacra stipendium sustentationi congruum exigeret contra prohibitionem legis ecclesiasticae, vel etiam mente simoniaca. Nam in his casibus illaesa manet justitia commutativa. Contra, ad restituendum tenetur qui pretium accipit pro re mere spirituali, quae nullum temporale commodum secum affert, cum talis res non sit pretio aestimabilis seu vendibilis; qui pretium exigit pro re spirituali jam ex justitia debita, ex. gr. parochus pro instructione catechetica; qui pro labore extrinsece adnexo functionibus sacris, pretium exigit quod justam illius compensationem superet. (Ball. P. n. 354 seqq.)

SECTIO II. — DE SECUNDO PRAECEPTO.

291. Secundum Decalogi praeceptum enuntiatur his verbis : " Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. „ (Ex. XX, 7) Prohibet igitur quaecumque sanctissimo Dei nomini irreverentiam irrogant : quod praecipue contingit per blasphemiam vel defectum conditionum quae in juramentis votisque servandae sunt. Quare hic agemus de blasphemia, de juramento, de voto.

CAPUT I.

DE BLASPHEMIA.

§ 1. DE NATURA ET MALITIA BLASPHEMIAE.

292. DEFINITIO. Blasphemia est verbum maledictionis, convicii, seu contumeliae in Deum. (Suar. de Rel. tr. 3. l. 1. c. 4. n. 1)

Blasphemia igitur *proprie dicta* semper designat verbum formale, non autem aequivalens, puta per gestus, spuendo in coelum, etc. Ratio est quod, communi usu, designat vitium linguae; deinde opponitur directe laudi divinae, quae proprie verbis tantum exprimitur. Includit tamen certo verba scripta : siquidem scriptum tam expressam significationem habet quam ore prolatum, et loco illius substituitur, ut usus S. Scripturae (2 Par. XXXII, 17) et nostrorum temporum comprobat. Probabilius etiam ad sensum proprium blasphemiae pertinet verbum Deo contumeliosum quod voluntarie mente tantum pronuntiatur. (Suar. l. c. n. 2) Patet insuper graviter adversari virtuti religionis omnia facta quibus contumelia vel convicium in Deum significatur, quamvis proprie non sint blasphemiae.

293. ASSERTA. I. Grave peccatum committit non tantum qui verba blasphemiae profert, formaliter intendens contumeliam Deo inferre, sed quicumque eadem adhibet in iis circumstantiis in quibus importent diminutionem honoris Deo debiti : quod regulariter contingit quotiescumque ea significative et serio proferuntur.

Ratio prioris partis clara est; posterioris ratio desumitur ex obligatione qua unusquisque tenetur ad vitandam contumeliam quae ex ipsa significatione verborum, in iis adjunctis, in Deum resultat. Non erit tamen vera blasphemia si illa verba mere materialiter referuntur, ita ut loquens eorum significationem non faciat suam, ex. gr. confitendo peccata sua, vel si per modum joci ex animi levitate proferuntur.

Probabile autem est non vigere discrimen specificum inter malitiam blasphemiae *directae* seu in qua contumelia Dei intenditur, et *indirectae* seu in qua eadem virtualiter tantum est voluntaria. Nam a communi sensu alienum videtur quod specifice differat injuria directe volita, puta furando segetes, ab ea quae indirecte tantum volita est, puta segetes

vastando ad venationem instituendam. Verum quidem est multo majorem malitiam inesse directae quam indirectae blasphemiae; sed haec est tantum circumstantia aggravans, quae probabilius non est a poenitente exprimenda. Ideo de hoc discrimine non est quidquam a confessario interrogandum. (Ball. P. n. 19 seqq.)

II. Malitiae contra religionem quandoque accedit in blasphemia violatio etiam gravis alius virtutis, puta fidei, spei, caritatis. Quare distinguenda est, praesertim in ordine ad poenas ecclesiasticas, a blasphemia simplici, blasphemia *haereticalis*, qua veritas fide revelata negatur vel in dubium vocatur, ex. gr. " Deus est injustus, crudelis. „ Similiter distincte accusanda esset malitia gravis contra aliam virtutem, quae blasphemiae accederet, ex. gr. odium Dei in eo qui, ob infortunia sua, mala Deo ex hoc perversissimo affectu precaretur.

Ex altera autem parte, malitia contra religionem non raro penitus abest vel venialis fit, in eo qui verba blasphematoria profert ex subita ira vel alia simili passione, eo quod sensus verborum Deo contumeliosus penitus eum fugit vel (quod crebrius est) leviter tantum advertitur. Grave tamen peccatum committi posset, in hoc casu, ob voluntatem pravam qua quis consuetudinem blasphemandi emendare negligeret. Cfr. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3.

III. Committitur blasphemia quando contumelia profertur contra Sanctos vel res sacras, si haec spectantur quatenus relationem cum Deo habent. Nam " blasphemia quae fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat. „ (S. Th. l. c. a. 1. ad 2)

Controvertitur utrum blasphemiae in Sanctos specifice differant ab iis quae contra Deum proferuntur. Multi affirmant (ut Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 278 seq.), quia blasphemia contra Sanctos non solum adversatur juri peculiari quod Deus habet ad cultum latriae, sed insuper juri peculiari quod Sancti habent ad cultum duliae. Practice tamen de hoc discrimine non est indagandum. Nam et S. Alph. (l. 4. n. 132) probabilem habet sententiam oppositam " cum ii, qui blasphemant Sanctos, verius (communiter loquendo) eos injuria afficere intendant, non ob praecisam propriamque ipsorum excellentiam, sed quatenus ad Deum immediate referuntur. „

Venialem tantum irreverentiam committunt qui ex joco aliqua leviora proferunt contra Sanctos, spectatos quatenus homines hic in terris fuerunt, vocando ex. gr. per jocum SS. Crispinum et Crispinianum sutores, etc. (S. Alph. n. 125)

294. IV. Maledictio quae profertur contra creaturas ratione carentes,

iis malum optando, peccatum blasphemiae constituit tantum quando hujusmodi creaturae considerantur praecise quatenus sunt Dei opera vel ab Eo immittuntur : quod sat raro contingit. Iisdem autem maledicere secundum se consideratis, leviter tantum illicitum est, tamquam otiosum et vanum (2. 2. q. 76. a. 2) vel tamquam actus impatientiae. Si vero spectentur (in ordine) ad creaturas rationales, malum quod ipsis optatur reapse optatur homini cui prosunt, vel ab eo cui nocent removeri petitur. Ideo minime peccaret qui iis malediceret tamquam occasioni peccati vel gravis calamitatis. (Ball. P. n. 35)

Manifestum est graviter adversari caritati maledictiones quae pronuntientur contra creaturas ratione praeditas : nam aperte huic virtuti repugnat quod velimus malum proximo. Attamen peccatum istud quandoque erit veniale, vel ob parvitatem mali quod optatur, vel propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ea profert ex levi motu vel ex ludo vel ex surreptione aliqua. (S. Th. l. c. a. 3) Tandem omne peccatum abesset si servaretur ordo caritatis, prout explicatum est n. 230.

§ 2. DE PRAXI SERVANDA CUM BLASPHEMANTIBUS.

295. I. Imprimis in singulis regionibus inspiciendum quaenam inter formulas usu tritas habendae sint tamquam verae blasphemiae. In hoc autem judicio praevalere debet communis existimatio in regione recepta : nam ab hac pendebit utrum talium verborum prolatio, in iis concretis adjunctis, inferat gravem contumeliam Deo necne. Hoc igitur criterium praeponderare debet etymologiae et grammaticae, sive in affirmando, sive in negando charactere graviter injurioso alicujus formulae. Hinc :

1° Licet formula gallica (S. N. de D. vel S. D.) etymologice inspecta sensum rectum, imo et pium praestare possit, habenda est, in regionibus nostris, tamquam vera blasphemia : usus enim sensum ambiguum vocis *sacrum* ad sensum *maledicti* determinavit. Propterea non sunt audiendi qui (ut Gousset, Th. M. I. n. 460 ; Ball. P. n. 31) hanc formulam a blasphemia excusare conantur. Nam persuasio contraria est moraliter universalis, ut testantur AA. qui in Belgio scripsere. (Van der Moere, de Virtut. p. 176 seq. ; Haine, Th. Mor. t. I. de sec. Praec. Dec. n. 46 ; Waffelaert, Confessarius rite instr. ad impugnandam blasph. n. 44) Nempe qui se aperte tamquam impios gerunt his formulis uti solent ad contemptum Dei rerumque sanctarum manifestandum : quare eas eructant quoties aliquid sacri, puta sacerdos, pia imago, etc. iis occurrit. Ex hoc usu notissimo reliqui fideles in ea persuasione servantur quod hujusmodi formulae sine Dei contumelia ac proinde sine blas-

phemia proferri non possint. Profecto dolendum est has formulas, quae in se sumptae sensum innocuum habere possent, fuisse per consuetudinem ad hanc blasphematoriam significationem restrictas; optandum quoque foret quam maxime ut, si qua ratione fieri posset, populus alium sensum his locutionibus affigeret atque ita multorum peccatorum fons occluderetur. Verum id obtineri posse, etiamsi passim incitarentur fideles ut eas formulas alio sensu proferrent, non putamus. Tanta enim est, saltem in regionibus nostris, eorum multitudo qui salutarem influxum hujus institutionis non experirentur, vel voluntate aperte mala in his locutionibus sensu impio usurpandis persisterent, ut fidelis populus pergeret eas tamquam graviter Deo injuriosas habere. Adde: conatum qui fieret ad hanc sensus mutationem inducendam separari non posse a quodam contemptu et irrisione sacri magisterii, dum impii clamarent et vulgus existimaret jam licitas declarari blasphemias atque a gravi peccato immunem proclamari praxim quam sacerdotes semper qua concionibus, qua catechesi, qua sodalitiis ad evellendas blasphemias institutis, tamquam grave peccatum aggressi sint.

Attamen, cum minus universalis sit persuasio de formula S.D., non est perturbanda bona fides eorum qui eam tamquam levem culpam accusant.

2° Formula flandrica: G. verdoeme, propter eamdem universalem persuasionem, videtur habenda tamquam gravem injuriam Deo irrogans et consequenter blasphematoria. (Van der Moere et Haine, ll. cc.) Etymologice significat imprecationem contra seipsum: " Deus damnet me. „ Sed usus communis jam videtur eam accipere quasi sonaret: " Maledictus Deus! „ vel quasi Deus ironice provocaretur ad hominem damnandum. De usu illo et de inefficacia conatus qui fieret ad eum mutandum, eadem fere dicenda existimamus quae supra de formulis gallicis dicta sunt. Plerique tamen ex iis qui eam adhibere solent nullum ejus sensum distincte apprehendunt: ac proinde (nisi sint prorsus impii) tota eorum malitia in eo est quod non abstinent ab usu quem didicerunt esse graviter Deo injuriosum. Posset quandoque confessarius utiliter objicere poenitentibus primaevum hujus formulae sensum, ut ita iis incutiat horrorem verborum quibus sibi aeternam damnationem exoptent. Sed his monitis non tolletur communis persuasio de sensu blasphematorio hujus formulae: manebit ergo in ejusdem prolatione malitia indirectae blasphemiae. Insuper advertendum neminem sibi serio optare damnationem aeternam. Quare si quis negaret sensum blasphematorium hujus formulae, jam nullam sufficientem rationem haberet ob quam ejus usum existimaret graviter culpabilem. Si enim, propter defectum seriae voluntatis, a gravi excusantur maledictiones in ira prolatae contra eos qui ab homine irato amantur, multo magis idem tenendum est de aeterna maledictione sibi ipsi optata. (S. Alph. n. 142)

Formula G. doeme vel G. dome, licet, spectata etymologia, idem sonet, a plerisque ut leve peccatum habetur : quare de ea fere dicendum ut de formula S. D.

3° Quaedam formulae vulgares, etymologice sumptae, habendae essent tamquam blasphemiae haereticales. Nihilominus, cum vulgus haeresim latentem neque intendere, neque agnoscere soleat, practice vix hanc labem contrahunt. Exempla habes in formulis gallicis S. milliard de D., Mille N. de D. vel in germanica " tausend sacrament. „ Cfr. AA. supra cit. pro Belgio, et Lehmk. I. n. 371. Idem saepe dicendum de querelis eorum qui, infortunio pressi, dicunt " Deus mei oblitus est! Si esset Deus, talia mihi non contingerent ! „ Nam crebro haec meram impatientiam exprimunt, haeresis autem non advertitur.

4° Nonl sunt habendae tamquam blasphemiae formulae corruptae, ut gallicae : " Jarnidié, mordié, „ nisi formula corrupta passim in aliqua regione eodem sensu usurpari soleret ac genuina. Neque blasphemiis accensendae sunt formulae unice conflatae ad habendum sonum acriorem, ut flandricae " sakkerdomme, sakkernomdedomme. „ Imo error *particularis* alicujus personae vel loci corrigendus videtur a confessario vel parocho, cum id plerumque efficaciter fieri possit, ne peccata e conscientia erronea multiplicentur. Exemplum habes in iis qui gravem culpam censent proferre : N. de D. vel S. N.

5° Ut in casibus *dubiis* dignoscatur num poenitentes graviter deliquerint, prae oculis habendum est eximium principium quod pluries adhibet S. Th. (ex. gr. 2. 2. q. 72. a. 2. et q. 76. a. 3) : " In peccatis verborum maxime considerandum videtur ex quo affectu aliquis verba proferat. „ Id ergo investigatur vel e communi persuasione in loco vigente, vel e responso poenitentis interrogati num haec verba tamquam magnam blasphemiam spectaverit. Si quaedam contumeliosa protulerint ex. gr. in sacerdotes, videndum utrum prae oculis habuerint sacrum personarum characterem, an tantummodo (ut fit in aestu politico) earum defectus veros vel existimatos. Neque nimis urgendi qui forte in formulis, quae communiter ut graves blasphemiae habentur (1° et 2°), nullum gravem reatum deprehendunt, sed protestantur has a se sine prava intentione proferri. Sic et S. Alph. (l. 4. n. 150) de rusticis Italis sui temporis refert eos communiter gravitatem perjurii non apprehendere, et censet confessariis potius abstinendum esse ab instruendis talibus de peccato gravi, quamvis fortiter monendi sint ut deinceps desinant falsum jurare. Rationem autem addit generalem : ne peccata materialia, ob malum habitum, formalia fiant. Eadem rudibus nostratibus, formulas blasphematorias e mera consuetudine proferentibus, cum discretione applicari posse opinamur. Reapse non ita obvia et simplex est ratio ob quam ab iis formulis sub gravi abstinere debent etiam ii qui

easdem usurpant, nullatenus ad earum sensum attendentes, sed unice quaerentes formulas sonoras vel e quibus ceteri intelligant eos graviter iratos esse. (n. 293) Quare mirandum non est eam fugere multos rudes : qui proinde non peccabunt graviter dum iis formulis utuntur insulse potius quam impie, atque etiam forsan ad corripiendos atque officii sui admonendos delinquentes per modum·merae adjurationis. (n. 308)

296. II. Praecipuam difficultatem facessunt confessariis ii qui contractam blasphemandi consuetudinem emendare negligunt. Cum hujusmodi consuetudinariis haec teneantur in praxi :

1° Ne graviter urgeat confessarius poenitentem ut abstineat ab omnibus et singulis formulis quas adhibere solet, sed tantum ab iis quae, juxta superius exposita, malitiam gravem continent. De reliquis autem (si opus fuerit) prudenter instruatur poenitens eas nullam gravem malitiam continere, et suaviter inducatur ut ab iis quae nomen Dei continent, ob hujus SS^mi^ Nominis reverentiam, abstineat.

2° Qui veras blasphemias eructandi consuetudinem contraxere, generatim sub gravi urgendi sunt ut seriam voluntatem concipiant eam deponendi, utque serios conatus in hunc finem adhibeant. Nam, etiamsi (ut crebro contingit) in his formulis nihil aliud quaerant quam verba sonora quibus iram suam manifestent, tenentur per se sub gravi hanc objectivam Dei contumeliam vitare. Cfr. n. 293, I. Attende tamen ad ea quae dicta sunt ad calcem n. 295.

3° Confessarius plerumque non admodum sollicitus esse debet de *numero* blasphemiarum quas hujusmodi homines protulerint. Plerique enim eas edunt sine plena advertentia actuali : unde reatus earum potius consistit in prava voluntate servandae hujus consuetudinis, seu in emendationis negligentia, quam in singulis actibus. Quodsi, adhibita cura convenienti, nihilominus talia verba e mera consuetudinis vi protulerint, patet eos ab omni peccato, tum ratione singulorum actuum, tum ratione ipsius consuetudinis, immunes esse : nam a singulis blasphemiis abest malitia ob defectum advertentiae, a consuetudine ob conatus adhibitos. Ii autem qui consuetudini exstirpandae debitos conatus non adhibent, pro gradu negligentiae, gravis vel levis culpae arguendi sunt (n. 14. III). Poterunt insuper graviter vel leviter peccare in singulis blasphemiis quas proferunt cum plena vel semi-plena advertentia ad earum malitiam.

4° Quandonam absolutio differenda vel deneganda sit iis qui blasphemandi consuetudinem emendare negligant, patebit ex Tr. de Poenit. n. 366 seqq. Merito notat Ball. P. (n. 28) : " Difficile esse statuere, quando gravis sit culpa quoad eos qui causam utique retractant et conatum aliquem adhibent, qui tamen non semper sit intensus. „ Discrimen quo-

que faciendum inter eos qui quotidie, sui plane compotes, blasphemare solent et eos qui formulas vulgares, tantum ubi ira extra se rapiuntur, proferunt: hi enim longe facilius a gravi reatu negligentiae excusantur.

5° Suadeat confessarius iis qui blasphemare solent ut verba sonora, nihil pravi significantia, loco blasphemiarum adhibeant: hoc enim facilius obtinebitur quam ut ab omni verbo indecoro abstineant. Poterit etiam suadere, vel quandoque in poenitentiam imponere ut, quotiescumque iterum blasphemaverint, aliquam brevem orationem recitent vel parvam eleemosynam dent.

6° Omnino increpandi sunt omnes, et praesertim patres et matresfamilias, qui coram pueris adhibere solent formulas veris blasphemiis valde affines: eorum enim exemplis pueri facile ad veras blasphemias usurpandas inducuntur. Attamen, cum ista connexio non sit ita certa, non statim gravis peccati arguendi erunt.

§ 3. DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI.

297. Vana haec usurpatio in eo sita est quod nomen Dei, sine contumelia quidem, sed tamen absque debita reverentia usurpatur. Hoc contingit praesertim tripliciter: 1° Ex impatientia, ut si quis ab alio molestiam ferens, exclamat: *Mi Deus! dimitte me in pace!* 2° Ex admiratione, ut fit ab iis qui, rem inopinatam videntes vel audientes, exclamant: *Mi Deus! quid est hoc?* vel *Jesu Maria! quis hoc praevidisset?* 3° Plane otiose, ex. gr. *Mi Deus! quid vis?*

Talis usurpatio nominis Dei aliquam irreverentiam sapit, praesertim si crebra est, ideoque peccatum veniale constituit. Videtur saltem implicite prohibita iis locis S. Scripturae quae vetant ne Dei nomen in vanum usurpetur (Ex. XX, 7) vel assidue in ore habeatur (Eccli. XXIII, 10), licet ibi praecipue juramenta superflua feriantur. Ex iis autem quae de blasphemia dicta sunt (n. 293, III), liquet idem cum proportione dicendum esse de inutili et irreverenti usurpatione nominum B. M. V. vel Sanctorum.

Potest omnis irreverentia et culpa removeri si sancta illa nomina pia intentione per modum invocationis adhibentur. Gravis vero culpa, si quando in tali usurpatione adesset, potius repetenda foret e pravo affectu interno, nempe irae vel contemptus formalis in Deum; sed ipsa externa actio seu prolatio verborum venialis maneret.

Aliqui AA. (ex. gr. Voit, Th. Mor. I. n. 514) censent leviter peccare eos qui nomen diaboli colloquiis intermiscendi consuetudinem habent. Rationem tamen debilem afferunt, scil. quod sit saltem contra decentiam inimicum christiani populi tam crebro nominare. Ideo melius negatur

per se ullum peccatum in hac consuetudine reperiri. (Gury, I. n. 298) Neque, in nostris regionibus, inde timendum est scandalum, nisi talibus interjectionibus uti solerent sacerdotes vel religiosi : in iis enim haec consuetudo indecens censeretur.

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

§ 1. DE NATURA ET DIVISIONIBUS JURAMENTI.

298. I. Juramentum est invocatio Dei in testem alicujus rei. Scilicet particularia facta hominum solent confirmari per testes. Sed quandoque humanum testimonium ad hunc finem non est sufficiens, tum propter defectum veracitatis humanae, tum quia homines ignorant multa, ut futura vel cordium occulta, de quibus tamen expedit ut certitudo aliqua habeatur. Ideo recurritur ad testimonium Dei, qui nec mentiri potest nec quidquam ignorat. (2. 2. q. 89. a. 1) Adducitur autem Deus in testimonium, eo sensu quod jurans, quantum in se est, cupiat ac velit Deum id quod jurat testari et manifestare, si et quando illi placuerit, sive in hac, sive in altera vita, tamquam quod ab eo sit cognitum et verum. (S. Alph. n. 133) Hinc sequitur major certitudo rei juratae eo quod jurans, qui supponitur Deum timere, non ausus esset Deum in testem invocare et se in hac alterave vita divinae vindictae exponere nisi res vera foret.

Liquet juramentum esse actum latriae. Jurans enim invocat testimonium divinum ad confirmanda ea quae dicit, ac proinde profitetur Deum esse omniscium et infallibilem : quod sane summam reverentiam continet. (S. Th. l. c. a. 4)

II. Juramentum fieri potest, non tantum per *expressam*, sed etiam per *implicitam* Dei invocationem. Implicite autem invocatur Deus cum juratur per creaturas in quibus *speciali* ratione divina attributa elucent. Sic qui jurat per coelum intelligitur jurare per Deum qui in coelis est (Matth. V, 34); qui jurat per Evangelium intelligitur provocare ad Deum cujus veritas in Evangelio continetur (S. Th. l. c. a. 6), etc. Quaenam autem creaturae hac speciali ratione divina attributa prae se ferant, non ita liquet. De quibusdam nullum esse potest dubium : sic certo jurabit qui in testimonium appellat sacramenta, crucem, etc.; non jurabit qui

provocat ad barbam, Jovem aliosve deos antiquatos. Quandoque solutio pendebit a ratione qua in his locis temporibusque res communiter considerari soleat. Sic qui jurat *per solem* ab aliis Deum invocare (D'Annib. II. n. 23), ab aliis jocari censetur (Ball. P. n. 22) : posterior interpretatio magis cum nostris moribus congruit.

Insuper invocatio Dei in juramento fieri potest vel verbis vel actione aliqua, ut erectione digitorum, tactu Evangeliorum, vel utroque simul, ut e praxi notissimum est.

299. III. Dividitur juramentum ratione materiae in *assertorium* et *promissorium*. Assertorium est quando divinum testimonium inducitur ad asserenda praesentia vel praeterita; promissorium, quando idem inducitur ad confirmandum aliquid futurum. Ratio hujus posterioris vocabuli inde sumenda est, quod plerumque adhibetur ad confirmandam promissionem, addendo obligationi fidelitatis vel justitiae obligationem religionis; potest tamen fieri etiam sine ulla promissione, puta si quis jurat se jam numquam ludis aleatoriis participaturum esse. In promissorio juramento semper includitur assertorium : nam sic jurans imprimis Deum adducit testem *praesentis* suae intentionis se obligandi et implendi suo tempore quod promittit. (D'Annib. II. n. 25)

Ad promissorium refertur etiam illud quod quidam comminatorium vocant, ex. gr. " per Deum, te ad judicem deferam, si iterum te furantem deprehendero! „ Iisdem ergo subjacet regulis ac promissorium.

IV. Ratione modi quo Deus invocatur, dividitur juramentum in *contestatorium* et *exsecratorium* seu imprecatorium. Prius illud est quo Deus simpliciter ut testis invocatur; posterius, quo non solum ut testis, sed etiam ut vindex invocatur, cum jurans se vel alium dilectum, vel aliquid sui aut suorum subjicit Deo puniendum si falsum profert, dicendo ex. gr. " Ita me Deus amet, adjuvet; puniat me Deus, etc. „ Probabilius autem juramento exsecratorio non accedit (ut quidam autumant) peccatum speciale contra caritatem, cum falso juratur : nemo enim ex animo optat mala sibi evenire, sed potius sperat Deum haec illaturum non esse. (Bus. ap. S. Alph. n. 140)

Omnes ergo divisiones juramenti sunt ejusdem speciei moralis, cum semper tota vis actus huc redeat ut Deus in testem adducatur. Quare in confessione non erunt varia illa discrimina explicanda. (S. Alph. n. 142; Ball. P. n. 23)

300. V. Ut fiat *verum juramentum in foro conscientiae*, duo requiruntur et sufficiunt :

1° Intentio saltem virtualis Deum in testem invocandi : nam oportet

ut juramentum sit actus humanus, quatenus est non tantum locutio quaedam, sed invocatio Dei in testem.

Hinc non jurant qui verba quidem juramento apta proferunt, sed diserte jurandi intentionem excludunt, vel quidnam sit juramentum ne implicite quidem apprehendunt, ut contingere potest in rudibus. Confessarius ergo imprimis inspicere debet qua intentione verba juratoria prolata fuerint : nam ab ea plurimum pendet praeteritum peccatum vel futura obligatio. (Ball. P. n. 5)

2° Verbum vel signum quo haec intentio manifestetur. Nam, ut Deus aliis tamquam testis detur, oportet ut id ratione sensibili eis declaretur. Ita verius dicendum opinamur cum Suar. (tr. 5. l. 1. c. 13. n. 15), D'Annib. (II. n. 24) etc. Ideo non censemus, verum juramentum factum esse ab eo qui falso existimasset se jurare adhibendo formulam ineptam, puta " per fidem meam, per honorem meum, „ etc. Manifestum est hujusmodi hominem *internam* malitiam perjurii contraxisse, si tali formula ad falsitatem confirmandam usus fuerit.

Plerique tamen AA. ut Sanch. (Dec. l. 3. c. 2 n. 12), Bus. ap. S. Alph., (n. 134) etc. docent, in foro conscientiae, jurare eum qui interius habet praedictam intentionem, etiamsi nulla verba adhibeat vel utatur verbis nullo modo importantibus juramentum, sed quae juratoria esse putet. Discrimen illud forte magis est de vocabulis quam de rebus. Vix tamen concipitur quid sit juramentum pure mentale : nam si esset assertorium, non apparet quare eliceretur, cum prorsus ineptum esset ad fidem faciendam; si promissorium foret, non videtur discrepare a voto.

301. VI. Quando formulae vel signa ex seipsis vel secundum consuetudinem vigentem apta sunt ad invocationem Dei in testem, *praesumendum est* eum qui iis usus est verum juramentum elicuisse et consequenter, si id promissorium fuit, ad rem promissam obligari. Insuper tales formulas vel signa usurpare non licet sine debitis conditionibus, vel, si consuetudo ea adhibendi contracta fuit, haec prorsus derelinquenda est, fere ut dictum est supra (n. 296) de consuetudine proferendi formulas blasphematorias. Nam gravis injuria Deo irrogatur, saltem si quis (ut fere contingit) has jurandi formulas promiscue adhibet, non perpendens utrum vera confirmet an falsa. (Lehmk. I. n. 408) Cum rudibus tamen attende ad ea quae ad calcem n. 295 ex S. Alph. allata sunt.

Propter obligationes hoc asserto statutas, fuse investigare solent DD. quaenam formulae habeantur tamquam vera juramenta, quaenam ad jurandum ineptae sint et proinde, secluso scandalo, licite adhibeantur. Quaedam tantum exempla subjungemus :

1° Non censetur verum juramentum elicere qui simpliciter dicit : " Id tibi juro „, nisi id fiat in externis adjunctis, quae satis indicent jura-

mentum exspectari, puta in judicio. (S. Alph. n. 136) Ratio assignari potest quod, licet verbum *juro* per se aequivaleat hisce *invoco Deum in testem*, quae certe sensum juratorium referunt, usus tamen effecit ut in colloquiis diminuto sensu accipiatur pro vehementi affirmatione.

2° Non sunt habendae tamquam juramenta affirmationes quibus reges fidem suam principis obstringunt, viri nobiles vel militares ad honorem suum (parole d'honneur) appellant, sacerdotes testimonium suum per suam consecrationem fulciunt. Haec quidem saepe in foro externo tamquam juramento aequivalentia habentur, sed, ut ex ipsis formulis liquet, Dei invocationem, qualis a ceteris exigi solet, non continent. Diserte id de sacerdotibus declarat Jus Can. (Caus. 2. q. 5. can. 4) : " Presbyter vero, vice juramenti, per sanctam consecrationem interrogetur ; quia sacerdotes ex levi causa jurare non debent. „ (Ball. P. n. 9)

3° Formulae : " Deus novit, Deus testis est, Deus novit conscientiam meam, coram Deo loquor „ et similes, dupliciter adhiberi possunt : vel *enuntiative* tantum, ad ostendendam perfectam considerationem loquentis et ad majorem fidem dictis conciliandam, vel *invocative*, ut Deus in testem vocetur. Igitur ab intentione loquentis pendet utrum haec habenda sint tamquam juramenta necne. Quare neque gravis est obligatio exstirpandi consuetudinem talia proferendi, nisi adsit grave scandalum.

4° Communiter non sunt juramenta assertiones quibus aliquis se obnoxium facit alicui calamitati nisi res asserta vera sit, ex. gr. " Amputetur mihi caput, si mentiar. „ Solent enim dici non per modum juramenti exsecratorii, sed per modum sponsionis. (S. Alph. n. 143) Quandoque tamen ex intentione loquentis fierent vera juramenta, praesertim si quis se subjiceret poenae in qua communiter Deus tamquam peculiariter interveniens consideretur, ex. gr. : " Fulgure inteream ni vera dicam. „ Id tamen raro contingere opinamur, etiamsi quis dicat : " Diabolus me auferat nisi res ita se habet. „

5° Juramenta non videntur formulae : " per conscientiam, per conscientiam animae meae, „ quia tantum significant hominem loqui ex dictamine conscientiae et notitia veritatis. Formulam vero " per animam meam „ S. Alph. (n. 135) opinatur probabilius esse juratoriam, eo quod in anima singulariter resplendet Deus, qui propterea censetur in testem adduci. Attamen, cum haec specialis relatio animae ad Deum non soleat adverti a loquentibus (Ball. P. n. 16) et formula ipsa sensum minime juratorium habere possit, puta : " assumo in animam meam morale periculum hujus rei „ (Sanch. Dec. l. 3. c. 2. n. 29), putamus solutionem pendere ab intentione proferentis.

6° Regulariter non habetur juramentum quando res asserta comparatur veritatibus fidei, dicendo ex. gr. : " Hoc tam verum est quam Evange-

lium, tam certum quam Deus est, „ etc. Non solet enim haec veritas fidei adduci in testimonium, sed tantum asseri unum verum esse sicut et alterum. Quidam hanc comparationem blasphemiae insimularunt: sed hoc verum non est, nisi loquens (quod rarissimum erit) intenderet significare tantam esse, secundum aequalitatem, in suo dicto certitudinem, quanta sit in ea veritate fidei. (Sanch. l. 2. c. 32. n. 31)

§ 2. DE CONDITIONIBUS IN JURAMENTO REQUISITIS.

302. Tres conditiones communiter omnes AA. ad liceitatem juramenti requirunt, quae in hoc S. Scripturae effato indicantur: " Jurabis: vivit Dominus, in veritate et in judicio et in justitia. „ (Jer. IV, 2) Singulas breviter explicabimus.

I. Veritas juramenti requirit ut res asserta sit vel saltem bona fide existimetur vera.

Ad hoc autem generatim sufficit (S. Alph. n. 148) aliqua certitudo moralis seu probabilitas quae, ob defectum rationis oppositae, ad quamdam moralem certitudinem pertingat. Non liceret tamen juramento asserere quidquid licite affirmatur, ex. gr. aliquem fecisse hodie quae scis ab eo quotidie fieri solere: nam usus humanae conversationis postulat ut non tam firma certitudo requiratur ad aliquid parvi momenti simpliciter affirmandum. (Lehmk. I. n. 410) In judicio autem, ut aliquid jurejurando affirmetur, requiritur plena certitudo ad arcendum periculum nocendi; si quid cognoscitur cum probabilitate, ex. gr. e testimonio viri fide digni, licebit tantum jurare hoc haberi ut probabile vel fuisse auditum.

Defectus hujus conditionis, nisi excuset ignorantia vel defectus deliberationis, est semper grave peccatum. Nam " committitur gravis in Deum irreverentia, quippe cum adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit aut possit decipere testando falsum. Neque hic excusat levitas materiae: quia, sive haec sit gravis sive levis, seria sive jocosa, aequaliter tamen repugnat Deo testificari falsum, et tale juramentum dicitur perjurium. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 147)

Graviter quoque peccat qui ab altero exigit juramentum, sciens eum esse pejeraturum: quod tamen supponendum non est quamdiu aliquod dubium manet. Excipe, nisi justa causa et necessitas exigat: quia tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequitur, nec alter moraliter censetur illius causa, cum utatur suo jure. (n. 14) Talis autem causa praecipue habebitur in judicio, tum a judice, tum a partibus vel earum vices agentibus; extra judicium, causa praesertim occurret ubi contractus aliquis juramento firmandus est. (Ball. P. n. 45 seq.)

Quatenus liceat jurare cum restrictione mentali, commodius explicabitur ubi de octavo Decalogi praecepto, n. 417.

303. II. Judicium in juramento requirit ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, non sine necessitate aut gravi causa fiat. Attamen, juxta S. Alph. (H. Ap. tr. 5. n. 14), sufficit ut adsit causa rationabilis.

Defectus hujus conditionis non constituit nisi culpam levem : non enim videtur gravis irreverentia in Deum committi eo quod in testimonium rei nullius vel parvi momenti vocetur, dummodo serventur reliquae conditiones. Id enim fere ad vanam divini nominis usurpationem redit. (Ball. P. n. 33) Hinc, si quis consuetudinem habet multiplicandi juramenta, servat tamen duas alias conditiones, non obligatur sub gravi ad talem consuetudinem emendandam : siquidem haec non est nisi peccatorum venialium.

III. Justitia aliter intelligenda in juramento promissorio, aliter in assertorio.

In promissorio, ad quod maxime haec conditio pertinet, justitia requirit ne jurans intendat se ad aliquid illicitum obligare. Quodsi hujus juramenti objectum est graviter malum, ex. gr. aliquem occidere, exsequi quaelibet jussa ducum alicujus sectae occultae, inter omnes convenit grave peccatum contra religionem accedere promissioni de se graviter malae : nam gravem irreverentiam Deo irrogat qui se divina auctoritate ad peccatum mortale quasi obligat, implicite supponens Deo probari hanc malitiam. Si vero objectum ejusdem juramenti est tantum leviter malum, controvertitur utrum graviter an leviter religioni adversetur. Prius probabilius tenendum videtur cum S. Alph. (l. 4. n. 146) ; sed posterius multis praeplacet (cfr. Bus. ap. S. Alph. l. c.) et certe probabile est.

In assertorio, defectus justitiae non oritur ex eo quod illius objectum illicitum est, sed ex eo quod actus asserendi rem aliquam est illicitus. Jamvero regulariter talis defectus, quatenus adversatur religioni, est venialis, quia tunc Deus in testem adhibetur tantum ut alii certiores fiant de re quae vera sit (ut supponitur), sed cum peccato dicatur : quae injuria per se non est gravis. Attamen grave peccatum fieret si juramentum assumeretur tamquam instrumentum gravis peccati efficacius promovendi, puta ad firmandam gravem detractionem : nam magnam irreverentiam committit qui nomen Dei assumit ad gravem injuriam proximo faciendam. Sed probabilius leve tantum peccatum contra religionem faceret qui juramento firmaret detractionem levem vel narrationem qua se de peccato commisso jactavit. (S. Alph. n. 146 ; Lehmk. I. n. 412)

§ 3. DE OBLIGATIONE ET RELAXATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

304. I. In juramento promissorio affirmatur primario *praesens intentio* exsequendi id quod jurans se facturum esse testatur. (n. 299, III) Hinc peccat graviter qui non habet animum rem exsequendi, sive parva sit, sive magna, vel qui dubitat utrum facturus sit necne quod jurat, vel qui putat rem illam esse sibi moraliter impossibilem ita ut nullam probabilem rationem illius exsequendae cernat. (S. Alph. n. 172)

II. Illicitum est ficte jurare, i. e. sine animo jurandi vel sine animo se obligandi ex virtute religionis, ut patet e prop. 25ª ab Innoc. XI damnata : " Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis. „ Hoc autem peccatum grave constituet si ficte jurans non habet animum implendi id quod exterius promittit, vel si agitur de iis adjunctis in quibus aliquis, ob grave praeceptum Superioris vel contractum magni momenti, juramentum emittere tenetur, ut contingit praesertim in re judiciali : siquidem hic videtur gravis abusus nominis Dei et notabilis enervatio juramenti, cum hac ratione jam nemini constare possit utrum is a quo juramentum in confirmationem veritatis magni momenti postulat, reapse Deum in testimonium inducat necne. Insuper, quando abest animus implendi id quod ficte promittitur, exterior ille latriae cultus ad quem pertinet juramentum, exhibetur rei falsae, quatenus haec testimonio Dei comprobatur, quod similitudinem habet cum idololatria materiali. Ubi vero haberetur animus implendi rem quae sub juramento promittitur, neque supra dicta adjuncta adessent, communiter censent DD. peccatum tantum leve fieri. (Sanch. Dec. l. 3. c. 6. n. 8 seqq.; S. Alph. n. 172)

Idem quoque applicari potest juramento assertorio quod ficte tantum emittatur.

Patet in his casibus juramentum, defectu intentionis, nullum esse (n. 300) ideoque nullam inducere obligationem ex religione. Quandoque tamen posset dari obligatio servandi indemnem eum qui per fictum contractum et juramentum laesus fuisset. (n. 585)

305. III. Praeter illam praesentem intentionem, in omni juramento promissorio, etiam non comitante contractum, assumitur secundario *obligatio implendi suo tempore* id quod quis se exsecuturum esse declarat : patet e natura talis juramenti.

Certe igitur peccat qui, nulla justa ratione excusatus, omittit implere quod promisit. Sed in hoc defectu fidelitatis, alii vident semper grave

peccatum, alii rectius grave vel leve, pro quantitate promissionis quae negligitur. Ratio hujus benignioris sententiae, quam S. Alph. (n. 173) non minus probabilem et forte probabiliorem appellat, haec est : omissionem promissionis sincera intentione elicitae non esse mendacium, sed infidelitatem; cum ergo qui non impleat quod sincera intentione juraverit, non facere Deum testem mendacii, sed tantum infideliter agere in re promissa sub divina auctoritate. Unde, sicut in violatione voti, ita et in omissione obligationis ortae e juramento promissorio datur materiae parvitas. (Suar. de Rel. tr. 5. l. 3. c. 16)

IV. Nulla obligatio oritur e juramento quo quis promittit rem etiam leviter malam, puta donationem prodigam : quia nemo se obligare potest ad rem quam aliunde vitare debet. Quod S. Alph. (n. 176) extendit ad res quae prohibeantur lege etiam mere poenali, puta civili. Idem dicendum si quis jurat rem vanam, inutilem aut indifferentem, quae neque ex fine, neque ex circumstantiis cohonestatur : quia Deus supponi nequit nos obligare velle ad inutilia, cum lex cujus impletio ad nihil conducit, sit, propter periculum transgressionis, vere noxia. Tandem idem valet, propter similem rationem, si quid jurasti contra consilia evangelica, ut non ingredi religionem, non dare eleemosynam, etc. Attamen juramentum in favorem tertii factum, etiamsi impediat consilia evangelica, implendum est quotiescumque impleri potest sine peccato : unde clericus qui juravit se serviturum esse alicui ecclesiae, nequit religionem ingredi, absque juramenti relaxatione. (S. Alph. n. 177) Hoc autem restringendum videtur ad casum quo tertius ille, per promissionem acceptatam, jus aliquod acquisiverit. (Ball. P. n. 85) Secus enim non apparet quare bono per juramentum promisso nequeat substitui bonum majus, ut dicetur de obligatione voti, quae magnam habet cum obligatione juramenti similitudinem. (n. 330)

306. V. Juramentum promissorium eamdem habet conditionem eodemque modo explicandum est ac promissio vel propositum cui est adnexum. Ratio est, quia accessorium sequitur principale, ideoque, quando non obligat promissio, nec obligat juramentum appositum. (S. Alph. n. 180) Hinc, qui juravit se servaturum esse decreta et regulas vel statuta alicujus congregationis, universitatis vel capituli, non obligatur ad ea servanda nisi ea ratione qua eadem obligant ex seipsis. Igitur, si statuta servanda sunt sub peccato gravi vel levi, transgressor insuper grave vel leve peccatum contra religionem committet; si ad poenam tantum obligant, per se nullum peccatum ea transgrediendo patrabit. Insuper idem non tenetur propter juramentum ad servanda statuta quae jam vigere desierunt, vel propter impossibilitatem, vel eo

quod jam a majori parte communitatis non servantur : quod valet etiamsi de aliquo particulari statuto juramentum ederetur. (S. Alph. n. 181)

Hinc juramentum servandi alicujus secreti, hujus conditionem sequitur, ita ut jam non obliget quando ipsius secreti obligatio desinit. (n. 431 seq.) Si autem revelatur secretum juratum, ex. gr. quod praestatur in quibusdam coetibus circa electiones et similia, grave vel leve peccatum committitur prout ex illa revelatione grave vel leve nocumentum sequi potest. (S. Alph. n. 183)

307. VI. Obligatio juramenti cessare potest ab intrinseco, puta ob mutata adjuncta, ob causam finalem cessantem etc., vel ab extrinseco, puta per dispensationem, irritationem, commutationem, fere ut infra (n. 324 seqq.) de voto dicetur. Cum res crebrius pro voto quam pro juramento practica sit, sufficiet hic ad eum locum remittere.

Hic tantum notabimus eum qui habet facultatem seu ordinariam, seu etiam delegatam dispensandi in votis, posse etiam dispensare in juramentis sive per se stantibus, sive voto adnexis, dummodo non sit jus quaesitum tertio quo iste cedere nolit. Id omnes concedunt de eo qui habet facultatem ordinariam, ut episcopus ; de eo vero qui habet tantum delegatam, S. Alph. (n. 190) id utrimque probabiliter controverti asserit. Ipse addit omnino tenendam sententiam negativam, eo quod obligatio juramenti jam contracta, cum sit certa et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam. Sed non desunt praeclari AA., ex. gr. Suarez (de Rel. tr. 5. l. 6. c. 14. n. 6), qui asserant affirmativam esse sententiam communem et quae sine dubio possit in praxi observari ; deinde, ut et ipse S. Alph. admittit pro absolutione data cum jurisdictione probabili, Ecclesia suppleret ubi opus esset. (Ball. P. n. 109 seq.) Ratio hujus communis sententiae est : votum et juramentum soli Deo factum, propter affinitatem obligationis ex utroque oriundae, aequiparari in Jure Canonico sicut in Romano aequiparabantur.

§ 4. DE ADJURATIONE.

308. Adjuratio, prout hic consideratur, est assumptio nominis Dei vel Sanctorum ad confirmandum aliquod mandatum inferiori intimatum vel deprecationem ad parem vel inferiorem directam. Hinc patet magna similitudo quae inter adjurationem et juramentum intercedit : quam ob causam hoc loco de illa agere solent Theol. Morales cum S. Thoma. (2. 2. q. 90) Ex ipsa definitione liquet duplicem esse adjurationis speciem : *imperativam* nempe et *deprecativam*, prout fit per modum mandati vel merae sollicitationis ad aliquid faciendum vel omittendum. Clarum est

priorem speciem licite adhiberi non posse nisi cum subditis.Solet quoque distingui adjuratio in *solemnem* et *privatam*, ita ut solemnis ea tantum sit quae fiat ab Ecclesiae ministro, secundum ritum ab ea statutum, privata reliquas omnes comprehendat.

Adjuratio privata per se est licita omnibus, servatis iisdem conditionibus quas requirit juramentum, scil. (S. Alph. App. de Adjur. II) requiritur :

1° *Veritas*, qua excluditur fictio ex parte tum rei petitae, tum causae ob quam petitur. Haec fictio adesset si quid, interposito Dei nomine, peteretur absque vero animo id impetrandi vel allegato motivo falso, ex. gr. paupertatis. Hujus conditionis defectus venialis est. Omittimus (quod practicum non est) adjurationem quae serio fieret per falsi numinis invocationem. (Sanch. Dec. l. 2. c. 42. n. 5)

2° *Justitia*, qua excluditur petitio rei graviter vel leviter malae. Prior petitio certe mortalis est, de posteriore disputatur. (n. 303)

3° *Judicium*, seu debita discretio. Hujus defectus certe non est nisi venialis. Ex ipsa rerum natura patet solas creaturas rationales directe adjurari posse ; ratione carentes, tantum indirecte, adjurationem referendo sive ad Deum per modum deprecationis, sive ad daemonem, per modum compulsionis, ut cesset iis uti in nocumentum nostrum. Hoc igitur modo explicandae sunt adjurationes quae quandoque leguntur prolatae in nubes, locustas, etc. Nam, si referrentur ad ipsam irrationalem creaturam secundum se, essent actiones vanae. (S. Th. l. c. a. 3)

309. Praecipua difficultas versatur circa adjurationem solemnem daemonum quae **exorcismi** nomen accepit. Hujus formula in Rit. Rom. (Tit. X. c. 1. De exorcizandis obsessis a daemonio) continetur atque, ut e toto ejus tenore liquet, unice refertur ad expellendos daemones e personis quas obsederint : unde nonnisi improprie exorcismi vocantur orationes et pii ritus qui quandoque adhibentur contra daemonem ut cesset nocere hominibus vel pecoribus in quodam loco (1). Qua ratione et prudentia exorcismi adhibendi sint sapienter in Rituali describitur. Hic breviter quaedam tantum attingemus praesertim de illius formulae usu. Nempe :

1° Nulla exstat lex universalis quae prohibeat sacerdotes quominus exorcismos, juxta Ritualis regulas, instituant. Sed certe fas est episcopis decernere ne ullus sacerdos, etiam regularis, id agat, vel publice vel pri-

(1) Cfr. in Appendice Ritualis Exorcismum in Satanam et Angelos apostaticos, jussu Leonis XIII editum et ab eodem Pontifice indulgentiis ditatum in gratiam Episcoporum et Sacerdotum ab Ordinariis suis legitime ad id auctoritatem habentium, qui illum devote recitaverint.

vatim, absque expressa Ordinarii licentia, ut liquet e Const. Bened. XIV *Magno cum animi* § 34. (2 jun. 1751) Talem autem prohibitionem episcopi permulti tulere (Aichner, Comp. Juris. eccl. § 117) : quae, cum res sit magni momenti, sub gravi obligat.

2° Etsi, ob evidentia SS. Evangeliorum testimonia, universe daemoniacas obsessiones seu possessiones meris illusionibus tribuere non licet, tamen certum est eas minus crebro contingere quam antiquiores AA. aestimabant. Perfectior enim morborum, eorum praesertim qui in nervis sedem habent, cognitio ostendit causis mere naturalibus adscribenda esse multa miranda phaenomena quae perperam daemoni tribuebantur. Sapienter jam Rit. Rom. (l. c.) monebat ne facile crederetur aliquem a daemone obsessum esse, neve morbus naturalis pro possessione haberetur; enumeratis autem obsessionis signis, ex. gr. ignota lingua loqui pluribus verbis, distantia et occulta patefacere, innuit haec minime esse apodictica, siquidem addit : " Quae, cum plurima concurrunt, majora sunt indicia. „ Idem quoque inculcant plures Theologi, dum signa possessionis certa vel dubia fuse explicant. Videsis Thyraeum : De obsessis a spiritibus daemoniorum hominibus cc. 22 seqq. (1)

3° Si quando casus dubius occurreret, expediret in subsidium adhibere aliquem medicum peritum et probe catholicum, qui non rejiceret ipsius possessionis possibilitatem, sed prudenter investigaret num haec quae cernerentur mira phaenomena ab aliquo noto morbo provenirent, praesertim ab hysteria vel daemonomania. Horum morborum singulares effectus videsis apud D. von Olfers. (Pastoralmedicin, p. 130 seqq.) Etiam ubi effectus prima fronte supernaturales apparent, ut lingua ignota loqui, occulta detegere, valde cavendum a fraude vel illusione. Cfr. dicta de Hypnotismo n. 273. Verum quidem est ad licite exercendos exorcismos, saltem cum episcopi licentia, sufficere probabilitatem de possessione. Sed quominus cum mera probabilitate procedatur, saepe obstabit tum scandalum quod hodie facilius enasci solet ob impiorum irrisiones, tum ipsius exorcizandi salus, cui exorcizatio, praesertim crebrior, plurimum nocere poterit si reapse morbo tantum naturali laborat.

(1) Rituale Romanum, ut e toto exorcismorum tenore patet, perinde ac veteres Theologi (Thyraeus, op. cit. c. 2) *obsessionem* eodem sensu ac *possessionem* adhibet, nempe ad designandam conditionem hominis qui non tantum a daemone vexetur, sed in quo praeterea daemon sit intime praesens, tamquam motor in mobili. Quidam recentes, ex. gr. Surbled (*La vie psycho-sensible*, c. 7), per obsessos intelligunt eos qui molestias etiam exteriores a daemone patiuntur, quamvis daemon in iis sedem non posuerit, ut contigit S. Antonio.

CAPUT III.

DE VOTO.

§ 1. DE VOTI NATURA ET DIVISIONE.

310. DEFINITIO. Votum est promissio deliberate facta Deo de bono possibili et meliori. Videlicet :

1° Ad votum non sufficit nudum propositum voluntatis, sed " tria ex necessitate requiruntur : primo quidem deliberatio; secundo, propositum voluntatis ; tertio, promissio in qua perficitur ratio voti. „ (2. 2. q. 88. a. 1) Habetur ergo, quoad ista, paritas cum promissione quae homini fiat ; discrimen autem est quod ad promittendum homini requiruntur exteriora signa, ad promittendum Deo, qui intuetur cor, sufficit interior cogitatio.

Hinc liquet perperam a quibusdam existimari votum a se elicitum esse, cum rem aliquam bonam facere proposuerint vel etiam verbum " promitto „ usurpaverint. Non sunt enim censendi verum votum elicuisse nisi intenderint se novo vinculo erga Deum ita obligare ut illud *sine speciali peccato* frangere jam non possent. (Lehmk. I. n. 429)

2° Votum est actus latriae, eo quod ea quae voventur in divinum cultum ordinantur. Hinc si quando (ut fit) vota dicuntur fieri Sanctis, sensus est ea voveri Deo in honorem simul Sanctorum, sicut templa et altaria aedificamus Deo in eorumdem honorem. (S. Alph. n. 194) Si quis (quod raro fiet) intenderet alicui Sancto, propter ejus honorem, promissionem facere, id non foret votum, sed actus quidam duliae. (Ball. P. n. 1)

3° Quomodo votum necessario esse debeat de re possibili et meliori, explicabitur n. 315 seq.

311. DIVISIO. Votum dividitur praecipue :

1° In *absolutum* et *conditionatum*. Prius habetur quando simpliciter promissio quaedam fit Deo ; posterius, quando additur conditio ea mente ut obligatio non exsurgat, nisi illa impleta fuerit, ex. gr. " voveo eleemosynam, si sanitati restituar. „ Ad conditionatum refertur quod dicitur *poenale* eo quod assumitur obligatio tamquam poena delicti committendi, ex. gr. " voveo dare eleemosynam quoties blasphemavero. „

2° In *simplex* et *solemne*. Solemnia non sunt nisi quae emittuntur

in sacra ordinatione et in professione religiosa facta in Ordinibus vere Regularibus. De intrinseco discrimine hujus divisionis dicetur Vol. II. n. 84.

3° In *reale* et *personale*. Prius habetur quando promittitur aliqua res externa pretio aestimabilis, puta eleemosyna; posterius, quando promittitur tantum actio quaedam hominis, vel cessatio ab actione, puta peregrinatio vel abstinentia a ludo. Quodsi in eodem voto conjungitur promissio rei externae et actionis personalis, id dicitur *mixtum*, ex. gr. si quis promittit se peregrinationem instituturum in sanctuarium B. M. V. et ibi decem candelas oblaturum esse.

§ 2. DE DELIBERATIONE ET INTENTIONE VOVENTIS.

312. I. Ad votum valide emittendum requiritur **deliberatio plena et perfecta** qua quis velit se ad rem aliquam obligare. Ubi enim deest actus perfecte humanus, nequit esse promissio, praesertim qua homo erga Deum obstringatur. Idem saepe alia ratione exprimitur : scil. ad vovendum sufficere eam deliberationem quae sufficiat ad mortaliter peccandum. Attamen, ut scite advertit Ball. P. (n. 7.), id verum quidem est eo sensu quod usus rationis, qui sufficit ad peccatum mortale, sufficit etiam ut quis possit valide vovere ; non autem eo altero sensu quod ad validitatem voti *cujusvis* sufficit ea deliberatio, quae sufficiat ad grave peccatum. Nam ad graviter peccandum satis est confuse nosse gravitatem reatus quo me obstringo ; ad obligationem vero assumendam oportet ut, praeter notionem obligationis, menti obversentur illae circumstantiae quae ad prudentem deliberationem circa onus assumendum considerandae sunt. Cfr. (n. 310) quae de triplici voti elemento e S. Thoma dicta sunt. Hinc :

1° Abstrahendo a Jure positivo, nulla determinata aetas ad valorem voti requiritur, dummodo vovens usu rationis gaudeat.

2° Vota emissa cum semi-plena deliberatione sunt nulla. At in concretis adjunctis judicare num abfuerit plena deliberatio, res saepe ardua est. Merito id aestimari potest quando votum, de re praesertim gravissima vel perpetua, emissum est in motu quodam repentino, statim vero postea, re melius considerata, poenitentia oritur. Plerumque tamen, in iis adjunctis, securitati et paci voventis proderit ad dispensationem recurrere.

313. II. Quando gravis adest **ratio dubitandi** num votum elicitum sit cum plena deliberatione, probabilius votum haberi potest ut invalidum. Ratio est quia, ubi probabile est non exstitisse verum votum,

obligatio fit dubia; haec autem non est vera obligatio, sicut lex dubia non est vera lex. (Ball. P. n. 11; Gury, I. n. 322) Plerique tamen cum S. Alph. (n. 196) opinantur votum valere in quocumque dubio an adfuerit plena deliberatio: quia possessio est pro voto, cum praesumatur usus rationis, nisi constet oppositum. Sed fundamentum hujus sententiae rejecimus n. 76.

Notandum tamen plerumque, ubi constat de facto voti emissi, non fore sufficientem rationem ut cum probabilitate de perfecta deliberatione dubitari queat: non solent enim metus, ira et similes passiones plenum usum rationis impedire. Caute igitur talem excusationem a voto implendo admittere debet confessarius; si tamen, examine instituto, circumstantiae vere gravem dubitandi rationem suppeditarent, vovens non esset absolute obligandus.

Minime requiritur ut vota eliciantur sub attentione actuali; sed prorsus sufficit intentio virtualiter permanens, ex. gr. in eo qui vota religiosa nuncupaturus ad altare accedit et distractus formulam pronuntiat.

314. III. Votum factum in metu, non incusso ad hoc ipsum ut votum extorqueatur, ex. gr. in metu naufragii, validum est, nisi metus plenum usum rationis abstulerit: nulla enim apparet ratio nullitatis. Idem dic si metus juste incussus est: (n. 29)

Ubi vero metus injuste incutitur ad votum extorquendum, istud invalidum est, sive metus ille gravis sit, ut plerique opinantur, sive etiam metus in se levis sit, reapse tamen sola ratio vovendi fuerit, ut tenent Bus. ap. S. Alph. n. 197 et Ball. P. n. 15. Eadem ratio pro utroque metu afferri potest: Deo acceptum esse nequit quod per injuriam ab homine extorquetur, sicut nullus homo justus promissionem acceptaret quam sciret per injuriam extortam esse. In foro tamen externo, metus in se levis admitteretur fuisse causa voti eliciti, puta in professione religiosa: quare sententia supradicta restringitur ad forum conscientiae, in quo praesumptio cedit veritati.

IV. Error vel ignorantia, etiam mere concomitans, reddit votum regulariter invalidum, quando versatur circa substantiam materiae promissae, ut si quis voveret ecclesiae dare calicem, quem putat argenteum, cum sit aureus; — vel circa conditionem substantialem, seu talem ut, hac cognita, vovens noluisset vovere, ex. gr. si quis voveret se ingressurum monasterium, ubi putaret religiosam disciplinam et essentialia religionis servari accurate, et tamen non ita esset; — vel circa causam finalem, ut si quis voveret peregrinationem pro salute patris, et is jam esset mortuus. Ratio generalis est quod hic deficit liber consensus, qui non fertur in incognitum, et nihil tam est contrarium consensui quam error. (Bus. ap. S. Alph. n. 198)

Excipiuntur tamen vota per quae assumitur status natura sua firmus et irrevocabilis, ut sunt vota quibus aliquis Ordini religioso aggregatur; haec enim irrita sunt tantum per errorem circa rei promissae substantiam. Nam, cum ejusmodi vota emittantur per modum contractus bilateralis, ipsa rei natura requirit ut voluntas consentiat omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus praeter eas quae sunt de substantia ejusdem contractus, ut fit, propter eamdem rationem, in matrimonio contrahendo. Secus dubia manerent de pluribus professionibus, cum magno detrimento religionis et voventis. Cfr. Lugo, de Just. et J. disp. 22. n. 88.

Manet votum validum, quamquam facilius in eo dispensari potest, si error versatur circa conditionem parvi momenti, puta si peregrinatio paulo longior est quam existimabatur, quia parum pro nihilo reputatur. Similiter dicendum si error est tantum circa causam impulsivam, ut si voves peregrinationem, existimans te habiturum gratum socium, qui postea ire renuit : haec enim est tantum causa secundaria, qua seposita, actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam, nisi quis ita dispositus esset ut numquam solum ire vovisset.

§ 3. DE MATERIA VOTI.

315. I. Materia voti debet esse possibilis, non tantum *physice*, ut per se liquet, sed et *moraliter* : nam ad moraliter impossibile obligatio dari nequit. (n. 83) Jamvero moraliter impossibile censendum est quod, pro fragilitate humanae naturae, sine speciali prorsus divinae gratiae auxilio perfici nequit, quale auxilium temere speraretur sine ratione personali, puta majore virtute jam acquisita, vel generali, qualis est invitatio Christi ad statum perfectionis arripiendum. Hinc :

1° Invalidum est votum numquam peccandi venialiter : nam id nemini, sine speciali privilegio, esse possibile, definivit Trid. Sess. 6. can. 23. Probabilius tamen validum esset votum de vitandis peccatis venialibus *plene deliberatis*, sed tantum ubi emittitur a personis in virtute valde exercitatis. Idem dicendum de voto vitandi certam quamdam speciem venialium, si excipias quasdam materias quas nemo prorsus vitare potest, quales sunt cogitationes inhonestae vel otiosae. (S. Alph. n. 203; Ball. P. n. 30)

2° Votum vitandi omnia mortalia videtur valide emitti a quolibet. Plerumque tamen non expedit et, si factum fuit a persona fragili, sufficiens datur causa ad dispensandum.

3° Sine speciali instinctu S. Spiritus, invalidum videtur votum faciendi quidquid perfectius esse intellexeris. (Salmant. c. 1. tr. 17. n. 85)

4° Invalidum esset votum inhaerendi Deo jugi caritate actuali. " Quod ego, ait D'Annib. (III. n. 192. nota 5). devotam prope dementiam dixerim, cum hoc solis comprehensoribus datum sit (D. Th. 2. 2. q. 24. a. 8). „ Idem merito de votis nimis arduis addit : " Haec vovere, regulariter temerarium; aliis suadere novum in Ecclesia, et periculosum est. „

316. II. Materia voti debet esse non tantum **bona, sed melior quam ejus oppositum,** sive ejus omissio. Nam, cum nullum opus Deo acceptum esse possit nisi sit virtuosum, clarum est de nulla re illicita vel prorsus indifferenti votum fieri posse. (2. 2. q. 88. a. 2) Imo, si objectum voti non esset melius quam id quod ei opponitur, vovens se obligaret ad omittendum melius bonum propter minus. Hoc autem nequit Deo placere, qui cupit ut homo semper faciat quod melius est. (Suar. tr. 6. l. 2. c. 7. n. 2) Clarum tamen est non sufficere ut objectum in abstracto consideretur, sed spectandas esse circumstantias personae, temporis, etc. Sic non esset de meliori bono quod materfamilias voveret peregrinationem quam instituere nequiret nisi liberorum cura neglecta. Hinc :

1° Invalidum est votum de re peccaminosa: imo hoc grave peccatum foret si vovens promitteret rem graviter malam, et probabilius, etiam leviter malam. Nam in utroque casu gravis contumelia inuritur Deo quasi Ipsi placeret peccatum. Attamen, ubi res tantum leviter mala est, plures AA. hujusmodi votum leve peccatum reputant : quod in praxi, ob ignorantiam excusantem, teneri potest. (S. Alph. n. 205) Sic nullum est votum jejunandi vel abstinendi a carnibus diebus Dominicis vel in festis anni praecipuis : id enim a praxi Ecclesiae alienum est et, si emittitur ab eo qui ceteris diebus non jejunat, aliquam superstitionem redolet. (Reuter, Th. Mor. p. 2. n. 427)

2° Invalidum est votum de re quae, spectatis etiam adjunctis et fine operantis, maneat prorsus inutilis vel indifferens. Exemplum habes in eo qui voveret deferre vestes hujus potius quam illius coloris, non transeundi per viam aliquam, etc. Attamen, si intentio voventis est pia et res ipsa, ex natura sua vel moribus receptis, conducere potest ad finem bonum attingendum, valebit votum. Exemplo sint qui vovent Romam pergere ad limina Apostolorum invisenda, infantes vestire colore caeruleo in honorem B. M. V. etc. (Ball. P. n. 33)

3° Invalidum est votum cui adjungitur finis malus tenens se *ex parte rei votae*, ex. gr. si quis voveret eleemosynam ut ex illius distributione laudaretur, ad impetrandum felicem successum in furto vel in gratiarum actionem pro tali successu. Sic enim ipsa res promissa dirigeretur in malum finem : quod contumeliam Deo inferret, quasi peccata promoveret. Validum vero est votum cui adjungatur finis malus tenens se tantum *ex parte voventis*, ex. gr. si quis voveret eleemosynam ad Dei

gloriam, sed simul intendens ut ex actu vovendi inanem gloriam caperet. Nam sic res quam vovet manet bona, licet ipse male et cum peccato voveat. (S. Alph. n. 206)

4° Quando voto adjungitur conditio mala, ex. gr. voveo eleemosynam si ex duello incolumis evasero, videndum est utrum, ex intentione agentis, opus pravum sit finis voti an simplex conditio. Si prius, ex. gr. votum referendo ad felicem duelli successum, invalidum est, ut patet ex supra dictis; si posterius, ex. gr. votum referendo ad incolumitatem, quam, patrato duello, Deus largiatur, validum est: sic enim votum non cadit super rem malam, sed super bonam, nempe, patrato duello, evadere incolumem. (Bus. ap. S. Alph. l. c.)

5° Invalidum est et veniale peccatum vovere bonum quod est impeditivum boni majoris: quia sic ponitur obex Spiritui S. qui est boni propositi inspirator. (2. 2. q. 89. a. 7. ad 2) Hoc tamen intelligendum est de opere bono quod directe opponatur meliori, et mutationem in melius impediat, ut esset votum manendi in saeculo: nam vix est opus bonum quod non impediat opus excellentius, eo sensu quod simul fieri nequeat. Insuper valeret votum rei quae, licet in se et absolute minus bonum sit, in concretis tamen adjunctis pro vovente majus foret, ex. gr. non suscipere sacros Ordines, si cui susceptio videretur damnosa fore. (S. Alph. n. 207)

Hinc patet regulariter nullum esse votum matrimonii ineundi: siquidem ordinarie melior est coelibatus. Attamen validum foret votum nubendi alicui personae quae sine injuria aut gravi infamatione, puta ob liberos ex ea susceptos, deseri non posset. Ubi vero votum de matrimoniali statu ineundo emitteretur ad finem imponendum multis peccatis, quae ex insita fragilitate et prava consuetudine orta sint, controvertitur inter AA. num hujusmodi votum valeat. Cfr. S. Alph. l. 4. n. 209; l. 6. n. 75. Quoad rem tamen et praxim satis concordare videntur AA. Nam fere omnes consentiunt voventem fore obligatum ad hoc remedium matrimonii adhibendum, quatenus alio *perfectiore* uti nolit. Ideo dicendum cum Lessio (de Just. et J. l. 2. c. 40. n. 44) votum illud non valere absolute, sed tantum ex suppositione quod vovens nolit alia remedia adversus carnis tentationes adhibere. Si enim alia remedia adhibere velit, jam cessabit illius voti vinculum: quia jam voventi melius erit non ducere uxorem.

6° Valet votum de re jam aliunde praecepta, quia est de re meliori libere praestanda, nec quidquam impedit quominus vinculo e praecepto oriundo aliud e virtute religionis addatur. (2. 2. q. 88. a. 2) Patet e voto religiosae castitatis, quod cadit etiam in materiam praeceptam hujus virtutis.

§ 4. DE OBLIGATIONE VOTI.

317. I. Mensura obligationis e voto oriundae est **rationabilis voluntas voventis.**

Votum enim est quasi lex quam sibi vovens imponit : nam libere facit Deo illam promissionem, quam lex naturalis servandam praecipit. Sicut nullam obligationem assumere potest, ita non impeditur quominus, etiam in materia gravi, sub levi tantum se obliget : quod ut faciant plerique poenitentes, a confessario suadendum est. Sed manifeste opus est ut voluntas voventis rationabilis sit (n. 106) : quare in materia levi nequit se sub gravi obligare, puta ad recitandum semel " Salve Regina „, ad vitandum peccatum leve, etc.

Igitur si quis, dum votum emisit, determinavit utrum sub gravi an sub levi se obligare intenderet, huic determinationi standum erit, nisi quis erronee intendisset se obligare sub gravi ad rem omnino levem.

II. Quando vovens de quantitate obligationis determinanda non cogitavit, haec erit definienda e gravitate vel levitate materiae, cui se accommodasse censenda est ejus intentio.

Gravis autem censetur ea materia quae, ubi praecepto ecclesiastico imponitur, gravem obligationem inducit, ut Missae auditio, communio, rosarii recitatio ; et a fortiori, quae majorem laborem imponit, ut sat longinqua peregrinatio : in votis autem realibus, plerumque censebitur gravis materia quae, si ex justitia debita foret, talis censeretur. (Lehmk. I. n. 446) Ceterum in dubio levis habeatur, si quidem non tanto rigore exigenda sunt gratuito promissa.

Aegre determinatur quandonam plures materiae leves in gravem coalescant. Imprimis sedulo investiganda est voventis intentio. Deinde notandum generatim non coalescere materias quae, ex intentione voventis, affixae sunt singulis diebus, ut plerumque contingit in votis personalibus : coalescere vero, si promissio plurium levium materiarum facta sit per modum unius, et dies assignatus non ad finiendam obligationem, sed ne differatur executio. Sic qui promisit singulis diebus recitare " Salve Regina „ leviter peccaret, etiamsi per totum annum id omitteret ; qui promisit singulis diebus dare parvam eleemosynam, graviter peccaret, eam per annum omittendo. (S. Alph. n. 212)

318. III. Votum, utpote **actus pure personalis**, obligat solum voventem, neque potest alium obligare propria religionis et fidelitatis ad Deum obligatione. (Suar. tr. 6. l. 4. c. 9. n. 2) Si quis ergo vovet factum alterius, nihil aliud intendere potest quam ut hoc factum procuret eo

modo quo licite valet. Sic parentes qui filium devovent religioni (ut olim fiebat) ad nihil aliud tenentur quam ut conentur eam filio persuadere ; qui vero Missas celebrandas vel peregrinationem ab alio instituendam vovit, non tenetur alterum substituere novis sumptibus, si prior non praestet ad quod se obligavit. (S. Alph. n. 216)

Haeres tamen tenetur ad solvenda vota realia defuncti, non directe vi voti, sed quia, accipiendo haereditatem, succedit in onera non minus quam in jura defuncti : ideo haec obligatio non est religionis, sed justitiae, saltem erga defunctum. (S. Alph. n. 213 seq.)

Ubi votum aliquod perpetuum a communitate factum est, ex. gr. jejunii quadam die servandi, id certe obligat posteros ; de natura autem et immediata origine hujus obligationis in posteris, controvertitur. Probabilius est obligatio ex virtute religionis. Nam magistratus, tamquam caput communitatis, potest eam ligare voto, sicut et aliis pactis, ita ut obligatio ad posteros transeat : quia ex natura communitatis oritur quod membra capiti se conformare debent obediendo, obedientia autem transfert obligationem ad genus virtutis, cujus intuitu indicitur. Habetur ergo in posteris obligatio ad acceptandum votum majorum cum vinculo religionis. (Ball. P. n. 51)

319. IV. De ratione qua implenda sint vota fere valent ea quae (n. 109) statuta sunt de ratione satisfaciendi obligationi legis. Ideo vota personalia nequeunt impleri nisi per ipsum voventem ; votis vero realibus satisfit etiamsi ab alio detur pro vovente id quod promissum sit vel res quae ad eumdem finem sit prorsus aequivalens, ex. gr. calix prorsus similis promisso vel melior. (Ball. P. n. 53 seq.)

V. Vota conditionalia non obligant donec specifice impleta sit conditio, neque generatim sufficit ut aequivalenter impleatur, puta si, postquam frater vovit ingredi religionem si soror nupserit, ipsa moriatur. Sed potissimum inspiciendum est quaenam fuerit intentio voventis. Quodsi ipse vovens quocumque modo, sive licito, sive illicito, impedit ne existat conditio sub qua voverit, puta si parentes non contradixerint, probabilius nulla est obligatio voti implendi : quippe quae a conditione tota pendet. (S. Alph. n. 128)

320. VI. Qui vovit **rem certam et determinatam,** ex. gr. hunc calicem, si ea res pereat, non tenetur ad aliam, cum id non soleat intendi; sin autem rem vendiderit, dandum est pretium, si intentio ferebatur in aliquod donum tribuendum, quod deinde in ea re determinatum fuerit; ubi vero res promissa habebat specialem omnino usum, ex. gr. mitra pulcherrima quae vovetur ut episcopus ea utatur in solemnitate quadam, probabile est cessare obligationem. (Ball. P. n. 60)

VII. Quando votum est **adimplendum certo die**, regulariter, transacto tempore statuto, cessat obligatio voti, etiamsi culpabiliter neglectum fuit; pariter si praevidetur impedimentum, non est obligatio praeveniendi. Attamen videndum num forte dies tantum statutus fuerit ad urgendam obligationem: quod praesertim patebit ex intentione voventis, ex causa ob quam votum elicitum est, etc. Ita manebit obligatio jejunii voti in gratiarum actionem; non permanebit votum accendendi candelas in certa solemnitate, si haec jam elapsa est. (S. Alph. n. 220; Ball. P. n. 61)

321. VIII. Quando votum **sine temporis determinatione** elicitum est, implendum est tantum cum primum commode potest: quia sic moraliter quisque censetur intelligere suam promissionem, ut, habita commoditate, non nimis diu differat. (Alph. n. 221)

Quando autem dilatio, absque causa rationabili facta, gravem culpam constituat, non ita patet. Probabile videtur in votis talibus ut dilatio nullam materiae diminutionem afferat, puta in voto piae peregrinationis, non committi grave peccatum, nisi differens praevideat e mora oriturum periculum oblivionis vel impotentiae implendi. (Ball. P. n. 63) Sed si res promissa per ipsam moram imminuitur, ut fit in voto ingrediendi religionem, mortalis est dilatio qua notabiliter minuatur tempus quo Deo serviendum sit. Haec autem imminutio facilius erit notabilis in eo qui jam senex vovet quam in juvene. Speciatim quoad votum ingrediendi religionem, inspiciendum est quomodo soleat communiter propositum talis ingressus accipi et exsecutioni mandari. Jamvero, ut advertit Ball. P. (n. 66): " Ille solum censetur deesse proposito, qui nullam causam habet cur differat; non autem qui opportunum tempus eligit pro fine quem proponere sibi potuit. „

IX. Qui vovit aliquid **sine certa quantitate**, ex. gr. eleemosynam, satisfacit dando quantum voluerit, modo non tam parum ut videatur potius irridere suum votum quam implere. Ratio petitur ex intentione voventis, qua nemo censetur se obligare nisi ad id quod commode potest dare et communiter est decens. (Bus. ap. S. Alph. n. 222)

§ 5. DE CESSATIONE OBLIGATIONIS VOTI AB INTRINSECO.

322. I. Obligatio voti cessare potest dupliciter: interventu alicujus auctoritatis humanae, seu ab extrinseco, per irritationem, commutationem vel dispensationem, de quibus in sequentibus paragraphis dicetur; absque ullius auctoritatis interventu, seu ab intrinseco. Hoc autem contingit:

1° **Mutatione materiae**, quae fiat *turpis*, ex. gr. si post votum religionis, parentes cadant in gravem necessitatem, vel si eleemosyna ex voto promissa deserviat ad ebrietatem accipientis; — vel *inutilis* aut *indifferens*, ex. gr. votum subveniendi necessitati quae cessat; — vel *impeditiva majoris boni*, ratione novae circumstantiae, ex. gr. si voveris peregrinationem quae impediat ne peste infectis inservias, aut ratione prohibitionis, ut si, post idem votum, episcopus sacerdotem jubeat paroeciae curam suscipere; — vel *impossibilis*, ex. gr. votum donationis si vovens in paupertatem decidat.

2° **Cessante conditione a qua pendet**, ut si vovisti orationes quamdiu valebis, et incipis aegrotare. (Ball. P. n. 76)

Ratio patet ex supradictis (n. 315 seqq.) : nam obligatio exstinguitur si in eum casum incidat a quo incipere non possit.

323. II. *Si materia voti fit impossibilis*, etiamsi id culpa voventis contingit, obligatio voti vel totaliter cessat, si haec impotentia est perpetua, vel suspenditur donec iterum possibilis fiat. Id etiam intelligendum de morali impossibilitate seu magna difficultate quae, ob mutationem aliquam, voti exsecutioni accedit. Ex. gr. si quis, post promissam peregrinationem Romanam, pauper fit ita ut jam viae ferreae expensas solvere commode nequeat, non tenetur ire pedester. Et universe ponit S. Alph. (n. 226) hanc regulam, allegata auctoritate S. Thomae (in 4. d. 38. q. 1. a. 3) : " Id liberare a voti vel juramenti obligatione quod, si a principio notum fuisset, ea fieri impedivisset. „ Id enim commune est voto cum reliquis promissionibus.

III. *Si materia voti fit impossibilis tantum quoad partem*, cessat vel suspenditur tota obligatio, si materia talis est ut dividi nequeat vel non soleat, vel si constaret intentionem voventis fuisse ut se tantum ad rem totam obligaret. Exempla habes in eo qui vovet aedificare ecclesiam vel organum magnificentissimum. Extra duplicem illum casum, manet obligatio ad partem quae non fit impossibilis. Ex. gr. qui vovit jejunare tota hebdomada, et non potest nisi duobus diebus, ad hoc tenetur; qui vovit peregrinationem nudis pedibus, si hoc modo nequit, tenetur alio. Attamen, si in voto " unum est principale, reliqua vero accessoria tantum, non per se seorsim intenta, sed dependenter a priori, tamquam illius appendices et modi, tunc, si principale fiat impossibile, ruit etiam obligatio accessorii, non autem contra, ut ex. gr. peregrinationem Romam in cilicio et ibi certi aliquid offerre ; si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris cilicium ferre et oblationem mittere. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 225)

§ 6. DE IRRITATIONE VOTI.

324. NOTIONES. Irritatio voti definiri potest : voti annullatio vel suspensio facta ab eo cujus potestati subest voluntas voventis aut materia voti. (Gury, I. n. 329)

Hac definitione indicatur duplex irritationis species : *directae* et *indirectae*. Directa fit ab eo cujus potestati subest *voluntas voventis* ita ut firmiter vovere nequeat nisi cum implicita conditione quod superior, ex. gr. pater vel praelatus, consenserit aut saltem non repugnaverit. Vocatur hoc nomine quia directe fertur in ipsum actum vovendi, quem reddit prorsus nullum, adeo ut numquam reviviscat. Indirecta fit ab eo cujus potestati subest tantum *materia voti*, eo quod ab ejus voluntate pendet eam reddere inhonestam aut impossibilem, ex. gr. per prohibitionem : haec non est nisi irritatio secundum quid seu suspensio voti, quod proinde per se incipit obligare quamprimum ablatum est impedimentum. Vocatur hoc nomine quia non cadit directe in actum vovendi, sed huic subtrahit materiam quam reddit incapacem obligationis.

325. ASSERTA. I. Directe irritare potest omnia subditi vota is qui habet potestatem dominativam in alterius voluntatem ; haec irritatio semper est valida et, si fit ex causa rationabili, etiam licita. Potestatem illam alii (S. Alph. n. 227) ex jure naturali repetunt, quasi sponte fluat e dominio quod in alterius voluntatem obtinetur ; probabilius alii (Bus. ib.) censent eam jure naturae suaderi tantum, minime vero formaliter constitui, quia dependentia filiorum a parentibus, religiosorum a praelatis, etc., omnino stare potest cum eorum facultate vovendi, dummodo salva sit potestas irritandi indirecta.

Jamvero, saltem ex positivo jure, hac potestate pollent :

1° Pater in omnia vota liberorum suorum impuberum ; impubertas autem, secundum jus ecclesiasticum, finitur in masculis anno 14° completo, in feminis completo 12°. Cfr. Decr. Grat. caus. 32. q. 2. c. 14. et I. 3. Decr. tit. 31. c. 2. Eadem potestas competit, defectu patris, avo paterno vel tutori ; matri autem probabiliter, etiam praesente, sed non contradicente patre. (S. Alph. n. 230) Exerceri potest etiam in illa vota quae liberi impuberes emiserint, et jam puberes ratificaverint, quia ex errore ea firma esse putaverint ; minime vero in ea quae ratificaverint scientes esse infirma et independenter a prioribus. (S. Alph. n. 238 ; Ball. P. n. 119 seqq.)

2° Superiores religiosorum, imo probabiliter et Superiorissae

monialium, in omnia vota quae a subditis emittuntur, postquam se eorum potestati dominativae, saltem per vota simplicia, subjecerint. Excipiuntur vota sive solemnia, sive simplicia, quae professionem religiosam constituunt vel, e constitutionibus quorumdam Ordinum, comitantur ; insuper votum transeundi ad religionem strictiorem. (l. 3. Decr. tit. 31. c. 18)

3° Probabiliter (S. Alph. n. 234) maritus in omnia vota uxoris, durante matrimonio emissa. Verius tamen censemus marito competere solam potestatem indirectam in vota uxoris : quia nullo textu Juris probatur directa. Frustra citatur a multis locus e V. T. (Num. XXX, 7) : nam, etiamsi inde constaret hanc potestatem competiisse marito sub V. T., certe haec dispositio, utpote caerimonialis, abolita est. (Lessius, l. 2. c. 40. n. 89)

Ii omnes hac potestate sua valide uti possunt, etiam postquam jam positive consenserunt : eo quod non se privarunt dominio et potestate sua. Quodsi id facerent sine causa rationabili, leviter quidem peccarent : de gravi autem non constat (S. Alph. n. 239), nisi id fiat in odium religionis vel ob aliud motivum graviter malum.

326. II. Indirecte irritare votum possunt ii quorum juri praejudicatur, sive quia vovens disponit de re temporali in quam alter jus habet, sive quia res promissa impediret ne jam praesto esset subditus justis Superioris praeceptis exsequendis. Patet ex jure naturali, quod non sinit fieri promissionem in praejudicium tertii. (S. Alph. n. 241) Igitur **id possunt :**

1° Pater in vota filiorum suorum puberum, quamdiu manent in domo paterna nec sunt emancipati, quatenus horum vota paternae potestati officiunt.

2° Uxor in vota mariti, etiam ante matrimonium facta, quatenus haec praejudicant vitae sociali et usui dominii quod habet in corpus mariti.

3° Dominus et domina respectu famulorum, ut si ii voverint jejunium vel prolixas orationes, quibus fierent impares adimplendis officiis ad quae se, operas suas locando, adstrinxerint. (S. Alph. n. 242)

4° Superiores vel Superiorissae in omnia vota novitiorum, quatenus novitiatus exercitia et debitam rationem impediunt. Similiter dicendum de Superiore Collegii respectu alumnorum. (Ball. P. n. 133)

Ii omnes (pariter atque in irritatione directa) hanc potestatem exercere possunt etiam in vota quae ipsi eorumve antecessores jam approbassent. Excipitur communiter nisi : " suo jure (Superior) cessisset et hanc concessionem subditus acceptasset, ut v. gr. in voto castitatis, mutuo mariti et uxoris consensu facto. " (Bus. apud S. Alph. n. 242) Attamen hanc applicationem conjugibus qui mutuo consensu castitatem

vovissent jam S. Alph. (n. 239) sat infirma ratione niti significavit; Ball. P. autem (n. 137 seqq.) fuse impugnavit. Absolute igitur loquendo (quamvis ad praxim non faciat), posset uxor petere a marito ut potestate sua *directa* utatur ad infirmandum uxoris votum, quo posito, et ipsa *indirecte* votum mariti irritare posset.

§ 7. DE DISPENSATIONE VOTI.

327. NOTIONES. Dispensatio voti est absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. (S. Alph. n. 250) Haec semper datur e speciali potestate a Deo concessa, seu ex illa auctoritate quam Christus in Ecclesia vigere voluit ad publicum istius regimen; supponit ergo in dispensante veram jurisdictionem. Nequit autem exerceri nisi in volentem: nam, si quis invitus est quominus dispensetur, aequivalenter iterum sibi votum imponit. Patet, ex supra dictis, in irritatione voti nec jurisdictionem in irritante, nec consensum voventis requiri.

328. ASSERTA. I. Ad dispensationis valorem requiritur **justa causa**, cum fiat in lege superioris. (n. 118) Causae autem sufficientes censentur (S. Alph. n. 252 seq.):

1° Bonum Ecclesiae, rei publicae vel familiae; item major profectus voventis.

2° Notabilis difficultas, etiam praevisa, in exsecutione voti; cui aequiparantur periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem fragilitatem hominum, et magni scrupuli vel frequentia dubia voventis.

3° Imperfectio actus, vel levitas ac facilitas ex qua processit votum, ex. gr. emissum ab impubere vel instante metu naufragii.

Quodsi causa non videatur sufficiens, admisceatur aliqua commutatio.

II. Potestas dispensandi in votis competit iis omnibus qui jurisdictionem in foro externo vel privilegium obtinent, quales sunt:

1° Romanus Pontifex respectu omnium fidelium in omnibus votis.

2° Episcopus respectu suorum subditorum; similiter Nuntius Apostolicus in sua provincia.

3° Praelati Regulares exempti respectu suorum religiosorum et novitiorum, idque circa vota quae vel in saeculo, vel in novitiatu fecerunt, etiam in voto transeundi ad Ordinem strictiorem.

4° Confessarii Regularium Ordinum, respectu omnium fidelium, sive in confessione, sive extra confessionem. Videant tamen singuli quatenus hoc privilegium a R. P. Ordini concessum ipsis communicetur.

Dispensare ergo nequeunt Parochi, Praelati non exempti, Abbatissae, etc. (S. Alph. n. 256 seq.; Ball. P. n. 173 seq.)

329. III. Qui R. P. inferiores sunt, nequeunt (sine speciali delegatione) dispensare in his quinque votis : castitatis perpetuae, religionis approbatae, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam et in Terram Sanctam. Attamen ea vota non sunt R. P. reservata :

1° Si emissa sunt sub obligatione levi.

2° Si emissa sunt ex metu, etiam levi, ab alio incusso, quia tunc non sunt facta cum plena libertate.

3° Si non sunt perfecta ex parte materiae. Hinc, quoad votum castitatis requiritur ut voveatur in perpetuum abstinentia ab omni actu venereo et omni actu etiam interno contra castitatem. Non est ergo reservatum votum non nubendi, servandae virginitatis vel castitatis conjugalis. Similiter neque votum ingrediendae Religionis improprie dictae seu in qua non emittantur vota solemnia, neque votum peregrinationis Romanae quae non fiat praecise intuitu liminum Apostolorum.

4° Si sunt disjunctiva, ex. gr. ingrediendi Religionem vel peregrinandi.

5° Si emissa sunt sub conditione, quamdiu haec nondum completa est et probabilius etiam postquam completa est. (S. Alph. n. 261) Nam votum, ut sit reservatum, procedere debet ex perfecto et solo affectu ad rem promissam. Hoc autem non contingit in votis conditionatis, ubi conditio praefertur rei promissae, et ideo principalis affectus est ad conditionem, ex. gr. ad sanitatem propriam vel alienam. Non sunt tamen vere conditionata vota in quibus " si „ aequivalet voci " quando „. ex. gr. si moriatur mater quam alere debeo, voveo Religionem ingredi.

Neque reservatur dispensatio a circumstantiis quae interdum ipsorum votorum substantiae adduntur, ex. gr. ingrediendi Ordinis *strictioris*.

IV. Non licet, saltem iis qui R. P. inferiores sunt, dispensare in votis e quibus sit **jus quaesitum tertio.** Hoc autem dupliciter contingit : imprimis si votum, puta obedientiae vel perseverantiae, emissum est in aliqua congregatione religiosa, siquidem id fit per modum contractus onerosi ; deinde si votum emissum est in utilitatem solius hominis et ab eo acceptatum, quod tamen non obligat sub gravi quatenus est promissio homini facta et ex fidelitate servanda.

Licet igitur dispensare si votum nondum est a tertio acceptatum, si tertius ille consensum dat, imo probabiliter etiam sine ejus consensu, quando votum principaliter emissum est in honorem Dei, sed secundario in favorem alicujus tertii determinati, puta talis ecclesiae vel pauperis, et ab hoc acceptatum. Ratio est quod Deus est tota causa promissionis,

et per accidens se habet quod tertius ille acceptavit : is ergo jus suum acquisivit tantum dependenter a beneplacito Dei cui servari debet promissio. (S. Alph. n. 255)

§ 8. DE COMMUTATIONE VOTI,

330. I. Commutatio voti est substitutio alterius operis honesti loco ejus quod promissum erat, sub eadem obligatione.

Ut commutatio debito modo fiat, duo sunt attendenda (S. Alph. n. 243 ; Ball. P. n. 149 seqq.) :

1° Auctoritas ecclesiastica necessaria est ut commutatio fiat in paulo minus bonum ; quodsi fieret in bonum notabiliter minus, jam dispensatio diceretur. Quodsi quis cuperet commutationem in bonum certo aequale, probabilius etiam ad auctoritatem spiritualem esset recurrendum. (S. Alph. n. 244) : probabile tamen est eam ab ipso vovente fieri posse. Nam Deus, utpote benignissimus, praesumendus est acceptare opus quod ex se aeque ad Ipsius gloriam conducit, majore autem fervore et hilaritate a vovente praestabitur. (Ball. P. n. 150) Attamen, cum tam obscurum sit quandonam opera bona sint vere aequalia, et periculum sit hallucinationis, practice prorsus suadendum ut saltem ad confessarii consilium, vel etiam ad habentem commutandi facultatem, recurratur. Unicuique vero licet votum suum commutare in melius, nempe in id quod, spectatis concretis adjunctis et praesertim conditione voventis, apparet magis conducere ad Dei gloriam et spiritualem voventis utilitatem. Ideo absolute statui nequit utrum liceat mutare jejunium in orationem, rosarii recitationem per hebdomadam integram, in communionem, etc. (Ball. P. n. 150) Certe potest unusquisque omnia vota sua personalia mutare in votum Religionis ingrediendae.

2° Ut fiat commutatio in opus paulo minus bonum, requiritur justa causa ; haec tamen si abfuerit, probabile est valere commutationem, modo suppleatur defectus, quia, cum in promissionibus humanis adimplendis non esset major obligatio, idem supponere licet in votis, cum Deus mitius nobiscum agere soleat. (S. Alph. n. 245) Similiter ad commutationem in aequale bonum requiritur justa causa, sufficit tamen parva, ex. gr. major propensio, minus periculum transgrediendi. Ad commutationem in melius nullam causam requiri patet.

Facultatem ecclesiasticam commutandi vota habet quicumque dispensandi facultate praeditus est : nam minus in majori ejusdem speciei concessum intelligitur.

331. II. Quando votum commutatum est in minus vel aequale, licet redire ad prius : nam commutatio facta est in favorem voventis, cum tacita conditione, *si ei placuerit*. Idem etiam probabilius dicendum, ubi votum commutatum est in melius cognitum et acceptatum, nisi jam factum sit novum votum : nam nullum propositum obligat nisi interveniente promissione et animo se obligandi. (S. Alph. n. 248)

III. Si voti a legitima auctoritate commutati materia jam facta sit impossibilis vel indifferens, etiamsi id evenit culpa voventis, qui ex. gr. jejunium substitutum statuto die neglexit, non obligatur ad implendam priorem materiam voti : haec enim obligatio exstincta est. Ubi vero commutatio facta esset sola voluntate voventis, neque impleri posset opus substitutum, prius implendum esset : nam tunc prior obligatio nullo actu exstincta est. (S. Alph. n. 249)

SECTIO III. — DE TERTIO PRAECEPTO.

332. Effertur tertium Decalogi praeceptum his verbis : " Memento ut diem Sabbati sanctifices. „ Hoc praeceptum *naturale* est, tantum quatenus jubet aliquod tempus cultui divino impendere ; Sabbati vero designatio et peculiaris ratio diei sanctificandae pertinebant ad legem caerimonialem, ideoque sub N. L. cessarunt. Ab Ecclesiae igitur constitutione repetenda est determinatio dierum sanctificandorum, seu Dominicae et festorum, necnon rationis qua sanctificandi sunt. (2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.) Hinc etiam patet quodnam sit hujus praecepti subjectum. Cfr. n. 94.

Praeceptum istud, ut ab Ecclesia determinatum est, partim *negativum*, partim *positivum* est : negativum, quatenus certa quaedam opera prohibet hisce diebus, scil. a media nocte ad mediam noctem ; positivum, quatenus praecipit assistentiam Missae. In quibusdam regionibus RR. PP. indulsere ut in aliquibus festis diebus, salvo praecepto audiendi Missam, fideles operibus prohiberi solitis vacent.

CAPUT I.

DE OPERIBUS QUAE DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR.

§ 1. DETERMINATIO OPERUM PROHIBITORUM.

333. I. Diebus Dominicis et festis prohibentur **opera servilia** : quae determinanda sunt tum ex operis natura, tum ex consuetudine in singulis locis recepta ab iis qui christiane vivere solent.

Opera respectu dierum festorum dividi solent in *servilia* et *liberalia*. Servilia, *vi nominis*, sunt ea quae ab iis tantum quos solemus dicere servos, seu operarios, fieri solent; *natura rei inspecta*, sunt ea quae corporis potius quam animae viribus exercentur et corporis utilitati deserviunt, ex. gr. arare, suere. Liberalia autem, *vi nominis*, sunt ea quae ab iis qui famulari non solent exercentur, ut legere, scribere; *natura rei inspecta*, sunt ea quae potissimum animae viribus peraguntur ejusque utilitati deserviunt. Praeterea multi AA. recensent opera *mixta* seu quae aeque ab operariis et ab honestioris conditionis hominibus fieri solent : quamquam hoc tertium divisionis membrum parum prodest.

In multis operibus sufficit eorum naturam inspicere ut pateat ea esse servilia, ex. gr. arare, lapides secare : quare nulla consuetudine haec licebunt quamdiu lex ecclesiastica stabit. In aliis vero, ut ducere currus onustos, res minus patet et locus est consuetudini, quae ea accenseat servilibus, vel ab istorum censu removeat.

II. Ad dignoscendum characterem servilem alicujus operis nihil refert :

1° Utrum fiat *ex lucro* an *ex recreatione*. Quare requiem die festo praescriptam violat qui opus servile, ex. gr. terram fodere, fabrum lignarium agere, ex recreatione obit; illam non violat qui opus liberale, ex. gr. transcribere, lucri causa praestat.

2° Utrum fiat *ex bona* an *ex mala intentione*. Quare requiem praeceptam violaret qui fabrum ferrarium ageret die festo, ut salarium largiretur pauperibus; non violat qui hac die comoediam turpem exhibet.

Nota peccata die festo patrata, juxta probabiliorem sententiam, habere levem sacrilegii malitiam : quae tamen plerumque, ob inadvertentiam, non contrahitur ; gravem autem sacrilegii reatum non contrahunt, nisi forte fiant in contemptum diei sacrae aut ex industria, ut haec

dies profanetur. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 519 seq.; Ball. P. n. 13) Alii tamen hanc malitiam sacrilegii per se abesse putant, quia circumstantia temporis sacri moraliter extrinseca est his peccatis. (Struggl, tr. 8. q. 1. n. 10)

3° Utrum fiat *cum parva* an *cum magna defatigatione*. Sic servile est vestes consuere, licet exiguo labore id peragatur; non sunt serviles ludi histrionum, saltatio, longi cursus pedestres, licet quandoque in iis vires prorsus extenuentur, quia hujusmodi occupationes, natura sua, tendunt ad delectationem agentis vel aliorum.

Attamen quandoque consuetudo facilius quaedam licita facit, ubi sine spe lucri et cum modica fatigatione exercentur.

334. III. Ex his principiis sequentia statui possunt de operibus quibusdam in specie :

1° Licet *iter agere* diebus festis quacumque ratione, etiam curru vel navi, ac propterea licent omnia quae ad hunc finem obtinendum requiruntur, etiamsi natura sua servilia sint. (S. Alph. n. 274 seq.) Ideo excusantur qui nostris diebus opera hujusmodi suscipiunt vel indicunt ad viatores via ferrea transvehendos.

2° *Ducere currus vel navigia onusta*, S. Alph. (n. 276) opinatur probabilius non esse servile, non tantum quando iter jam coeptum continuatur, sed etiam quando die festo inchoatur. Attamen, spectata consuetudine in nostris regionibus vigente, id reputatur servile, quotiescumque currus vel navigia cum magno labore sunt oneranda; sed excusat non raro utilitas publica, aut damnum vitandum, ex. gr. in quibusdam mercibus transvehendis via ferrea vel navigio imponendis.

3° Seclusa consuetudine contraria, non reputatur servile *molere*, quando mola agitur aqua, vento, vapore vel, si cooperatio hominis est modica, etiam bestiis. (S. Alph. n. 277; Ball. P. n. 24)

4° Non reputatur servile, saltem probabilius, *pingere*, quando id per modum artis exercetur; servile autem foret terere colores, dealbare parietes, etc. *Sculpere* vero plerique AA. cum S. Alph. (n. 281) inter artes mechanicas et consequenter inter opera servilia reponunt; sed rectius picturae assimilari ducimus. Quare sculptoribus figurarum licet, diebus festis, exsequi ea quae ad artem pertinent, ut statuas perficere; non licent ea quae potius ab operariis proprie dictis peragi solent, ut lapides parandis statuis secare, marmora polire, etc. (Ball. P. n. 29) Artem photographicam exercere, aliqui (ut D'Annib. III. n. 121. nota 8) simpliciter licitum reputant, alii ut Berardi (Prax. Conf. n. 372) rectius opinantur licere quatenus non poscit magnum laborem, ex.gr. ad sumendam, quam vocant, negativam imaginem : nec puto hanc restrictionem a mente priorum recedere.

5° Servile non videtur *delineare, retrahere imagines vel exemplaria acu*, ut solent feminae, *acu pingere*. (S. Alph. n. 281) Rationem afferunt sat difficilem : quod haec magis referuntur ad exercendum ingenium quam ad operandum. Certe non licent ceteri labores, etiam leves, quos in vestibus ornandis ponere solent feminae.

6° *Imprimere* censetur opus servile ; quidam tamen licitum putant characteres, die festo, collocare, quia hoc spectat potius ad conceptus mentis exprimendos, fere sicut scriptio. Licet haec ratio valde debilis sit, attendendum tamen probabilitatem a S. Alph. (n. 279) huic opinioni agnosci. Melior excusatio quandoque desumetur ex urgente necessitate, puta in imprimendis ephemeridibus vel nuntiis.

7° *Venatio* et *piscatio* non reputantur servilia opera, nisi cum magno labore conjungantur. (S. Alph. n. 283)

8° Labores levissimi, ex. gr. *conficere rosaria, scapularia, imagines cereas, flores artificiales, etc.* per se sunt serviles ; attamen, praesertim quando privatim peraguntur, non autem, sicut per hebdomadam fieri solet, a mulieribus in unum congregatis, saepe per consuetudinem licent. (Gury, I. n. 236 ; Ball. P. n. 38)

9° Labores etiam ardui qui fiunt *ad coquendos cibos*, vel *ad usum domesticum quotidianum*, ut purgare vestes, calceos, domum, non reputantur serviles, vel saltem numquam sunt prohibiti. Non sunt tamen absque causa conficiendi, die festo, cibi qui serventur in hebdomadam. Ceterum quatenus liceant labores domestici, melius docet consuetudo. (S. Alph. n. 298 ; Ball. P. n. 67 seqq.)

335. IV. Prohibentur diebus festis etiam **opera judicialia**, ut citare testes, exigere juramentum judiciale, proferre aut exsequi sententiam, in tribunalibus tam civilibus quam ecclesiasticis. Constat ex Jure Canonico. (Decr. l. 2. t. 9. c. 1) Attamen licent ea quae sine strepitu judiciali exerceri possunt, puta judicem privatim informare, advocatum consulere, consilia conficere. (S. Alph. n. 284 seqq.) Plures exceptiones his generalibus regulis apponunt veteres AA. quas videsis apud Canonistas in cit. tit. Decretalium.

Haec prohibitio satis servari solet in nostra regione ; sicubi non servaretur, saepe ob causam gravem excusaretur cooperatio materialis in iis qui citarentur, etc.

V. Prohibentur tandem Jure Canonico (l. c.) **opera civilia** seu **mercatus**. Haec tamen prohibitio magna ex parte in desuetudinem abiit. Ideo jam videtur hodie universim licitum contractus, ex. gr. emptionis venditionis, perficere, nisi intervenire debeat publica solemnitas seu judicis auctoritas. (S. Alph. n. 286) Regulariter tamen venditiones in

officinis, saltem apertis, manent prohibitae ; licent vero ubi adest consuetudo contraria, quae certe in Belgio videtur obtinere. Idem dicendum de nundinis quae saepe, in nostris regionibus, die Dominica celebrantur, vel de venditione sub hasta. (Gury, I. n. 356) Reapse nostrates, etiam timorati, non solent quidquam ex his ut peccatum accusare : quae bona fides non est perturbanda, eo vel magis quod, omnium consensu, magna est vis consuetudinis in rationem observandi festa. Conandum tamen ut officinae claudantur et mercatus diebus istis minuantur, cum praesertim nimia haec negotiandi consuetudo multos a Sacro audiendo abducat.

VI. Prohibitio operum tum servilium, tum forensium (judicialium et civilium) est **gravis ex genere suo.**

Quanto autem tempore laborandum sit ut compleatur materia gravis, plurimum discrepant AA. Plerique hodie, post S. Alph. (n. 305), requirunt ut multum ultra duas horas, puta per duas horas cum dimidia, producatur labor prorsus servilis ; etiam ultra tres horas, si labor est servilis, sed valde tenuis. Hinc patet raro graviter peccare eos qui recreationis causa privatim laborant, quia labor solet esse valde tenuis, neque ultra tres horas produci. In forensibus autem gravitas non pendet a quantitate temporis, sed a qualitate negotii peracti, puta si, absque justa ratione, causae publice agerentur die festo.

Practice, cum saepius judicandum sit de facto praeterito, attendendum est ad conscientiam poenitentis : nam ab hac pendebit mensura reatus. (n. 48) Insuper cavendum a scandalo quod in locis strictioris observantiae facilius grave foret si quis publice, etiam per sat breve tempus, laborem prorsus servilem exerceret.

§ 2. DE CAUSIS OB QUAS LICEANT DIEBUS FESTIS OPERA SERVILIA.

336. Hic tantum agemus de causis ob quas lex prohibens opera servilia cesset ab intrinseco. Nam de dispensatione jam dictum est n. 119 seq. Hae autem causae reduci possunt ad tres : pietatem erga Deum, caritatem, necessitatem.

I. Ex pietate licent certe opera quae *proxime* spectant ad cultum Dei, ut pulsare campanas, circumferre imagines in processione ; quae autem ad eumdem omnino *remote* spectant, ut vehere lapides ad construendam ecclesiam, dealbare parietes templi, conficere corporalia, planetas et similia ornamenta, non licent nisi in favorem ecclesiae indigentis. Indigentes autem censeri possunt hodie multae ecclesiae, cum

jam Salmanticenses, a S. Alph. (n. 293) citati, sentiant fere omnes ecclesias et monasteria suo tempore egestate laborare.

Tandem actiones quaedam, quae *medium tenent* inter duas species supradictas, ut verrere templum, coquere hostias, tabulata erigere ad piam festivitatem necessaria, certe non prohibentur sub gravi; inspecta autem consuetudine vigente, videtur veniale illa transferre ad diem festum, si pridie commode fieri possent, quamquam S. Alph. (n. 292) satis probabilem ducit sententiam quae id etiam a veniali excusat.

II. Ex caritate erga proximum, licet opera, etiam servilia, praestare quae necessaria sunt ad subveniendum aegrotantibus, vel quae ipsi pauperes, ob propriam necessitatem, pro seipsis facere possunt, ut si quis ex caritate reficeret eorum vestimenta quae ipsi, die festo, licite reficerent.

Laborem autem assumere ut ejus fructus vel stipendium pauperibus tribuatur, non licet, ubi illi versantur tantum in communi necessitate; licet tamen unicuique, prout ipsis pauperibus, ubi isti in gravi vel extrema necessitate versantur. Insuper, si conficitur vestis vel res similis quae non sit vendenda, sed ipsis pauperibus tribuenda, id probabiliter licitum opinatur Ball. P. (n. 60), neque abhorret Lehmkuhl (I. n. 552).

337. III. Ex necessitate propria vel aliena, licent opera servilia si absque gravi incommodo aut detrimento animae vel corporis omitti non possint (n. 114). Hinc :

1° Licet servis, ancillis, operariis aliisve personis subditis morem gerere heris vel parentibus qui ipsis, diebus festis, opera servilia absque justa causa praecipiant, quotiescumque id sine gravi damno recusare nequeant. Hinc non est plerumque imponenda operariis obligatio deserendi herum a quo his diebus laborare jubentur : nam plerumque alium, vel nullatenus, vel nonnisi cum magno salarii detrimento reperire possunt. Generatim ergo confessarius consilium tantum id faciendi tribuat ubi putat profuturum.

2° Excusantur qui diebus Dominicis festisque lavant reficiuntve vestes suas aut suorum, eo quod per hebdomadam, aliis operam suam locantes, id praestare nequeunt, ut crebro contingit in ancillis et operariis.

3° Privatim et absque scandalo laborare licet pauperibus qui, nisi id faciant, non habent quo se suosque alant, vestiant, etc. (S. Alph. n. 297)

4° Licet pistoribus conficere diebus festis panem et placentas, ut possint recentes ementibus praestare. Similiter lanionibus licet animalia occidere et excoriare, si pridie commode fieri non potuerit, ut solet

evenire in magnis civitatibus; non autem in oppidulis, nisi sit tempore aestivo vel nisi concurrant plura festa. (S. Alph. n. 298 seq.)

5° Licet prosequi opus quod semel coeptum non potest sine damno interrumpi, ex. gr. coquere lateres, conflare ferrum et vitrum, etc. Attamen notandum heros officinarum (usines, hauts-fourneaux) teneri sub gravi ad prosequendam diebus festis eam tantum operum partem quam sine notabili damno interrumpere non possent. Saepe enim omnia indiscriminatim prosequuntur eo tantum fine ut majus lucrum reportent.

6° Excusantur qui laborant propter necessitatem aliquam publicam vel privatam quae moram non patiatur, ex. gr. in reparanda via ferrea vel ponte, in resarcienda rota currus qui sequenti die in itinere adhibendus est, etc. (S. Alph. n. 300)

7° Sartores, sutores similesque operarii excusantur si labores suos protrahunt in diem festum quia res urget, puta ad conficiendas vestes funebres, ad satisfaciendum clienti exspectanti et aegre ampliorem dilationem passuro, etc. Sed cavendum est ne se absque causa sufficienti in hanc necessitatem conjiciant, plura opera assumendo quam quae cum operariis suis ante diem Dominicam perficere possint : hoc enim facere prohibendi sunt, nisi in aliquo casu opus oblatum sine magno damno recusare nequeant. In praxi confessarius severum se exhibeat erga eos qui *consuetudinem* diebus festis laborandi contraxerunt, facilem cum iis qui *interdum* id faciunt : hi enim, non illi solent jure excusari. (Ball. P. n. 76 seq.).

8° Agricolae opera ruralia praestare possunt ad cavendum damnum, ex. gr. e pluvia imminens, ut metere, foenum colligere, fructus decerpere, etc.

9° Probabilius etiam excusat ratio faciendi magni lucri *extraordinarii*, quia talis lucri amissio moraliter idem est ac pati magnum damnum, saltem pro iis qui se laboribus suis sustentant. (S. Alph. n. 301)

10° Licet laborare ad paranda ea quae ad publicam aliquam festivitatem necessaria sunt, ut conficere theatra, lampades illuminandae civitati disponere et similia, dummodo haec die profesto commode fieri non possint. " Ratio, quia talia signa laetitiae sunt reipublicae moraliter necessaria : et ideo permittuntur ex consuetudine. „ (S. Alph. n. 304)

11° Excusat etiam ratio otii vitandi, non quidem universe, ut patet, sed quando labore vitari potest periculum vere probabile labendi in peccata : nam ad vitandum damnum spirituale licere debet quod licet ad vitandum temporale. (Ball. P. n. 82) Ideo permitti posset aliquis labor *domesticus* operario qui, nisi ita occupetur, solet adire cauponas, inebriari, blasphemare, etc. Similiter dicendum de iis qui, cum nulla delectamenta habeant, moraliter loquendo, per solum laborem a pec-

catis multis abstinebunt, quales sunt carcere detenti. Si qua pia mulier de otio dierum festorum quereretur, nec tamen in molestis tentationibus causam excusantem haberet, posset ei consuli ut conficeret ornamenta pro ecclesiis indigentibus vel vestes pro pauperibus. (n. 336 ; cfr. Tambur. Decal. l. 4. n. 18)

CAPUT II.

DE MISSA DIEBUS FESTIS AUDIENDA.

§ 1. DE RATIONE QUA MISSA AUDIENDA SIT.

338. I. Praeceptum Ecclesiae obligat omnes baptizatos usum rationis habentes ut diebus Dominicis et festivis intersint Missae, i. e. sacrificio N. L. una cum caerimoniis quas eidem Ecclesia adnexuit. Constat ex antiquissima consuetudine, quam Jus Canonicum supponit potius quam promulgat. (Decr. Gratiani, p. 3. de Consecr. dist. 1. c. 62)

Nullum vero positivum praeceptum adstringit fideles ut, his diebus, intersint aliis quibusvis functionibus sacris, puta Vesperis, concioni, etc. Ratio est, quod de tali praecepto, neque sub gravi, neque etiam sub levi constat : quod et consuetudo hodierna, etiam in nostris regionibus, abunde confirmat. (Ball. P. n. 161 seqq.) Quare ad haec pietatis exercitia fideles consilio, non stricto praecepto impellendi sunt. Attamen interdum dari posset obligatio etiam gravis ut aliquis interesset concioni vel catechesi, nempe si ignoraret ea quae de religione scire teneretur, et aliud medium ad haec addiscenda adhibere nollet vel non posset. Quousque haec obligatio se extendat, patebit ex antea dictis de sciendis ex necessitate medii vel praecepti. (n. 191 seq.)

339. I. Missa integra diebus festis est audienda : quod praeceptum per se sub gravi obligare consentiunt omnes ; quamnam vero partem absque gravi peccato omittere liceat, multum controvertitur. Haec determinatio minus utilis est ad definiendum reatum omissionum partialium de quibus se accusant poenitentes. Plerique enim peccare solent quia tardius, jam incepto Sacro, in ecclesiam veniunt : jamvero eorum omnium reatus pendet a gradu negligentiae in curanda Missae integritate, et a praevisione periculi cui se voluntarie exposuerunt eam non audiendi. Eadem determinatio magis conducit ad sciendum quandonam

omissio tanta sit ut, etiamsi involuntaria fuerit, substantiae praecepti non sit satisfactum, ideoque alterum Sacrum (si fieri potest) audiendum maneat.

Jamvero de hoc argumento haec statuisse sufficiet :

1° Graviter peccat qui saltem *tertiam Missae partem* omittet : haec enim est certe notabilis relate ad totum. Hoc tamen non omnino absolute intelligendum est. Nam probabile est, juxta multos AA. et S. Alph. (n. 310), leviter tantum peccare qui omittit totam Missam Catechumenorum, i. e. omnia usque ad offertorium exclusive : quae quandoque tertiam Missae partem efficiunt. Ubi autem minor quam tertia pars omittitur, jam res controvertitur, nisi omissa fuerit pars quaedam praecipua.

2° Etiamsi non omittitur pars duratione notabilis, praecepti substantia laedi potest si quis non interest iis partibus quae essentiam sacrificii constituunt, vel quae cum ea majorem propinquitatem habent. Ideo certe non satisfacit qui simul et consecrationem et communionem omittit : verum, ob controversias de essentia sacrificii, id dubium jam fit si quis alterutram tantum omittit, praesertim communionem. Cfr. Vol. II. n. 213. Insuper sat brevis omissio in canone, maxime a consecratione usque ad sumptionem, posset evadere gravis. Amplior determinatio neque ad praxim postulatur, neque cum solido fundamento fieri potest. Cfr. S. Alph. n. 310 ; Ball. P. n. 106.

3° Ex ipso praecepto clare apparet venialiter peccare eum qui, voluntarie et sine causa excusante, omittit quamvis levem Missae partem. Excipitur tamen ultimum Evangelium quod ad integritatem non pertinet.

4° Si quis advenit peracta jam consecratione, probabilius ad reliqua audienda non tenetur, eo quod, juxta sententiam omnino probabiliorem, sacrificii essentia in sola consecratione consistit. (Ball. P. n. 107) S. Alph. (n. 310), licet hanc rationem probet, opinatur contrariam sententiam in praxi tenendam esse, eo quod audiri potest pars notabilis caerimoniae sacrae ab Ecclesia praescriptae. Sed Ecclesia caerimoniis illis interesse jubet quatenus cum sacrificio connectuntur, non autem parti earum, peracto jam sacrificio. Idem S. Doctor (l. c.) censet eum qui levem Missae partem omisit teneri ad eam supplendam, si possit. Alii vero, ut Suarez (de Euch. disp. 88. sect. 2) et Ball. P. (n. 108), rectius eam obligationem negant, quia praeceptum jam substantialiter impletum est, neque res morales, praesertim cum leviores sunt, adeo rigorose sunt exigendae.

5° Certe non satisfacit qui duas dimidias Missas simultanee a duobus sacerdotibus audit. Constat ex damnatione prop. 53ae ab Innoc. XI : " Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. „ Reapse hac propo-

sitione prorsus pervertebatur notio legis ecclesiasticae, jubentis fideles adesse *uni* sacrificio eucharistico cum caerimoniis adnexis, ejusque observatio illusoria fiebat.

6° Non videtur satisfacere is qui a duobus sacerdotibus successive duas dimidias Missas audiat, nisi audiat ab uno sacerdote usque ad consecrationem exclusive et ab altero a consecratione usque ad finem. (S. Alph. n. 311 ; Lugo, de Euch. disp. 22. n. 7 seqq.) Ratio praecipua est, quod Ecclesia praecipit interesse Missae quae sit unum et integrum sacrificium ; sed consecratio quae est in una Missa nequit uniri cum communione quae est in altera : siquidem pertinent ad duo sacrificia distincta. Multi tamen, praesertim inter veteres DD., tenebant universim satisfieri, etiamsi consecratio in una parte et communio in altera habeatur : quare plures ex eorum adversariis (ut Lugo, l. c. n. 8) eam sententiam tamquam extrinsece probabilem agnoscebant.

340. III. Ut aliquis audiat Missam, imprimis oportet ut sit **corpore praesens.** Ad hoc autem duo requiruntur et sufficiunt :

1° Ut moraliter censeri possit conjunctus iis qui in conspectu altaris versantur.

2° Ut ex signis externis, sive per visum, sive per auditum, colligere possit quid a celebrante agatur, etiamsi per accidens nihil audiat, videat aut intelligat.

Quare satisfacit qui extra templum stat eo quod ob nimiam multitudinem ingredi nequit, e signis tamen adstantium Missam sequitur ; qui versatur in sacristia, etiam janua clausa, si celebrantis vocem audire potest (Lehmk. I. n. 557); qui in magnae basilicae capella remotissima ab altari, in quo celebratur, positus, celebrationem aliqua ratione sequi potest; qui e domo sua, interjecta via, respicit altare, modo distantia sit parva. (S. Alph. n. 312)

341. IV. Ad audiendam Missam insuper requiritur ut audiens sit **animo praesens.** Ad hoc iterum requiruntur et sufficiunt duo : intentio et attentio, scilicet :

1° Requiritur *intentio audiendi Sacrum* seu *ponendi actum religiosum.* Ideo non satisfacit qui Sacro interest ebrius, somno sopitus, coactus et reluctans, nec qui in ecclesia tempore Sacri moraretur ad exspectandum amicum, sine intentione audiendi Missam. (Lugo, l. c. n. 23) Idem dicendum de eo qui Sacro adesset *unice* ut furaretur, vel puellam inhoneste aspiceret. (Ball. P. de Leg. n. 218) Satisfacit vero qui, simul cum hujusmodi intentione graviter peccaminosa, habet intentionem audiendi Sacrum, vel qui non intendit satisfacere praecepto Ecclesiae. (n. 109)

2° Attentionem aliquam requiri omnes consentiunt, sed qualis esse debeat plurimum controvertitur. Probabilius sufficit attentio quam vocant *externam*, quae in eo sita est quod non fiat sub Sacro aliquod negotium vel occupatio externa, quae ex se distrahere debet mentem ab auditione Missae, qualia forent pingere, legere historiam aut quaestiones speculativas, confabulari, ludere. Ratio autem est, quod talis attentio externa, ut Vol. II. n. 59 ostendetur, sufficit probabiliter ad faciendam veri nominis orationem; a fortiori ergo sufficit ad Sacrum audiendum: siquidem, ut fatentur multi graves DD. etiam contrariae sententiae adhaerentes, Ecclesia non praecepit ut fideles sub Sacro orarent, sed tantum ut *devote* illi adsisterent. Bene et practice Lessius (Auctarium, v. Missa, cas. 2. n. 8) dicit " sufficere ut intersit cum reverentia, ut Sacrificium *praesentia sua honoret*. Unde sufficit attentio quaedam confusa, qua advertat ibi sacrificium offerri. „ Hanc sententiam, saltem ut probabilem, tuetur Lugo (l. c. n. 25) et S. Alph. (n 313) satis probabilem opinatur. Alii tamen multi DD. cum S. Alph. (l. c.) opinantur probabilius requiri attentionem veram seu internam, ita ut qui voluntarie distractus sit per notabilem Missae partem, praeceptum non impleverit. Hinc practice:

1° Non sunt de gravi peccato arguendi qui, ut fit, nunc confabulantur, nunc attendunt: haec enim ita fieri solent ut salva sit attentio illa confusa, quam sententia benignior sufficere autumat ad satisfaciendum praecepto, licet multa peccata venialia irreverentiae committantur. Similiter dicendum de iis qui voluntarie cogitationibus vanis vel etiam pravis indulgent.

2° Satisfaciunt praecepto qui, durante Sacro, organa pulsant, canunt, eleemosynas colligunt, dummodo saltem in confuso ad Missam attendant. (S. Alph. n. 317) Idem dic de semi-sopitis vel semi-ebriis.

3° Juxta plerosque AA. (S. Alph. n. 314), non satisfaciunt qui per notabilem Missae partem peccata confitentur. Ratio quam S. Alph. meliorem aestimat, haec est: quod neque externa praestaretur attentio, dum confitens adesset ut reus, non jam ut offerens sacrificium cum sacerdote. At contraria sententia tum extrinsece, tum intrinsece probabilis est, ut fuse ostendit Ball. P. (n. 89 seqq.) Nam non magis incompossibilis est cum confessione attentio aliqua confusa ad Sacrum, quam cum examine conscientiae, auditione confessionis et similibus occupationibus piis, quas plerique cum impletione praecepti componi posse concedunt. Deinde, ut advertit Lessius (l. c.). si actus ille confitendi dirigitur ad participandum sacrificio (quod practice sane intendunt sub Sacro confitentes), huic actui intendere est implicite intendere sacrificio et illud honorare.

4° Similiter videtur satisfacere qui, dum Missa fit, apud aliud altare orat vel Viam crucis prosequitur, dummodo intendat simul Missae

interesse, eamque aliqua ratione sequi possit.

5° Satisfaciunt etiam Missae inservientes qui in sacristiam recedunt ut afferant vinum, thuribulum, etc., quia, cum haec ordinentur ad officium, non censentur abesse, et toti Sacro inservierunt. (Ball. P. n. 97)

342. V. Fideles satisfaciunt praecepto *ubicumque Missae assistunt*, seu in ecclesiis proprie dictis, seu in oratoriis publicis vel semi-publicis.

Id jamdudum ex universali consuetudine et communissima DD. sententia constabat. Nuper autem Leo XIII, per decretum S. C. R. 23 Jan. 1899, omnem ambiguitatem sustulit de oratoriis semi-publicis, declarans: " In his omnes qui sacrosancto Missae Sacrificio intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere „. Eodem decreto declaravit: " Oratoria semi-publica ea esse quae, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen, non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicujus communitatis vel personarum coetus inserviunt.... Hujus generis oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica ; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis ; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas ; ad Convictus et Hospitia juventuti, litteris, scientiis, aut artibus instituendae destinata ; ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad Arces et Carceres ; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent Capellae, in coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione, non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat. „

His oratoriis accensenda sunt ea quae erecta sunt in domibus episcoporum atque Ordinum Congregationumque Regularium : quorum jura ac privilegia sarta et tecta esse voluit Leo XIII, prout in cit. decreto declaratur.

Igitur duo tantum sunt casus in quibus fideles, audito Sacro, Ecclesiae praecepto non satisfaciunt :

1° Ubi Missa celebratur *in oratorio stricte privato*, seu in domibus privatis existente, in quo celebrare non licet nisi ex licentia S. Sedis. (Vol. II. n. 241) Ibi enim non satisfaciunt nisi ii quibus in Indulto conceditur, nempe ii ad quos Indultum dirigitur, eorum filii et cognati vel affines ad quartum usque gradum, in eadem domo commorantes, et, quoad oratoria ruri sita, etiam hospites nobiles, quibus plures DD. accensent ad prandium invitatos : tandem familiares qui sive ad obsequia, sive ad congruum comitatum necessarii sunt. Cfr. Ball. P. nn. 119-136 et Gasparri, de SS. Euchar. I. n. 235, fuse horum Indultorum clausulas explicantes. His oratoriis accensenda non videntur privata Regularium oratoria quae ab eorum Superioribus, vi privilegiorum suorum, erecta

sunt, prout a S. C. R. 22 Maii 1841 (Gard. n. 4922) responsum est de oratoriis quae ab Ordinario sint designata et approbata, atque, propter identitatem rationis, dicendum est de iisdem oratoriis, ubi Superiores Regulares legitime succedunt Ordinario in eorum designatione. (Piat. Prael. Jur. Reg. II. p.236) Neque ab hac regula excipienda sunt oratoria quae ab iisdem Superioribus, e concessione S. Sedis, erigantur in locis profanis, ubi quidam Regulares ad tempus degunt, ut puta in villis, sicut licet Provincialibus Societatis Jesu, vi Brevis Gregorii XIII dati 3 Maii 1575. Cfr. Van Gameren, De oratoriis p. 291 seqq. Imo etiam idem censemus dicendum esse de oratoriis secundariis quae, ex speciali indulto S. Sedis erigantur (Vol. II. n. 241), nisi expresse in indulto ad quasdam personas determinatas coarctaretur facultas ibidem satisfaciendi praecepto. Etenim iis oratoriis non convenit definitio oratorii privati stricte talis quae in decreto 23 Jan. 1899 datur : " quae in privatis aedibus in commodum alicujus personae vel familiae ex Indulto S. Sedis erecta sunt. „ Ea igitur oratoria non sunt accensenda oratoriis stricte privatis, in quibus solis, juxta cit. decretum, satisfieri nequit; eo vel magis quod illud decretum late interpretandum est, utpote datum in materia quae nemini praejudicium afferat. Attamen si a Regularibus vel religiosis oratorium in loco profano erigeretur vi specialis indulti Pontificii, videndum esset quibus conditionibus haec concessio facta esset, ac proinde si in documento Pontificio quibusdam tantum personis concederetur facultas ibidem satisfaciendi praecepto, non esset haec facultas ad alias extendenda. (Piat, l. c.)

2° Ubi Missa, ex privilegio mere personali, *in altari portatili* celebratur. Cfr. Vol. II. n. 244. Attamen satisfit quotiescumque Sacrum in tali altari celebratur ab episcopo vel in episcopi praesentis commodum. Etenim 8 Jun. 1896, Leo XIII per rescriptum S. C. R. concessit ut episcopi omnes, sive dioecesani, sive titulares, non solum " in proprio habitationis oratorio aut super altari portatili, ubicumque degant, Missam facere, aliamque in sui commodum permittere valeant, sed etiam fideles omnes, alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant. „ Manifeste etiam satisfit, quando celebratur in altari portatili, ex privilegio quod S. Sedes concedere solet Missionariis, non ut favorem personalem, sed ut Sacrum fieri possit ubi desunt oratoria et altaria fixa.

Sublata est igitur obligatio assistendi Sacro in propria paroecia, neque, in praesenti disciplina, eam instaurare episcopo licet. (Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 11. c. 14) Pariter e citato Decreto 23 Jan. 1899 liquet non esse penes Ordinarium impedire quominus fideles in sacellis semipublicis praecepto ecclesiastico satisfaciant : quamquam interdum justa de causa prohibere potest ne diebus Dominicis vel festis in eadem admittantur. (Van Gameren, l. c.)

§ 2. DE CAUSIS OB QUAS LICET MISSAM OMITTERE.

343. I. Supponimus hic assistentiam Missae esse *physice* possibilem: nam de causis excusantibus quaestio nulla est ubi aliquis Missae interesse nequit, etsi maxime velit, ex. gr. quia detinetur in carcere in quo Missa non celebratur. Idem dicendum de iis qui physice nequeunt praestare assistentiam qualis ab Ecclesia requiritur, ut sunt amentes vel surdi simul ac caeci. Causae autem excusantes a multis AA. ad varia capita referuntur, puta impossibilitatem, caritatem, consuetudinem. Malumus tamen cum S. Alph. (n. 324) omnes reducere ad **quodlibet incommodum notabile** seu **mediocriter grave** in bonis animae vel corporis, propriis vel proximi. Quod Ball. P. (n. 145) explicat hac regula aequivalenti : " Excusari ab audienda Missa quempiam, quando tale timet incommodum propter quod omitteret vel omitti prudenter solent alia negotia alicujus momenti. „

344. II. Quasdam **causas excusantes** hic enumerabimus : si quae aliae in praxi occurrunt, melior dijudicandi ratio non datur quam ut conferantur cum istis et, si moraliter par incommodum cernatur in hac nova excusationis causa, sufficiens declaretur.

1° Excusantur *aegroti* et *convalescentes* qui ex assistentia Missae timent non leve damnum vel moram notabilem ad convalescendum ; similiter qui, cum sint debili valetudine, inde timent notabile gravamen capitis, virium lassitudinem, cruditatem, etc. In dubio, non est necessario recurrendum ad judicium medici vel parochi, sed ipse aegrotus rem dirimere potest, si idoneus est prudenti judicio de ea ferendo. (S. Alph. n. 325) Quodsi, consilio adhibito vel re perpensa, dubius haeret num causa sufficiat, potest eam habere ut sufficientem : nam manet *periculum* gravis incommodi, nec censenda est Ecclesia, utpote benigna Mater, tunc urgere obligationem. E principio generali supra posito, Ball. P. (l. c.) deducit omitti posse Missam ab iis qui, propter aegritudinis molestiam vel periculum, omittunt visitationes amicorum, cursitationes ad negotia tractanda, etc.

2° Excusantur ii qui *custodiunt domos, greges, infantes vel pueros* qui, sine incommodo vel perturbatione adstantium, in ecclesiam adduci nequeant. Similiter qui *necessarii sunt ad curandum infirmum*, vel hunc deserere non possent quin inde gravem pateretur tristitiam. Attamen, si plura Sacra in hoc loco celebrantur, videndum est num forte alternatim ad ecclesiam tendere possint maritus et uxor, herus et famulus, etc. Nam, si id fieri potest sine notabili incommodo, faciendum est. (S. Alph. n. 326)

3° Excusantur uxor, filii vel famuli qui ad Sacrum tendere non possent *sine gravi offensione mariti, parentum vel dominorum.* Rarius haec gravis offensio timenda erit uxori vel liberis jam grandioribus ; crebrius id continget famulis vel operariis. Hic fere applicanda sunt quae de simili casu dicta sunt n. 337, ad 1^{um}. Nota, juxta S. Alph. (n. 327), non peccare dominum qui juberet famulos, tempore Missae, praestare ministerium quod sine notabili incommodo omitti non posset, nec patrem qui filium domi clausum teneret in poenam.

4° Excusat *iter pedestre unius leucae cum quadrante* seu circiter, etiam hominem robustum et sanum, quando et tempestas favet et viae sunt faciles ; quando distantia est minor, prudenter existimandum num forte debilitas personae, asperitas tempestatis vel viarum, etc. iterum satis notabile incommodum procreent. Nec refert utrum aliquis in loco ita ab ecclesia distante commoretur an illum nuper adierit, dummodo non posuerit impedimentum quando lex jam proxime urgebat. (n. 116) Merito censet Lehmkuhl (I. n. 565) non excusari eum qui, sine novis expensis, paratum habeat currum quo vehatur; quandoque tamen in hoc medio adhibendo notabile incommodum occurrere potest.

5° Consuetudo excusat *puerperas* quae se domi continent post partum per aliquod tempus, quod, judicio S. Alph. (n. 330), esse potest sex hebdomadarum. Excusantur quoque vidua, filia, soror quae se domi continent *ratione luctus :* his S. Carolus Borromaeus in Conc. I. Mediol. unum mensem concessit; sed in nostris regionibus mos non est ut tamdiu se domi contineant. Similiter excusanda videtur puella cujus banna sunt proclamanda, si eam pudet his interesse, neque commode aliam Missam audire potest. (Ball. P. n. 155 seq.)

6° Admittenda quoque excusatio eorum qui non audent Missae interesse, quia desunt ipsis *vestimenta* statui ipsorum convenientia, vel puellarum *ex occulta fornicatione praegnantium.* Hi tamen deberent audire Missam summo mane vel ubi pauci adstant, si ita pudorem hunc vitare possent. (S. Alph. n. 330 ; Ball. P. n. 156 seq.)

7° Excusat ratio *magni et extraordinarii lucri* amittendi, sicut supra (n. 337, 9°) dictum est, ex. gr. si rhedario die Dominica offertur pingue stipendium ut per totum mane alicui praesto sit.

8° Qui Missam audire die festo non potest nisi utendo privilegio suo, probabilius ad hoc non tenetur, ex. gr. sacerdos qui non potest celebrare nisi super altari portatili vel in privato oratorio, conclavi, nave (Laymann, l. 4. tr. 5. c. 4. n. 3); item dominus oratorii privati qui nequit ecclesiam adire, sed commode sacerdotem invenire potest. Non enim tenetur ad utendum privilegio sibi specialiter concesso, ne favor in onus mutetur. (n. 147 ; Ball. P. n. 138) Contrarium tamen opinatur S. Alph. (n. 319), quia praeceptum obligat ad audiendam Missam omnes qui illud sine gravi incommodo implere valent.

N. B. Convenit inter AA. eum qui legitime impeditur quominus Missam die festo audiat, non teneri ad alias preces in compensationem recitandas, quamquam haec praxis valde commendanda est. Opinatur tamen Lehmkuhl (I. n. 567): fideles teneri ex praecepto *divino* ut aliquoties saltem, si fieri possit, Sacro intersint, ac proinde eos qui ordinarie impediuntur quominus intersint Sacro diebus festivis, teneri aliquoties ad ferendum gravius incommodum ut intersint vel, si hoc nequeunt, debere eidem interesse aliquoties diebus ferialibus, v. gr. ter quaterve in anno. Sed haec, licet optima consilia sint, non videntur stricte imponenda. Nam valde dubium est fundamentum assertae illius legis divinae, nempe: " Si ex divino praecepto, ut communius fatentur, sacerdos aliquoties in anno celebrare tenetur, fideles etiam potiore jure sacrificii N. L. participari debent. „ Ipsa nempe obligatio sacerdotum limites probabilitatis non excedit, ut suo loco dicetur (Vol. II. n. 224), neque apparet cur fideles adstringat obligatio haec quam in sacerdotibus tantum ob specialem eorum characterem DD. multi agnoscunt. Per accidens tamen possent obligari ad Sacrum quandoque per hebdomadam audiendum ii qui numquam eidem interesse possint diebus festivis, vid. si id, spectatis adjunctis, videatur necessarium ne ab omni praxi religiosa alieni fiant, seu " ne omnino silvescant. „ (Lessius, l. c. n. 12)

SECTIO IV. — DE QUARTO PRAECEPTO.

345. Quartum Decalogi praeceptum sic effertur: " Honora patrem tuum et matrem tuam. „ (Exod. XX. 12) Licet directe de solis parentibus colendis agat, a DD. tamen intelligi solet quasi, indirecte saltem, comprehendat omnia officia quae a variis subditis exhibenda sunt Superioribus suis, et vice versa. Nam ratio ob quam colendi sunt parentes quadamtenus participatur ab aliis auctoritatem habentibus et munus simile parentum muneri gerentibus.

CAPUT I.

DE OFFICIIS LIBERORUM ERGA PARENTES.

346. I. Liberi, ex virtute *pietatis*, tenentur exhibere parentibus amorem, reverentiam et obedientiam. Parentes enim sunt principia nostri esse et gubernationis : unde, sicut Deo per religionem exhibendus est cultus, tamquam primo nostri esse et gubernationis principio, ita secundo gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus. (2. 2. q. 101. a. 1) Est autem pietas virtus specialis, quia nititur speciali motivo : nam officium et cultum impendit parentibus, quatenus sunt connaturale principium producens in esse et gubernans. (ib. a. 3)

Haec obligatio est ex genere suo gravis, ita ut mortaliter peccet qui in re gravi desit amori, reverentiae vel obedientiae. Imo facilius hoc peccatum grave est, ubi fit respectu parentum quam aliorum Superiorum : eo quod ratio, ob quam haec officia debentur, plene in parentibus reperitur, minus plene in aliis Superioribus. (S. Alph. n. 333)

II. Contra **amoris officium** graviter peccant liberi (S. Alph. l. c.) :

1° Si signa odii parentibus ostendant eosque aspere tractent. Cum autem pietas strictius urgeat quam caritas, interdum grave erit quod, contra ceteros factum, leve tantum foret.

2° Si *modo habituali* parentes torvo oculo aspiciant vel aspere alloquantur perinde ac si eos odio haberent.

3° Si non subveniant parentibus in gravi necessitate spirituali vel corporali constitutis. Haec obligatio a S. Th. (l. c. a. 2) refertur ad obsequium parentibus per accidens, seu propter accidentalem eorum necessitatem, debitum. Exemplum subsidii temporalis praestandi habes in ope ferenda parenti pauperi, et visitatione facienda aegroto ; exemplum subsidii spiritualis, in obligatione curandi ut parens periculose decumbens sacramentis muniatur, et defunctus precibus et oblatione Sacri juvetur. Huic ultimo officio graviter tantum deesset qui, ratione habita facultatum suarum et consuetudinis, *nullam* talium suffragiorum curam haberet. (Ball. P. n. 7)

4° Si non impleant parentum testamenta et legata : quod tamen intellige pro viribus haereditatis acceptae. Similiter debita, tantum ratione bonorum acceptorum, solvere debent.

5° Si parentes interne odio habeant, vel iis mortem optent.

347. III. Contra **reverentiae officium** graviter peccant liberi (S. Alph. n. 334) :

1° Si eos percutiant, etiam leviter, vel manum ad percutiendum deliberate attollant : haec enim, etiamsi leviter adversentur justitiae, graviter opponuntur reverentiae. A peccato saltem gravi excusantur qui parentes usu rationis carentes, ob senium, ebrietatem, etc. sine contemptu vel malitia, verbis vel factis cohibent. (Gury, I. n. 366)

2° Si parentibus praebeant causam rationabilem gravis tristitiae, puta suspectas domos vel pravos socios frequentando, se inebriando, etc. Attamen, si filius haberet justam causam agendi aliquid ex quo praevideret parentes irrationabiliter gravem tristitiam habituros esse, posset hunc effectum malum, ob causam proportionatam, permittere. (n. 14)

3° Si parentes animo deliberato ad gravem iram provocent verbis contumeliosis vel talibus quibus praevideant eos graviter offensum iri. Quaenam verba censenda sint hujusmodi, e variis conditionibus hominum et regionum definiendum est. Sic plura dicta vel facta quae cives honestae conditionis gravi ira vel tristitia afficiunt, inter plebeios parvi vel nihili fiunt.

4° Si maledicta vel convicia in parentes conjiciant, eosve gestu vel risu subsannent. Haec tamen non erunt gravia, nisi fiant animo deliberato (qui saepe deest) et praesentibus parentibus, vel coram iis qui praevideantur rem parentibus relaturi. Nam si fieret ita ut parentes nec praesentes essent, nec rem cognoscerent, deesset ratio contumeliae ideoque, secluso animo graviter malevolo, leviter tantum contra pietatem peccaretur.

5° Si parentes pauperes nolint agnoscere vel despiciant. Attamen a peccato, saltem gravi, excusari possent si iis necessaria quidem suppeditarent, eos tamen ob causam justam apud se habere nollent, puta ob grave damnum quod inde liberi paterentur, aut crimen infame quo parentes notati essent ; idem dicendum si filius tantum externe dissimularet, sine interno contemptu.

348. IV. Ut **obedientia** parentibus praestanda rite definiatur, haec adverte :

1° Dum amor et reverentia semper debita manent, obedientia cessat urgere quando desinit patria potestas, scil. quando filii majores fiunt vel emancipantur. (n. 469) Attamen filium etiam majorem in patria domo commorantem urget officium obedientiae erga caput familiae, quatenus haec necessaria est ad rectum societatis domesticae ordinem.

2° Materia obedientiae praestandae complectitur ea omnia et sola quae ad patriae potestatis finem, vid. ad rectam plenamque liberorum educationem, conducunt. Ideo filii parentibus obedire non tenentur in rebus illicitis (ut per se patet), neque in iis quae pertinent ad statum eligendum : in hoc enim, saltem pubertatem adepti, sunt sui juris, ita ut graviter

peccent parentes qui liberis certum quemdam statum obtrudant, eosve a statu religioso, clericali vel conjugali amplectendo, sine justa causa impediant. Attamen parentes qui in gravi necessitate versarentur, exigere possent ut liberi sibi assisterent donec necessitas cessaret. (n. 346, II)

3° Ut liberi graviter delinquant, transgrediendo aliquod praeceptum parentum suorum, necesse est ut datum fuerit *expressum* et *serium* praeceptum et quidem *in materia gravi.* (S. Alph. n. 335)

Igitur a gravi culpa excusantur quotiescumque parentes verbis mere suadentibus utuntur. Quaenam materia censenda sit gravis, prudenti judicio est definiendum : generatim ea erit, qua omissa, grave detrimentum patientur parentes, domesticus ordo, bonum temporale vel spirituale ipsius filii, ut vitare prava consortia, ludos aleatorios, domos suspectas, etc. Non putaverim tamen graviter peccaturum filium qui omitteret aliquoties extra tempus Paschale ad sacramenta accedere, si parentes hoc jusserint, rati id esse necessarium ad eum in officio continendum, quod opinatur Lehmkuhl (I. n. 792) : nam de tali necessitate judicare ad confessarium pertinet.

Insuper, quando agitur de praecepto quod se ad plures actus successivos extendit, puta ne tardius domum redeat, grave peccatum non erit quando aliquoties id violatur, sed tantum quando *ordinarie* id fiet. (Ball. P. n. 18)

4° Peccatum illud grave inobedientiae non est speciatim in confessione accusandum, si materia praecepti jam aliunde sub gravi erat imperata vel prohibita lege naturali vel positiva : nam parentes generatim id sub eodem motivo praecipiunt, puta Missae interesse ex virtute religionis; peccata autem non multiplicantur ob plures leges ex eodem motivo latas. (n. 163; Ball. P. n. 19)

Excipe tamen, si (quod rarum est) peccatum inobedientiae *formalis* committeretur, nempe si filius praeceptum parentum violaret ea praecise intentione ut illud violaret. Hic enim est verus contemptus : qui si cadit in ipsam potestatem tamquam nullius momenti, vel in ipsum praecipientem, ita ut filius absolute illi parere nolit, peccatum grave erit et diversae speciei a reliquis. Cfr. n. 108. Attamen, si contemnitur tantum persona ob defectum prudentiae, probitatis, etc., et ex hoc contemptu violatur aliquod ejus praeceptum in re levi, non recusata obedientia in rebus majoribus, peccatum videtur leve. (Lessius, de Just. et J. c. 46. n. 45) (1)

5° Filius minor nec emancipatus a domo paterna discedere nequit

(1) Haec doctrina de malitia inobedientiae applicari potest transgressioni praeceptorum cujuscumque Superioris.

sine patris sui licentia. Ita jubet lex civilis (C. C. a. 374) quae, cum jus naturale determinet, in conscientia servanda est, excepto casu vocationis ad statum clericalem vel religiosum. Hinc, saltem ubi vigent similia jura, nequit filiusfamilias e domo paterna proficisci ad artem aliquam addiscendam vel quodvis honestum vitae genus amplectendum : quod per se licitum reputant multi Theol. (Laymann, l. 3. tr. 4. c. 8. n. 13)

Militiae nomen dare nequit filius minor, in Belgio, sine consensu patris vel matris viduae, vel tutoris si utroque parente orbatus est. (Legis 3 Jun. 1870. a. 100) Sic correctus est a. 374 C. C. Napoleonici quo id, completis 18 annis, permittebatur.

6° Liberi qui in studiis negligentes sunt, duplici de causa graviter peccare possunt : ob damnum quod parentibus inferant, ob praeceptum parentum quod transgrediantur. Secluso igitur stricto praecepto, filius parentum divitum, notabiliter studia negligens, non peccabit graviter. Facilius grave erit peccatum, si parentes mediocris tantum conditionis sunt : saepe tamen, ob aetatis inconsiderationem, leve erit; neque, ubi fructus sperari nequit, illius *gravitas* studentibus inculcanda videtur. (Ball. P. n. 88)

CAPUT II.

DE OFFICIIS PARENTUM ERGA LIBEROS.

349. I. Parentes ex virtute *pietatis*, tenentur ad amandos liberos et ad eos tum quoad corpus, tum quoad animam educandos : quae obligatio, ex ipso jure naturae oriunda, ex genere suo gravis est.

Deficientibus parentibus, ascendentes, ut avus, avia, eadem obligatione tenentur ; avus paternus ante maternum, quia, ex ordine generationis, succedit patri. Saepe parentum defectum supplet lex civilis, dato tutore vel curatore.

Extenditur haec obligatio ad filios etiam illegitimos vel spurios : nam par est fundamentum in naturali generatione. His ergo debentur alimenta, saltem secundum conditionem parentis qui vel quae inferiorem statum obtinet. (Decr. l. 4. t. 7. c. 5)

II. **Officio amoris** graviter desunt parentes qui :

1° Odio habent vel tam aspere tractant liberos ut hi merito inde grave odium in corde parentum foveri autument; item si iis gravia mala ex animo, non autem (ut plerumque fit) ex inconsiderato impetu irae precantur.

2° Liberis grave malum inferunt, ex. gr. per mutilationem, diffamationem, etc. In his, praeter peccatum injustitiae, speciale peccatum contra pietatem committitur.

3° Uni ex liberis prae alio notabiliter favent sine justa causa : hic enim solet esse fons dissidiorum et malorum gravissimorum.

350. III. Ad infantiae tempus haec parentum officia et peccata spectant :

1° Ante nativitatem tenentur abstinere ab iis quae infantem conceptum periculo abortus exponant : de quibus dicetur n. 378. Similiter cavere debent ne natum parvulum suffocent, dum eum, absque debitis cautelis, secum in lecto collocant.

2° Graviter peccant qui sine justa causa infantem deserunt : nam abjiciunt officium sibi lege naturae impositum. Huic peccato aliud grave contra justitiam accederet si illum exponerent cum gravi periculo vitae corporalis, ut in loco deserto, vel spiritualis, ut si praeviderent eum acatholice educatum iri, etc. Ubi vero justa causa est exponendi, ex. gr. grave periculum vitae vel famae amittendae, gravis necessitas, ut si lac desit matri, nec pater habeat quo conducat nutricem, probabilius a culpa excusantur. (Ball. P. n. 26)

Quando infans expositus alitur in brephotrophio ad hunc pium finem instituto, probabilius parentes ad expensas compensandas non tenentur, etiamsi divites sint : nam tales domus videntur institutae et dotatae ad alendos non tantum pauperum, sed et divitum infantes illegitimos, cum etiam isti, sine tali subsidio, saepe magno periculo mortis aeternae vel temporalis objicerentur. (S. Alph. n. 656) Idem dicendum in nostra regione ubi infans a privatis civibus alitur : siquidem hi libere hoc onus assumunt. Si vero (ut crebro fit) a communitate civili alitur e bonis quae aliis pauperum necessitatibus destinantur vel e tributis, compensatio facienda est a parentibus divitibus. (Marres, de Just. l. 2. n. 310 seq.)

3° Venialiter peccant matres quae sine justa causa, ex. gr. debilitatis, lactis minus idonei, etc., infantem suum propriis uberibus lactare negligunt : ita censent communiter Theol. (Struggl. tr. 7. q. 2. n. 10) Regulariter enim nullo lacte melius quam materno infans quisque aletur : insuper mater, dum hoc officium absque justa causa recusat, perturbat ordinem ab ipsa natura statutum, et propriam sanitatem variis periculis objicit. Adde gravia mala quae moribus publicis oriuntur e consuetudine passim absque justa causa adhibendi nutrices, quarum multae propriam sobolem negligunt, iterum fornicantur ut in munere suo manere possint, etc. (Capellm. Med. Past. p. 45 seqq.) Non censemus tamen gravem culpam committi a matribus quae sine justa causa infantes nutrici idoneae tradant : influxus enim *singularum* matrum in haec publica detrimenta nimis tenuis est ut propterea gravis culpae damnentur.

4° Mater quae infantem nutrici alendum tradit, sub gravi tenetur curare ut haec mulier iis qualitatibus physicis gaudeat quae quodlibet grave nocumentum ab infante removeant : indubium enim est pluribus morbis nutricis, speciatim syphilide, infici posse infantem. Quidam, ut Dr. Capellmann (l. c. p. 48), eamdem obligationem extendunt ad morales nutricis qualitates, rati ejusdem vitiis lactatum infici posse : quod tamen alii peritissimi medici, ut Dr. Hubert (Accouchements, etc. t. I. p. 552) probabilius negant, eo quod cibus, puta caro animalium quibus vescimur, nullum directum influxum in mores habere solet.

351. IV. Ad **curam temporalem adolescentium liberorum** pertinent praesertim sequentia :

1° Parentes liberos alere debent, donec liberi sibimetipsis providere possint.

2° Curare debent ut addiscant artem vel litteras, ita ut postea honeste juxta conditionem suam vivere possint ; negligentia tamen hujus officii *per se* gravis non esset, si liberi jam aliunde haberent unde viverent. (S. Alph. n. 336 ; Lehmk. I. n. 785) Hinc, cum scientia saltem elementaris in regionibus nostris requiri soleat fere in omnibus hominum conditionibus ne quis, cum dedecore variisque incommodis, inferiorem sodalibus suis locum occupare cogatur, censemus parentes quoslibet teneri ad eam scientiam liberis suis procurandam, nisi morali impossibilitate excusentur. Altiorem vero iisdem procurare non tenentur, nisi haec communiter habeatur in ea conditione sociali quae liberis obtinget. Quin etiam cavere debent inferioris conditionis parentes, ne liberos ingenio mediocres iis studiis applicent quorum exitus is esse soleat ut, humilioris laboris artisve pertaesi, frustra ad altiorem statum aspirent et sibimetipsis, familiae et Statui oneri fiant.

3° Peccant per se graviter parentes qui " non adhibent diligentiam saltem mediocrem ut acquirant bona quibus filii alantur habeantque haereditatem secundum statum suum „ vel qui " bona dilapidando, impotentes se reddunt ad liberos honeste secundum statum suum educandos.„ (Bus. ap. S. Alph. n. 336)

4° Peccant parentes qui, sine legitima causa, dotem denegant liberis qui statum honestum amplecti volunt. Attamen, ubi isti matrimonium ineunt quod *merito* displiceat parentibus, hi tantum tenentur ad iis danda necessaria alimenta, quatenus haec aliunde sibi procurare nequeant ; idem dicendum de liberis qui portionem sibi datam dissipaverint. (Ball. P. n. 31 seq.)

V. Ad **educationem spiritualem** spectant praecipue sequentia (S. Alph. n. 339) :

1° Curare ut liberi bonis moribus imbuantur, doctrinam christianam addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei et Ecclesiae observent, sacramenta frequentent, a peccatis abstineant. Ideo gravem reatum incurrunt parentes qui liberos committunt famulis de quorum moribus nihil compertum habent, unice de exteriore specie vel peritia solliciti.

2° Occasiones peccandi ab iis avertere. Quare graviter peccant qui liberos ducunt ad spectacula bonis moribus adversa, qui eos sinunt libros pravos legere, etc.

3° Bonum exemplum liberis praebere. Hinc graviter peccant contra pietatem parentes qui iis scandalum, etiam indirectum, in re gravi praebent, puta coram iis blasphemando, sermones turpes vel impios miscendo, etc.

4° Corrigere delinquentes : qua in re ab utroque extremo cavendum est ne impunitate vitia crescant (Prov. XIII, 24), vel nimia severitate animi exacerbentur. (Eph. VI, 4)

352. VI. Inter praecipua parentum officia reponendum est ne liberos suos mittant ad **scholas** quae principiis catholicae religionis de educanda juventute minime conformes sint. Tales sunt non tantum eae quae spiritu aperte impio vel sectae heterodoxae placitis diriguntur, sed et illae quae praebent educationem ab omni positiva religione praescindentem, ac propterea dici solent *neutrae* vel etiam, quia pueros ad quamlibet sectam pertinentes admittunt, *mixtae*. Scholas autem hic intelligimus in triplici gradu qui hodie distingui solet : elementares, medias, supremas. Etenim in singulis illis scholarum speciebus maxima pericula fidei moribusve puerorum vel adolescentium imminere possunt. Ecclesia autem numquam destitit urgere ut sua jura etiam in Universitatibus sarta tectaque sint. Cfr. Epist. Encycl. Leonis XIII 1 Aug. 1897 : De memoria saeculari B. Petri Canisii.

Jamvero de hujusmodi scholarum frequentatione haec praecipua doctrinae capita statuenda censemus :

1° Numquam, neque ad gravissima damna vitanda, licet parentibus liberos mittere ad scholas in quibus periculum pro fide vel moribus est *ita proximum ut nullis cautelis remotum fieri possit*, " velut quoties ibi aut docentur quaedam aut aguntur catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt, neque peragi. „ (Instr. S. Off. 24 Nov. 1875; Coll. P. F. n. 481) Id contingeret si pueri in iis scholis juberentur preces haereticales recitare, ritibus prohibitis interesse, pravam doctrinam audire a qua, spectatis eorum aetate, indole et institutione, cavere moraliter nequirent, vel si tam pravi essent alumni ut vix ullus posset se a mali contagio servare immunem. Quandonam de facto haec hypothesis verificetur

nonnisi diligenti singulorum casuum consideratione determinari poterit. Plerumque non sufficiet scholae ipsius pericula intueri, sed praeterea considerandum erit quatenus puer vel adolescens his periculis magis minusve obnoxius videatur, et quae media adhiberi possint ad eumdem servandum immunem. Si reapse periculum est necessario proximum, patet neque ipsos liberos, rei conscios, posse, etiam cogentibus parentibus, ad tales scholas pergere.

2° Etiamsi abest periculum proximum, *per se* tamen graviter illicitum est prolem suam educandam tradere praefatis scholis. Nam etiam systema educationis *neutrae*, quamvis apertam verae religionis impugnationem vitet, *ex ipsa natura sua* fovet indifferentismum. Ut enim praeclare scribit Leo XIII (Litt. Encycl. ad Episc. Galliae, 8 Febr. 1884), artes quibus pueri ad humanitatem informantur, a religiosa institutione sejungere " idem est ac reipsa velle ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur : quae disciplina fallax est et praesertim in primis puerorum aetatulis perniciosissima, quod revera viam atheismi munit, religionis obsepit. „

3° Interdum tamen contingit ut id licitum fiat, nempe *sub duplici conditione :*

a) Ut adsit *sufficiens causa*. Juxta cit. Instr. 24 Nov. 1875, " ea plerumque aderit quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus. „ Potest quoque ratio esse notabile damnum quod parentibus immineat, si liberos ad hujusmodi scholas mittere recusent.

b) Ut parentes satagant *pericula removere* opportunis cautionibus et remediis, qualia sunt invigilare per se, vel per alios, libris qui adhibentur et doctrinis quae traduntur, curare ut pueri, extra scholam, bene in doctrina christiana instituantur, eos removere a consortio discipulorum a quibus fidei vel morum periculum imminere possit. Si de frequentandis universitatibus heterodoxis agitur, parentes cavere debent ne filios suos ad easdem mittant, nisi antea solida catholica educatione atque accurata suae religionis notitia exultos; ipsi vero catholici juvenes tenentur consiliis petitis a viris doctis, lectionibus institutis similibusve mediis pericula imminentia a se removere. Ita ipsa S. Sedes, dum declaravit jam tolerari posse, quod antea penitus prohibitum fuerat, ut juvenes catholici Universitates Oxoniensem et Cantabrigensem, deficiente in Anglia catholica universitate, adirent (S. Inqu. 26 Mart. 1895), simul determinavit quae cautiones ad removenda pericula inde oritura adhibendae essent : quarum prima erat ut regulares lectionum cursus super philosophicis, historicis ac religiosis disciplinis a catholicis professoribus tradantur ea amplitudine ac soliditate ut, contra

adversos errores, adolescentium mentes efficaciter praemuniantur, quibus lectionibus adolescentes teneantur omnino assidui adesse. Cfr. epist. Em. Praef. S.C. de Prop. Fide ad Em. Archiep. Westmonast. 17 Apr. 1895. (1)

Sacerdotes in scholis mixtis tradere doctrinam christianam aut capellani munere fungi, et catholicos viros in iisdem alias disciplinas tradere, non permittit tantum S. Sedes, sed plurimum commendat, simul tamen docet monendum esse populum id fieri ut mala quae ex hujusmodi scholis dimanant, quantum fieri potest, avertantur, idque proinde nemini excusationi esse debere, quominus liberos suos mittant ad scholas mere catholicas, in quibus eorum fides ac mores nullo modo periclitentur. (Instr. S. Off. 26 Mart. 1866; Coll. P. F. n. 477)

4° Absolutione indigni sunt parentes qui " necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertiri negligunt, aut qui frequentare eos sinunt tales scholas in quibus animarum ruina evitari non potest ; aut tandem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit apteque instructa et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt scholis publicis (neutris), sine sufficienti causa ac sine necessariis cautionibus quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat.„ (Instr. 24 Nov. 1875)

Quodsi adest quidem aliqua difficultas in mittendis liberis ad scholam catholicam, sed non plane sufficiens, cautiones autem adhibentur ad periculum removendum, quandoque manebit gravis culpa in parentibus qui eos ad scholas acatholicas vel neutras mittent, quandoque minor culpa censeri potest. Hoc definiendum est e variis circumstantiis, nempe e quantitate periculi, e scandalo et cooperatione plus minusve efficaci ad pravas scholas promovendas bonasque impediendas, etc. (Lehmk. I. n. 787) Quandoque, etiam ubi agendi ratio parentum objective a gravi peccato excusari nequit, abstinendum erit a denuntianda gravi obligatione liberos a scholis neutris retrahendi, eo quod praevideatur monitionem nihil profuturam esse ; semper tamen exigendum erit ut, vigilantia sua et cura educationis religiosae per se vel parochum dandae, parentes periculum fidei vel morum remotum faciant.

N. B. Ex iis quae de officiis parentum et liberorum dicta sunt, facile deducuntur mutuae obligationes :

1° *Ceterorum consanguineorum.* His enim si aliquam praeeminentiam habent, puta avo, aviae, avunculo, etc. exhibendus est amor, reve-

(1) Judicium utrum periculum in aliqua schola sit necessario proximum necne, utrum adsit in casu causa sufficiens necne, solet reservari Ordinario loci. Ita factum in Stat. Foed. Amer. Disciplinam in iis regionibus vigentem de scholis exponit Conc. Baltim. III (nn. 194-199), cujus decreta denuo confirmavit Leo XIII litteris d. d. 31 Maii 1893 ad Em. Gibbons.

rentia et, quatenus locum parentum tenent vel ab iis auctoritatem acceperunt, etiam obedientia. Reliquis autem, qui ob naturale vinculum aequales sunt vel inferiores, debetur tantum amor et, si indigent, subsidium. Imo fratribus et sororibus, in gravi necessitate versantibus, sub gravi succurrendum est. (S. Alph. n. 340)

2° *Tutorum et pupillorum.* Nam cum tutor loco patris sufficiatur, eaedem fere utrimque nascuntur obligationes, non tamen cum eodem rigore ac si de patre et filiis ageretur. Obligationes autem quae ad justitiam pertinent patebunt ex tr. de Justitia et Jure, collatis legibus singularum regionum.

3° *Magistrorum et discipulorum.* Magistros enim (saltem ubi non viget injusta coactio) parentes sibi substituunt in officio educandi liberos. Quare, quamdiu durat eorum officium, liberi iis reverentiam, amorem et, in rebus quae ad eos juxta contractum moresque receptos pertinent, obedientiam praestare debent, fere sicut parentibus. Si qui adolescentes, jam sui juris facti, ingrediuntur domos vel collegia in quibus auctoritate Superioris reguntur, is etiam jus ipsis praecipiendi acquirit, propter cessionem suae libertatis quam faciunt in iis omnibus quae explicite vel implicite in hujusmodi domorum vel collegiorum statutis continentur. Haec tamen statuta regulariter sunt mere poenalia : nam, nisi contrarium declaretur ab iis qui vera auctoritate praediti sunt, praesumendum est nullam ampliorem obligationem iisdem induci quam quae recto ordine exigatur, ne sine necessitate multiplicentur peccandi occasiones. Non repugnat tamen quaedam ex iis statutis obligare ad culpam, sive ex auctoritatis ecclesiasticae vel civilis, a qua domus pendeat, ordinatione, sive ex ipsius Superioris immediati voluntate, cum nihil impediat quominus stabile praeceptum edat sicut obiter jubere potest. Cfr. Lessium, l. 2. c. 46, n. 24 seq. Juvat etiam notasse eos qui Superiori auxilium praebent, puta tamquam invigilatores in collegiis, per se non habere veram praecipiendi potestatem. Quare inobedientia contra eos longe facilius a gravi peccato excusabitur ; contemptus autem eorum, cum nequeat cadere in auctoritatem qua destituuntur, personam afficit, ac proinde gravis evadit tantum quando attingit grave judicium temerarium, detractionem vel contumeliam. (Lehmk. I. n. 830)

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM.

353. In societate domestica, uxor marito subdita sit oportet, ut tum e naturali ipsius conditione, tum e christiana doctrina liquet. Cfr. Eph.

V, 22 : " Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae. „ Attamen, propter arctissimam conjunctionem qua fiunt una caro (Gen. II, 24), maritus uxori praeesse debet, non sicut servae, sed sicut sociae et commembro. Imo, quoad debitum conjugale et mutuum vitae adjutorium, paria sunt utriusque jura. Cfr. Vol. II. n. 552 seqq.

Pleraque conjugum officia patebunt e tr. de Matrimonio ; quae vero ad bona temporalia spectant, in tr. de Just. et J. necnon in tr. de Contr. elucidantur. Hic ergo pauca tantum recensebimus quae alibi propriam sedem non habent et magis ad quartum praeceptum spectant.

I. Uxor graviter peccat (Bus. ap. S. Alph. n. 351) :

1° Si maritum rixis vel aliter verbis ad gravem iram vel blasphemiam provocet.

2° Si, viro spreto, notabiliter inobediens sit, et ipsa velit gubernare : sic enim jus mariti invadit. Attamen, ubi deest contemptus seu contumacia, leviter tantum peccat, quia parere debet tantum ut socia, non ut ancilla. (Salmant. tr. 24. n. 58) Imo etiam omni peccato immunis erit, si omittet ea quae maritus rationabiliter, spectatis familiae conditione et locorum consuetudine, exigere nequit, ut si peteret a femina honestioris conditionis obsequia vilia, ex. gr. coquere cibos, domum verrere et similia quae ab hujusmodi feminis exerceri non solent. (S. Alph. n. 352) Talia exigere posset tantum si inopia, in quam deciderint, ea necessaria redderet.

3° Si *absque justa causa* se in administrationem domus ingerat, non adjuvantis, sed dominantis modo. Justa causa foret : si maritus prodigus bona familiae dilapidaret, si esset incurius vel ineptus ad familiam gubernandam, etc. (Ball. P. n. 60)

II. Maritus peccat graviter (Bus. ap. S. Alph. n. 356) :

1° Si verbis contumeliosis vel infamatoriis afficiat uxorem.

2° Si impediat illam circa praecepta Dei vel Ecclesiae, sine justa causa ; si vero impediat, etiam sine causa, circa ea bona quae consilii tantum sunt, ut est confessio, communio, etc. communiter tantum peccat venialiter, nisi constet quod magnam ex iis utilitatem percipiat.

3° Si caedat graviter : moderate tamen castigare verbis vel etiam, ex gravi causa, moderatis verberibus, habita ratione conditionis et status, quandoque potest.

4° Si alimenta neget, nisi tamen uxor a consortio mariti propria culpa discesserit vel, ut addit S. Alph. (l. c.), nisi adulterium commiserit.

5° Si negligat gubernationem domus et rem familiarem.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM.

354. NOTIONES. Nomine generico *famulorum* a DD. designari solet triplex hominum species, quorum alii aliis strictius alligantur illi qui, sensu etiam tripliciter diverso, *dominus* vel *herus* nuncupatur.

Prima species eorum est qui, quoad omnes operas suas, in perpetuum ab hero pendent et proprie *servi* dicuntur. Sed cum haec servitus perfecta (ut aiunt) feliciter inter christianas gentes abolita sit, non est quod de his dicamus.

Altera species complectitur illos homines liberos qui operas suas ad certum tempus alicui ditiori locant, in cujus etiam domum et quasi familiam recipiuntur. Nuncupantur proprie *famuli domestici*.

Tertia tandem species est hominum pariter liberorum qui operas quidem suas ad certum tempus alius servitio addicunt, praesertim ut ipsi in arte quadam vel industria cooperentur, non recipiuntur tamen in ejusdem domum vel familiam. Hi proprie vocantur *opifices* seu *operarii*.

Utriusque famulorum speciei hodie vigentis relatio cum dominis oritur e contractu locationis operarum (n. 642). Quare praecipua officia quae inter illos mutuo intercedunt ad justitiam pertinent, et commodius explicabuntur in tr. de Praec. Part. (Vol. II. n. 22 seq.) Nihilominus falsum est illa, adimpleto utrimque fideliter contractu, penitus absolvi. Nam inter dominos et famulos, etiam hodiernos, exstat aliqua relatio superioritatis et inferioritatis, a qua necessario aliqua peculiaria officia utrimque gignuntur. Haec tamen eo minora sunt quo magis restringitur dependentia in qua, vi contractus, legum civilium et morum vigentium, famuli erga dominos constituuntur. Ita leviores obligationes sunt heri ad operarios quam patrisfamilias ad famulos domesticos ; pleraeque etiam, si debita justitiae excipias, mere negativae sunt, ut ex infra dicendis patebit. Sedulo quoque cavendum ne indiscriminatim nostris famulis vel operariis applicentur ea quae in S. Scriptura (ex. gr. Eph. VI, 5 ; Tit. II, 9) de servis proprie dictis leguntur, vel ab antiquioribus theologis de famulis scribuntur : quoad singula enim videndum est num forte mutata temporum ratio applicationem impediverit.

355. ASSERTA. I. Famuli domestici et, remissiore gradu, etiam **operarii** dominis suis exhibere tenentur :

1° *Reverentiam* tamquam capiti familiae vel officinae. Huc faciunt ea quae universim de observantia erga personas in dignitate constitutas

habet S. Th. (2. 2. q. 102. a. 1) : " Sicut carnalis pater particulariter participat rationem principii, quae universaliter invenitur in Deo, ita etiam persona quae, quantum ad aliquid, providentiam circa nos gerit, particulariter participat proprietatem patris : quia pater est principium et generationis et educationis et disciplinae et omnium quae ad perfectionem humanae vitae pertinent ; persona autem in dignitate constituta est sicut principium gubernationis respectu aliquarum rerum : sicut princeps civitatis in rebus civilibus, dux autem exercitus in rebus bellicis, magister autem in disciplinis, et simile est in aliis. „

2° *Obsequium*, quod huc redit ut contractum initum fideliter impleant, secundum leges civiles et loci consuetudines. Nam famuli vel operarii ad nullum aliud obsequium obligantur nisi quod necessarium est ut pactum a se initum rite impleatur, operam suam praestando juxta heri directionem, sive in cura rei familiaris, sive in alio quocumque labore.

Cetera eorum officia nihil peculiare habent et ex aliis locis satis declarantur, puta ne secreta domestica, cum heri sui infamia, divulgent, ne heri bona absque ejus consensu, saltem rationabiliter praesumpto, sibi usurpent aliisve tribuant, etc.

356. II. Heri erga operarios, magis etiam erga famulos domesticos, tenentur :

1° Non tantum observare justitiam commutativam (n. 645 seqq. et Vol. II. n. 23), sed et *caritatem*. Hinc monet eos Leo XIII (Encycl. de cond. opif.) : " Non habendos mancipiorum loco opifices : vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Illud vero turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris quam quantum nervis polleant viribusque. „ Hinc peccant qui aspere operarios tractant, eorum querelas audire detrectant, inferiores officiales a quibus male tractantur compescere vel removere negligunt, etc.

2° Abstinere ab iis quae opificibus *in bonis animae vel corporis nocent*. " Non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi, neque ullo pacto a cura domestica parcimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis quam vires ferre queant, nec id genus quod cum aetate sexuque dissideat. „ (Encycl. cit.) Hinc graviter peccant qui, majoris lucri faciendi causa, operarios moraliter cogunt ad genus laborum quod, ex. gr. ob veneficas materias tractandas, sanitati plurimum nocet ; similiter qui non removent famulum vel operarium qui morum corruptela vel impietate aliis gravi scandalo est ; qui utrumque sexum sine cautelis promiscue laborare cogunt, etc.

3° Habere rationem *religionis et bonorum animi* seu " efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex. „ (Encycl. cit.) Tenentur

ergo opificibus vel famulis suis opportunitatem concedere ut, absque difficultate, christiani hominis officia implere queant, ex. gr. assistentiam Sacro, annuam confessionem et communionem, quietem diei Dominicae et festorum. (n. 336, 5°)

4° *Correctionem fraternam* exercere erga delinquentes. Crebrius autem ad id tenentur erga famulos vel operarios quam erga alias personas, propter speciale vinculum et inde natam majorem efficaciam correctionis ad delinquentis emendationem. Cura tamen spiritualis ipsis, etiam erga famulos domesticos, non incumbit. (Sanch. Cons. mor. l. 5. c. 1. d. 17) Deinde a correctione facienda quandoque excusantur domini ob grave incommodum. Nam viros liberos non ex justitia, sed ex sola caritate corrigere tenentur, caritas autem cum gravi incommodo non obligat. (Sporer, Th. Mor. t. III. in 4. Praec. Dec. n. 103) Tale incommodum plerumque non aderit in corrigendis peccatis quae palam in ipsa domo vel officina committuntur, ut sunt blasphemiae, turpia colloquia, etc.; non raro occurret in corrigendis aliis vitiis, ex. gr. ancillae amasium extra domum quaerentis, operarii a Sacro audiendo abstinentis, etc. Nam saepe, praesertim in civitatibus, operarii et famuli vel ancillae profitentur se nolle heris suis subjacere nisi ad quaedam determinata opera peragenda, in rebus autem conscientiae suae manere independentes. Ideo monentibus dominis saepe resisterent, et, cum gravi incommodo, dimittendi essent. Haec de stricta obligatione: patet enim plurimum suadendum esse ut nulli famuli domestici recipiantur vel serventur nisi christianis moribus praediti.

5° *Succurrere in necessitate positis.* Haec obligatio, nisi in contractu exprimatur vel lege civili imponatur, e sola caritate oritur, ideoque regulis de eleemosyna datis (n. 218 seqq.) determinanda est. Sed advertendum est caritatem eo strictius obligare quo arctius cum aliquo conjungimur. Ideo facilius aderit officium succurrendi famulis vel operariis, praesertim diuturnis obsequiis cum hero constrictis, quam aliis gravi necessitate laborantibus. Ita saepe jubebit caritas herum opem ferre operariis quos, forsan ob justam causam, ad tempus dimittat, vel qui aliter, occasione industriae in qua eum adjuvent, gravem inopiam patiantur. Ex ipsa enim conditione hodiernae industriae, specialim e maxima laboris divisione et officinarum amplitudine, fit ut operarii diurni arcta necessitudine cum hero suo constringantur: quare si ab eo dimittuntur, praesertim maximo numero in iisdem locis, saepe nullatenus vel nonnisi aegerrime et maxima salarii imminutione operam suam apud alios locare valent. Cfr. De Gryse, De contractu conductionis, p. 55. Verum ubi diu, puta per menses et annos, hujusmodi subsidia tribuenda forent, ut contingit pro operariis famulisve ob morbum, vulnus vel senium laborando imparibus, sola caritas tantum onus

imponere nequit : quare, si aliunde necessitatibus horum miserorum non satis succurritur, seu propter languescentem caritatem, seu propter ingentem operariorum numerum, legis civilis erit iisdem providere, servatis naturalis aequitatis regulis. Atque haec de stricta obligatione dicta esse patet : cujus limites multum excedere solent qui vera christiana caritate aguntur.

Stipendium autem integrum solvendum est famulo qui per modicam tantum partem temporis ad quod operas suas locavit, puta unum alterumve diem per mensem, aegritudine ab implendis laboribus suis impeditus est : id enim non tantum suadet aequitas, sed, propter universalem consuetudinem, tacite in contractu inito continetur. Si vero iidem per notabile tempus aegrotarent, merces eis pro rata temporis impediti diminui posset : nam operas conducens non est censendus se obligasse ad solvendam mercedem pro tempore quo uti opera personae conductae non potest, ob impedimentum quod tantum ex parte illius personae se tenet. At operariis diurnis merces juste detrahitur pro rata temporis, etsi uno aut altero die aegrotent. (Reiffenst. in lib. 3 Decr. t. 18. nn. 99 et 104)

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS PRINCIPUM ET SUBDITORUM.

357. Multa sunt, ut per se patet, specialia officia eorum qui aliquam civilis potestatis partem detinent. His fuse exponendis supersedebimus, quia eorum determinatio potius ad Philosophiam moralem vel Jus Canonicum publicum pertinet. Plurima etiam e variis partibus Theologiae Moralis definiri possunt, ex. gr. justitia in legibus ferendis e tr. de Legibus, in bello indicendo e dicendis de quinto praecepto Decalogi, in officiis publicis conferendis e tr. de Just. et Jure, etc.

ASSERTA. I. Subditi, iis qui civilem potestatem detinent, *amorem*, *reverentiam* et *obsequium* praestare debent : siquidem et civilis auctoritas a Deo venit, licet persona detinentis a populo designetur. Id e multis S. Script. locis eruitur, ex. gr. Eccli. XVII, 14 : Rom, XIII, 1-7 ; et egregie exponitur in Encycl. Litt. Leonis PP. XIII, *Diuturnum*. (29 Junii 1881)

Hinc legitimae potestati rebellare non licet, ut patet ex damnatione Prop. 63ae in Syllabo Pii IX : " Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet. „ Cfr. S. Th. de Regimine Principum, l. 1. c. 6. Attamen, ut bene observat Lehmk. (I. n. 797) aliud est rebellare,

aliud iniquis legibus earumque exsecutioni resistere. Nam ubi vis aperte injusta infertur ab iis qui legitimam potestatem detinent, id " simile est violentiae latronum... et ideo, sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere, in tali casu, malis principibus : nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur. „ (2. 2. q. 69. a. 4) Saepe haec resistentia activa erit illicita, quia, ob vim praevalentem, nullus bonus effectus sperari poterit, sed majora mala sequentur.

Quanta autem sit obligatio singularum legum civilium breviter dictum est n. 141, et de pluribus, ut de legibus tributorum, militiae, etc. exponetur infra, praesertim in tr. de Just. et Jure.

358. II. Si gubernium postulat **juramentum** quod rei pravae approbationem continere videatur, hoc numquam praestare licebit, si obsequium postulatum ex adjunctis *communiter* habetur ut approbatio rei malae vel injustae. Exemplum habes in famoso juramento fidelitatis Constitutioni civili cleri Gallicani. Si vero, ex adjunctis vel restrictionibus adhibitis, approbatio illa removeri potest, licebit quandoque juramentum praestare, legitimam obedientiam auctoritati debitam unice intendendo. Ceteroquin hujusmodi quaestio solet adeo implexa esse ut omnino necesse sit ad auctoritatem episcoporum vel etiam S. Sedis recurrere ; eo vel magis quod in tali argumento uniformem praxim postulat Ecclesiae bonum.

Speciatim, quod ad *juramentum fidelitatis hodiernis Constitutionibus* praestandum pertinet, Ecclesia illud permittere solet sub duplici conditione : prior est, quod illa approbatio sit *mere civilis*, non theoretica, praesertim pro tolerantia omnium cultuum et ceteris laesionibus jurium Dei et Ecclesiae, quae in Constitutione forte reperiantur ; posterior, quod *salvum sit jus Superioris*, i. e. Dei et Ecclesiae. Haec posterior restrictio in quibusdam regionibus expresse addenda est ; in aliis, ut in Belgio, cum jam satis omnibus pateat quo sensu viri catholici jurent, subintelligi potest. Ita praestitum juramentum, ut summum dicam, est cooperatio materialis rei per se malae : quae cooperatio in casu excusatur ob gravissimam causam, scil. ne catholici, cum ingenti damno Ecclesiae et Status, a praecipuis muneribus publicis removeantur. Quandoque etiam nihil mali in his Constitutionibus continetur, eo quod tolerantia mere civilis in multis regionibus, ob impossibilitatem melioris systematis stabiliendi, licita evasit.

359. III. Cum in plerisque Statibus hodiernis, cives **suffragio ferendo** concurrere possint vel debeant, ad designandas personas quae potestatem legiferam variosque magistratus obtineant, necesse est pauca de obligationibus inde natis statuere. Scilicet :

1° Generatim datur obligatio in conscientia concurrendi ad publica comitia. Singuli enim cives, tamquam membra Ecclesiae et Status, tenentur ad promovendum bonum et impediendum malum utriusque illius societatis : manifestum autem est, saltem in adjunctis hodiernis, Ecclesiae et Status felicem vel adversam conditionem magnopere ab exitu publicarum electionum pendere. Exceptioni locus est quando participatio hujusmodi comitiis induceret agnitionem gubernii illegitimi vel majora mala, ut nunc in Italia contingit.

2° Obligatio haec non videtur oriri e stricta justitia : nam jus suffragandi, licet in communem utilitatem sit exercendum, non accipitur tamen per modum muneris alicujus publici, libere a singulis suscepti, sed potius per modum privilegii, quo ii qui certis conditionibus satisfaciunt universe donantur. Quodsi electores (ut fit in Belgio) lege civili suffragium ferre jubentur, summum additur obligatio obedientiae erga legem, non autem justitiae stricte dictae. Deinde legi satisfit alba, ut aiunt, schedula in urnis deposita.

3° Graviter peccant qui suffragium ferunt pro candidatis qui aperte Ecclesiae vel bono societatis civilis adversantur, si intendunt eos adjuvare ad fines suos pravos assequendos. Haec enim est cooperatio formalis. (n. 235) Multi tamen non clare percipiunt quid intendant candidati et quem effectum suffragatio habere possit : quare caute inspicienda adjuncta locorum, temporum et etiam singularum personarum, antequam de peccato cujusquam judicium feratur.

4° Etiam seclusa cooperatione formali, per se non licet hujusmodi candidatis suffragari : nam ratio amicitiae, peritiae majoris, etc., non sufficit ut adjuventur ad graviter nocendum reipublicae vel religioni. Ideo Leo PP. XIII. (Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 Januar. 1890) : " Favendum viris est spectatae probitatis eisdemque de christiano nomine merituris : neque *causa ulla* esse potest cur male erga religionem animatos liceat anteponere. „ Quodsi nullus probus simul et rerum peritus nominari possit, licebit, ut opinor, abstinere a suffragio ferendo.

5° Per accidens licebit *materialiter* suffragari indigno candidato :

a) Si concurrit tantum indignus cum magis indigno, puta liberalis cum socialista. Qui enim in his adjunctis eligit minus indignum, nihil aliud facit quam inter duo mala necessaria minus eligere. Oportet tamen ut scandalum quod e tali catholicorum agendi ratione oriri possit, removeatur, declarando, ex. gr. per ephemerides, quo sensu illud auxilium minus indigno praestetur. Neque obstat quod non sunt facienda mala ut eveniant bona : nam suffragari minus indigno non est ejus consilia approbare, sed tantum eum adjuvare ad assequendum munus quo abuti quidem potest, sed ex propria perversitate.

b) Si quis metu gravis mali adigitur ad suffragium dandum indigno,

neque hoc periculum evadere potest promissione quae certe non obligat et quae, adhibita restrictione non pure mentali, ne mendacium quidem erit. Prudenter conferenda est gravitas mali imminentis cum gravitate mali quod probabiliter e suffragio iniquo consequetur. Verum quidem est fieri posse ut deputatus, unica voce majoritatis electus, causa sit cur lex funestissima adoptetur; sed quae mere possibilia sunt, nequeunt probabili conjectura praevideri. Perperam ergo ex his sequelis plane extraordinariis et improvisis concluderetur talem cooperationem materialem esse semper graviter malam. Saepe fiet ut damnum privatum praeponderet exiguo damno quod e suffragio dando timetur, ex.gr. quia sufficiens est numerus electorum vel deputatorum qui malis praevaleant, vel, ex adverso, quia moraliter certum est malum candidatum electum iri, etc.

6° Graviter peccant qui, nulla justa causa impediti, abstinent a suffragio ferendo quando probabiliter timere debent ne abstinendo causa sint cur sufficiens numerus bonorum civium non eligatur atque ita magna mala a perversorum factione perpetrentur. Cfr. Lehmk. I. n. 799. Idem videtur dicendum si is qui abstineret tanta esset auctoritate ut, suffragium ferendo, multos exemplo suo traheret et efficaciter in successum boni candidati influeret : quod raro continget. Ob damnum autem imminens, licebit abstinere eadem fere ratione qua (5°) dictum est de eligendo indigno; imo facilius, siquidem abstinendo non datur cooperatio positiva.

7° Hic non distinguimus inter nomina quae partes gerant, vel inter munera per electionem conferenda. Nihil enim universe de his statui potest; sed in singulis regionibus et casibus inspiciendum est num reapse, juxta commune virorum prudentum et praecipue episcoporum judicium, utilitas Ecclesiae vel Status in aliqua suffragatione agatur, et timendum sit ne quidam candidati, si eligantur, damnum alterutri vel utrique societati inferant. Id potissimum in electionibus quas *legislativas* vocant, sed saepe etiam in localibus obtinet, imo et in electione eorum qui certis partibus rerum publicarum praesint, puta operariorum negotiis, scholis (school-board), etc.

8° Curandum omnino ut hae catholicorum obligationes ea ratione quae, sub directione Ordinarii, expeditior videtur, omnibus innotescant, ex. gr. ope bonorum diariorum, libellorum, catechesium, etc. Agitur enim de re a qua catholicae religionis conservatio et prosperitas maxime pendeat. Attamen cavendum est confessario ne, sine ulla spe fructus, bonam fidem quorumdam poenitentium perturbet : nam, praesertim in locis exiguis, aegre secernunt plurimi personarum vitia vel qualitates a principiis quae profitentur, praecipue si malis partibus addicti moderationem magnam prae se ferunt, vel catholici candidati vita sua privata parum commendantur.

Cfr. de hac quaestione Lehmk. (I. n. 799); Villada (Cas. Consc. t. I. p. 135 seqq.); Aertnys (Th. Mor. t. I. de 4° Praec. Dec. n. 179); Marc (Th. Mor. t. II. n. 2286 seq.); Scavini (Th. Mor. t. I. n. 676 seqq.); Berardi (Prax. Conf. n. 3167 seqq.); Waffelaert (Étude de théol. mor. sur la licéité de la coopér. apud N. R. Th. t. 14. p. 490 seqq.).

IV. Cum hodie in multis regionibus plurimae vigeant **societates illicitae**, quae summopere noceant Ecclesiae et Statui, inter praecipua officia fidelium reponendum est ut ab iis ingrediendis abstineant vel easdem, imprudenter ingressi, relinquant. Quare breviter hic investigabimus duo, quae in hoc argumento potissima sunt: primum, quaenam societates censendae sint illicitae; alterum, quae sint fidelium et sacerdotum erga easdem societates officia.

1° Societas *ex intrinseca sua ratione* illicita est, si aut finem malum prosequatur aut media prava ad finem etiam honestum assequendum adhibeat.

Plerumque nullo negotio patebit quaenam societates dicendae sint prohibitae ob finem malum quem prosequantur. Ita manifeste damnandae sunt omnes societates quae, dum sibi proprios ministros et ritus constituunt, quasi novam religionem ab Ecclesia catholica diversam vel saltem distinctam efficere conantur (Vol. II. nn. 586 et 588) vel quae contra Ecclesiam Statumque machinantur (Vol. II. n. 596). Idem dicendum de coetibus politicis qui promoveant partes Ecclesiae infensas et sive a S. Sede, sive ab Ordinario reprobatas, tamquam rei catholicae nocivas (1), de societatibus institutis ad promovendam cadaverum cremationem (Vol. II. n. 628), ad vulgandos libros pravos vel diaria impia, etc.

Saepe molestius est dignoscere num fideles prohibendi sint a societatibus quae, licet finem honestum prae se ferant, ut puta temporalia commoda alicujus civium classis promovere, facultatem praebere legendi multos libros vel ephemerides, etc. media adhibent suspecta seseque secreto plus minus arcto obvolvunt. Patet in singulis casibus opus fore accurato examine statutorum societatis, indolis personarum quibus constat et praesertim ducum, etc. In hoc examine instituendo, haec prae oculis habeantur:

a) Graviter illicitae sunt omnes societates " quae a sectatoribus secretum nemini pandendum et omnimodam obedientiam occultis duci-

(1) Profecto hic magis ad spiritum quo ducantur eae partes quam ad earum nomen attendendum est. Ita S. Officium 29 Aug. 1877 episcopos Canadenses monuit: S. Sedem, dum reprobavit liberalismum, minime reprobasse quaslibet partes politicas quae se liberales vocarent. (Coll. P. F. n. 1665)

bus praestandam exigunt „. (S. Inqu. Instr. ad omnes episc. data 10 Maii 1884; Coll. P. F. n. 1865)

Imo si alterutrum tantum exigunt, jam satis est ut reprobentur. Graviter enim peccaminosum est, tum promittere jurejurando secretum nemini omnino pandendum, cum Ecclesia et Status jus habeant invigilandi societatibus sibi subordinatis, ideoque examinandi num ea patrent quae bono communi adversentur, tum promittere omnimodam obedientiam ducibus occultis, cum sic implicite promittatur obedientia etiam ad illicita. Attamen, ut propter tale vitium reprobanda censeatur aliqua societas, necessarium est ut illud *absolutum* secretum vel *omnimoda* obedientia disertis verbis promittatur, vel ut aliunde, puta e denegatione quam societatis duces fecerint declarandi secreti petenti legitimae auctoritati, constet hunc esse sensum verborum quibus universaliter promittatur secretum vel obedientia. Deficiente hac clara probatione, promissiones illae potius interpretandae sunt de secreto servando erga omnes quibus jus legitimae interrogationis non competat et de obedientia praestanda quamdiu ducum jussa nullis Dei vel Ecclesiae legibus adversentur : delicta enim non praesumenda, sed probanda sunt.

b) Graviter illicitae sunt societates quae ab asseclis suis aliquid exigant quod sine letali noxa praestari nequeat, ut puta pecuniam conferre in usum pravum adhibendam, ex. gr. ad cultum superstitiosum, ad fovendas iniquas cessationes operariorum a labore (grèves), etc. vel partem agere in caerimoniis quibus socii profiteantur materialismum, atheismum, vel haeresim. Excipe si forsan omnis participatio in his mediis illicitis detrectari queat. Speciatim hic dubitari potest num catholicis liceat ingredi illas societates quae a candidatis suis postulent juramentum super Biblia protestantica praestandum. Profecto tale juramentum non est intrinsece malum. Fieri enim potest ut, sive ob protestationem a singulis jurantibus additam, sive ob interpretationem communiter in aliqua regione aut societate receptam, pateat Biblia illa tangi tantum quasi signum quo provocetur ad Verbum Dei scriptum, quatenus hoc tum a catholicis, tum a protestantibus agnoscitur, praescindendo a controversia quae inter utrosque vigeat de quibusdam S. Scripturae partibus atque ab alterationibus quae forsan in exemplari tangendo reperiantur. Idem patet e responso quod S. Inqu. 23 Febr. 1820 (Coll. P. F. n. 1834) dedit episcopo Quebecensi : non esse inquietandos fideles Canadenses qui, pro inolito more, tangant et osculentur Biblia protestantica quae ipsis a publicis officialibus, seu civilibus, seu militaribus, exhibeantur quando juramentum emissuri sint. Idem tamen tactus per se prohibetur : est enim quaedam species communicationis cum haereticis in rebus sacris vel mixtis. (n. 198) Quare per se illicitum putamus hoc juramentum super Biblia protestantica praestare, praesertim si adul-

teratum esse sacrum textum innotescit. Sed si ratio quaedam gravis urget, ut puta quia per illam societatem obtinebitur bonum magni momenti, ex. gr. mutua assecuratio, quod medio prorsus innocuo obtineri non posset, licite hoc juramentum edi arbitramur : plerumque enim sat tenuis species adhaesionis falsae sectae et sat leve periculum seductionis in hujusmodi communicatione cum haereticis habetur.

Quandoque etiam ingressus cujusdam societatis illicitus erit unice ob periculum perversionis fidei vel morum, licet nihil pravi in ejus fine vel mediis proponatur. In hoc casu malitia non ex intrinseca societatis natura, sed plane *extrinsecus* advenit atque a vitiis malove spiritu sociorum oritur.

Tandem, etiamsi societas quaedam non esset prohibita jure naturali (quod solum hucusque spectavimus), illicita fieri posset *ob positivam prohibitionem* cui eam subjecisset Ecclesia vel Status. Evidenter enim postulat boni communis incolumitas ut ambae societates perfectae imperfectas prohibere possint quoties, ob justas causas, timent ne bono cujus curam gerunt, spirituali nempe vel temporali, noceant. Verum prohibitio, ab auctoritate civili lata, non raro mere poenalis erit. (n. 141) Eadem manifeste irrita foret si ferretur in societates quae exclusive subsint Ecclesiae, qualia sunt instituta religiosa, confraternitates et associationes piae, etc.

2° Ubi constat aliquam societatem esse illicitam, generatim graviter peccat qui illam, malitiae conscius, ineat : notabiliter enim cooperatur ad rem graviter malam. Attamen quandoque parcendum erit bonae fidei plurimorum qui non satis percipiant quid mali in his coetibus contineatur : quod praesertim usu venit ubi de societatibus politicis vel specie tenus mere oeconomicis agitur. Cfr. Assert. III, 8°. Pariter per se sub poena denegandae absolutionis exigendum est ut qui hujusmodi societates ingressi fuerint iis nuntium mittant vel saltem se ab omni interventu in earum coetibus et operationibus subtrahant, ut per se liquet. Attamen, si quando vere urgentes rationes id suadeant, puta quia societatem deserentes pecuniae haud modicae a se collatae, ad subsidia tempore morbi vel senectutis accipienda, jacturam paterentur, quandoque aliquas relationes cum hujusmodi societatibus servare licebit : quod sedulo in singulis casibus, si deficit S. Sedis vel Ordinarii statutum, dijudicare debebit confessarius, collato incommodo abrumpendi quaslibet relationes cum scandalo vel periculo earum quae ad illud incommodum vitandum conservandae essent. (1) Quodsi reatus ineundae

(1) Ita S. Inqu. postquam 20 Aug. 1894 (Act. S. S. t. 28. p. 438) reprobaverat tres societates Americanas operariorum (Odd Fellows, Sons of Temperance, Knights of Pythias), iterum 18 Jan. 1896 (Act. S. S. t. 28. p. 699) respondit : in

societatis unice oritur e malo spiritu sociorum vel ducum, obligatio abstinendi vel recedendi ab ingressu dimetienda erit e regulis generalibus quae de relinquenda peccandi occasione remota vel proxima dabuntur Vol. II. n. 371 seqq.

Sacerdotibus, iis praesertim qui curam animarum gerunt, officium incumbit praemuniendi fideles, praesertim juniores, ne se societatibus illicitis illaqueari sinant et eos qui jam illaqueati fuerint a tanto malo retrahendi. (1) Singulas vero societates, quae nullo S. Sedis vel Ordinarii judicio reprobatae fuerint, publice denuntiare, tamquam sub gravi vitandas, non est privati sacerdotis, nisi res sit plane evidens, ut puta ob finem aperte malum quem prosequantur. (2) Ubi enim alicui vel levi dubio locus esse potest, postulat Ecclesiae bonum ut abstineatur a deneganda absolutione iis qui talem coetum ingrediantur : si enim res evidens non est, ab aliis sacerdotibus contraria sententia tenebitur, atque e tali dissidio pastorum nascentur scandala fidelium et contemptus sacramentorum. Generatim tamen enixe hortandi erunt poenitentes, ii praesertim qui de ea re interrogaverint, ne ingrediantur societates aliquatenus suspectas : quotiescumque enim vel secretum quaerit societas vel ducum spiritus malignus esse noscitur, plurimum timendum est ne lateat anguis in herba.

casibus particularibus tolerari posse ut fideles qui iisdem societatibus jam adscripti fuerint, ad grave damnum vitandum, nomen suum in sociorum catalogis retineant et in taxa statutis temporibus solvenda perseverent, interim vero a quavis sectae communione et a quovis interventu, etiam materiali, abstineant.

(1) De secta Massonum sectisque affinibus praeclare docet Leo XIII (Encycl. *Humanum genus)* : " Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianae doctrinae praeceptiones insistant. Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de ejusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudulentas et varias quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Imo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint si adducant singulos ut statuant ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae judice, nulla se umquam societate obligaturos ... Reapse enim institutio in prima juventute data, praesertim dum accurate ad primam communionem praeparantur pueri, unicum medium efficax est ut altas radices in mente populi christiani agat obligatio denegandi nomen iis societatibus quae, sub specioso temporalis emolumenti praetextu, tot animas in apertam impietatem rapiunt.

(2) Statuerunt PP. Concilii Baltimorensis III (n. 255) : nullam societatem nominatim denuntiari posse tamquam sub censura vel saltem sub peccato gravi vitandam, nisi Ordinarius rem ad coetum Archiepiscoporum retulerit ; qui nisi unanimes pro damnatione steterint, recurrere debeant ad S. Sedem ut judicium certum accipiatur et disciplina uniformis in omnibus provinciis servetur. Cfr. totam § 1. De Societatibus inhonestis (Tit. VIII. c. 3).

SECTIO V. — DE QUINTO PRAECEPTO.

360. Quintum Decalogi praeceptum formaliter negativum est, ut patet ex ejus formula : " Non occides. „ (Ex. XX, 13) Prohibet igitur *primario* homicidium seu quamlibet injustam hominis occisionem; *secundario* omnem injustam laesionem corporis proprii vel alieni, ut vulnerationem, mutilationem, etc. At, quoniam mors etiam per meram omissionem curae necessariae inferri potest, hinc idem praeceptum est virtualiter quoque positivum et praecipit ea quae necessaria sunt ad servandam vitam propriam vel eorum quorum curam temporalem unusquisque gerere debet.

Potissimum tamen insistendum erit officiis negativis : quippe quae gravioribus peccatis et difficilioribus dubiis ortum dare solent.

CAPUT I.

DE SERVANDA VITA PROPRIA.

§ 1. DE PROPRIA VITA NON LAEDENDA.

361. I. Suicidium in se seu directe voluntarium est graviter illicitum, excepto tantum casu quo homo dominium in propriam vitam a Deo acciperet vel (probabiliter) ab auctoritate civili justam mortis sententiam in se exsequendi licentiam haberet.

Suicidium in se voluntarium hic sumimus eo sensu quo dictum est n. 10, nempe ita ut mors appetatur immediate in seipsa, tamquam finis vel etiam tamquam medium ad aliquem alium finem, puta ad vitandam mortem atrociorem.

Ratio potissima ob quam suicidium *generatim prohibitum* est, desumitur ex injuria quam infert Deo qui solus est directus et absolutus humanae vitae dominus. (2. 2. q. 64. a. 5) Cfr. philosophos morales fusius agentes de hac veritate, quae, licet e christiana doctrina certissima sit, non ita facile, saltem in sua universalitate, demonstratur.

Prior exceptio, vid. pro casu quo homo dominium in propriam vitam

a Deo acciperet, per se patet (n. 34) et a multis adhibetur ad explicandum quomodo aliqui Sancti, ex. gr. S. Apollonia, seipsos occiderint ut ostenderent animi promptitudinem in suppliciis vel periculum castitatis evaderent. Alii autem divinam hanc inspirationem gratis asseri autumantes, rectius eadem facta explicant per ignorantiam invincibilem, quae in tali argumento facile adesse potuit : siquidem non est tam evidens directam illam sui occisionem esse illicitam, etiam ad servandam castitatem aliave bona magni momenti. (n. 131; Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 9. n. 23)

Posterior exceptio, vid. pro casu quo reus ab auctoritate civili justam mortis sententiam in se exsequendi facultatem haberet, a plerisque AA. (ex. gr. Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 12) rejicitur ob rationes varias, quarum nulla stringens videtur. Nos eam saltem probabilem censemus cum Vasquez, Elbel aliisque AA. quos citat, neque improbat S. Alph. (n. 369). Praecipua ratio est quod, quando homo ob causam justam a legitima auctoritate damnatus est, judex (spectato jure naturali) cuilibet committere potest sententiae exsecutionem; ergo eam etiam reo permittere potest, non tamen imperare, siquidem id nimis inhumanum foret. Neque apparet quomodo secum constent AA. id negantes et tamen concedentes reo ut ipse sumat venenum, si hac ratione perire jussus sit : nam non minus se interimit qui venenum stomacho infundit quam qui pectus gladio transverberat. Inefficax quoque est ratio cui innititur Lugo (l. c.) : neminem posse exercere justitiam punitivam in seipsum, quia justitia debet esse ad alium: siquidem nihil impedit quominus idem duplicem personam agat, punientis et puniti, ut notat Palmieri. (Ball. P. n. 29) Sic, licet jurisdictio per se sit ad alium, Papa tamen secum in voto dispensare potest.

362. II. Licet aliquid de se indifferens facere ex quo sequatur mors propria, sed saltem aeque immediate alius effectus bonus, dummodo mors non intendatur et adsit ratio sufficiens ad effectum malum permittendum. Sed graviter illicitum est, ubi non urget causa gravis boni privati vel communis, aliquid agere quod proximum vel probabile mortis propriae periculum inducat.

Asserti istius pars prior non est nisi applicatio principii in tract. de Act. Hum. (n. 14) demonstrati. Posterior pars manifeste deducitur ex Asserto I. Qui enim sine causa proportionata illud agit e quo novit vitam suam in proximum periculum venturam esse, aequivalenter se ipsum interimit, vel, si mors probabiliter tantum secutura est, temere se notabili suicidii periculo exponit. Hinc :

1° Possunt milites pulverem bellicum inflammare ad perdendos hostes, vel navem incendere aut submergere ne hostes cum gravi Reipublicae

damno ea potiantur, etsi certo praevideant se simul perituros esse : ratio enim magni *communis* boni assequendi vel damni vitandi praeponderat amissioni vitae privatorum. Idem autem non liceret ad vitandam servitutem vel mortem quam hostes inferrent, vel ad impediendum quominus navis aliave bona in hostium manus venirent, nisi simul adesset gravis ratio boni communis vel aliqua spes, etiam modicissima, vitandi mortem. (Ball. P. n. 23)

2° Licet in naufragio cedere alteri tabulam quam jam arripueris, quamvis, ob natandi imperitiam aliasve rationes, certo sis periturus. (S. Alph. n. 366) Imo sic tradere seipsum morti propter amicum a S. Th. (in 3. d. 29. a. 15. ad 3) dicitur perfectissimus actus virtutis : unde hunc actum magis appetit virtuosus quam vitam propriam corporalem. Censet quidem S. Alph. (l. c.) naufragum non posse, ad tabulam cedendam, se projicere in mare, quia nemo potest se positive occidere. Id tamen subtilius dictum videtur : nam, ut advertit Ball. P. (n. 25), projectio sui in mare est necessarium consequens concessae tabulae ; unde, si non licet prius, nec posterius licebit.

3° Licet se ex alto praecipitem dare, cum certo mortis periculo, ad fugiendum incendium vel mortem atrociorem quam homo nequam inferre velit. Non liceret tamen te ex alta turri praecipitem dare si tyrannus id exigeret, secus diris te suppliciis afflicturus : quamdiu enim malum nondum actu infertur, actio se praecipitandi non esset fuga et defensio, sed vera sui occisio quae eligeretur ut medium ad atrociora mala evadenda : quod illicitum est. (n. 361) Idem licet reis detentis in carcere ad evadendam certam sententiam mortis vel etiam carcerem perpetuum, dummodo adsit aliqua spes mortem evadendi. (S. Alph. n. 367)

4° Licet virgini se exponere certo mortis periculo ad servandam integritatem corporalem, etiamsi ratio~~nabiliter praesumeret se non~~ esse consensuram. Pro~~babile~~ autem est eam ad id non teneri, modo absit proximum consensus periculum : nam pati stuprum est cooperatio mere materialis, cui praestandae datur motivum gravissimum, nempe vitandum mortis periculum. (S. Alph. n. 368 ; Ball. P. tr. 1. n. 121)

5° Licet, ob justam causam, se sistere tyranno a quo quis novit se injuste interfectum iri : qualis causa foret trepidantibus in fide animum addere, grave scandalum cohibere, etc. Ubi enim causa proporfionata adest, cessat generalis obligatio propriae vitae conservandae et alieni peccati impediendi. (Ball. P. n. 31)

6° Peccant graviter qui, unice lucri faciendi gratia, vitam probabili periculo exponunt, ex. gr. feras excitando, exercitia gymnastica valde periculosa obeundo, jejunium ex sponsione diutissime protrahendo. Quodsi periculum istud ob artem vel experientiam satis removeretur, de peccato gravi non constaret. Cfr. S. Alph. n. 369.

363. III. Licet assumere labores vel vivendi genus ob quae probabile est vitam, etiam pluribus annis, minuendam esse, dummodo ex justa causa fiat et absit proximum mortis periculum; quodsi justa causa desit, periculum tamen remotum maneat, id culpam levem non excedit. Nulla enim datur obligatio abstinendi ab omnibus rebus quae vitam coarctare valeant; imo humanae conditionis necessitates vel utilitates videntur postulare ut, intendendo finem bonum, permitti possit deminutio vitae satis notabilis. (Ball. P. n. 34 seqq.) Hinc :

1° Nullatenus peccant operarii qui labores utiles assumunt, quibus vacantes vix umquam ad senectam perventuri sint, ut vitrum conflantes, metalla hydrargyro inaurantes, regionem valetudini nocivam petentes, etc.

2° Non peccant qui carnem moderatis poenitentiis affligunt, etiamsi propterea exspectare debeant vitam breviorem; graviter autem peccaret, per se et abstrahendo ab ignorantia excusante, qui tantas poenitentias assumeret ut se in proximum mortis periculum conjiceret.

3° Leviter peccant qui excessivo potu vel cibo probabiliter vitam coarctant, dummodo se non injiciant in proximum periculum mortis vel gravis morbi.

IV. Mutilatio, seu actio qua membrum aufertur, per se graviter illicita est, excepto tantum casu quo ad conservationem totius corporis necessaria est. Ratio est, quod homo non habet membrorum suorum dominium : ideo, nisi materiae parvitas excuset, ut in amputanda particula digiti minimi, graviter laeditur jus Dei in corpus nostrum. Exceptionis ratio est : quod partes postponi debent conservationi totius, ideoque homo, ut membrorum administrator, unum ex illis ad totius salutem abscindere potest. Hinc :

1° Non licet abscindere pollicem ad vitanda pericula, etiam spiritualia, quae in militia subeunda immineant. Nam " saluti spirituali semper potest aliter subveniri quam per membri praecisionem; quia peccatum subjacet voluntati „ (2. 2. q. 65. a. 1. ad 3); periculum autem corporale nonnisi remotum est. Quodsi aliquae sanctae virgines se mutilaverunt ad pericula castitatis evadenda, id explicetur ut supra dictum est de iis qui se directe occiderunt. (n. 361)

2° Non licet se castrare ad conservandam castitatem vel sedandas tentationes, ob eamdem rationem (S. Th. l. c.), cui addi potest medii inefficacia : siquidem homo etiam impotens multis tentationibus carnalibus obnoxius manet. (Ball. P. n. 43) Liceret autem, ut fit quandoque, testiculos morbo infectos abscindere ad vitam servandam. De castratione feminea seu ovariorum ablatione dicetur in tr. de Matrim. Vol. II. n. 503.

3° Peccant parentes qui filios, etiam consentientes, castrant ut, vocis suavitate servata, lucrum majus faciant. (Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 23) Si enim castratio illicita est ad consequenda magna bona spiritualia, puta immunitatem a gravibus animae periculis, multo magis illicita est ad bona mere temporalia consequenda. Quare omnino relinquenda est quorumdam AA., quos citat S. Alph. (n. 374), sententia contraria.

§ 2. DE POSITIVA CURA VITAE PROPRIAE.

364.I. Unusquisque tenetur propriam vitam conservare *mediis ordinariis et statui suo congruentibus* : nam qui talia media adhibere nollet, aequivalenter semetipsum occideret. Idem dicendum de servanda propria valetudine vel membrorum incolumitate. Quare peccaret qui respueret media non extraordinarie difficilia, quibus se a morbo gravi vel ab amittendo membro tueri posset. Levem tamen aegrotationem, ob rationabilem causam, curare nolle, peccato vacat : cum positiva proprii corporis cura non tanto rigore urgenda sit, ut a fortiori concludere licet ex iis quae supra (n. 363) de vitae deminutione, ob bonum finem permittenda, dicta sunt.

II. Nemo tenetur *media nimis difficilia vel extraordinaria* adhibere ad vitam, membrorum integritatem vel sanitatem servandam : leges enim positivae universim non jubent talibus mediis uti. (n. 114) Hinc :

1° Nemo, etiam ditissimus, obligatur ad sedem in alia regione ponendam, vel ad balnea longinqua adeunda, etiamsi aliter vitam protrahere nequeat.

2° Nullus tenetur *magnam* mutilationem vel chirurgicam operationem cum vehementibus doloribus conjunctam subire, etiamsi vitam aliter servare non posset. Imo, etiamsi vehementes dolores arceri possunt, quemadmodum fere contingit nostris diebus, non putamus in eodem casu obligari ad magnam operationem subeundam eum qui eam vehementer horreat. Nam ipse hic horror extraordinariam difficultatem gignit (Lehmk. I. n. 572), et urgeri potest paritas cum casu virginis, quae, juxta plerosque DD. (S. Alph. n. 372), non tenetur subire manum medici vel chirurgi, quando talem contrectationem magis quam ipsam mortem horret. Adde : saepe manere prudens dubium de successu, praesertim stabili, magnarum operationum. Per accidens posset aliquis obligari ad mutilationem vel chirurgicam operationem subeundam, nempe si persona quaedam bono aliorum, puta familiae vel Status, esset valde necessaria et successus moraliter certus. Posset quoque pater aliusve Superior jubere filium subditumve, bono aliorum necessarium, ut pateretur

operationem cujus dolor valde moderatus et successus moraliter certus foret, sicut jam, ob scientiae chirurgicae progressus, in dies crebrius contingit. Verum, deficiente aliqua ex his conditionibus, non videtur res tam ardua praecipi posse. (Lugo, l. c. 21)

365. III. Ex officio vitae mediis ordinariis tuendae oritur in plerisque hominibus obligatio **sustinendi laboris** viribus proportionati seu " exercendi se rerum comparandarum causa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae. „ (Encycl. de condit. opif.) Haec enim est praesens humani generis conditio ut plerique, nisi in laborem incumbant, vel omnino vitam alere nequeant, vel saltem careant ea copia subsidiorum (alimentorum, vestium, etc.) quae ad temporalem felicitatem et intellectualem evolutionem, dignitati naturae humanae maxime consentaneas, necessaria est : quod luculenter comprobatur miserrima conditione gentium quae solis terrae fructibus otiosam vitam ducunt, etiam in iis regionibus quae natura sua feraciores sunt. In hoc sensu recte dicitur lex laboris promulgata Gen. III, 19 : " In sudore vultus tui vesceris pane. „ (1) Perperam vero eadem verba interpretaremur, quasi singulis hominibus, independenter a necessitate in qua versentur, obligatio laborandi imposita fuisset. Neque Apostolus (1 Thess. IV, 11 ; 2 Thess. III, 10) opus manuum, seu laborem aptum ad victum comparandum, praecepit nisi ad excludendum peccatum eorum qui illicite victum acquirebant, ut observat S. Th. 2. 2. q. 187. a. 3.

Nulla autem lege praecipitur ut homo labore suo comparet sibi amplissimam illam rerum utilium copiam per quam frui possit iis commodis quae tantum in societatibus valde excultis, plurimum evoluto materiali progressu, reperiri possunt. Tanta enim virium intensio ad comparanda ea quae vitae convenienter ducendae minime necessaria sunt, nimis ardua est quam ut praecipiatur ; eo vel magis quod vehemens temporalium commodorum prosecutio facile hominem a supernaturali fine prosequendo avocat.

Iis igitur qui nulla victus quaerendi necessitate adstringuntur, puta quia in ampla fortunarum conditione nati sunt vel ab aliis benigne aluntur, labor non praecipitur nisi quatenus necessarius est ad alia officia

(1) His verbis felici et praeternaturali conditioni, qua humanum genus in statu innocentiae gavisum esset, ut vid. paradisi fructus, vitae alendae abunde sufficientes, facili gratoque labore obtinuisset, opponitur misera hominis lapsi conditio : ut nonnisi sudore seu arduo labore vitae necessaria consequi possit. Cfr. von Hummelauer. (Comment. in Gen. in h. l.) Hac divina maledictione, naturalem rerum humanarum conditionem declarante, nullatenus prohibetur quominus aliquot homines hac necessitate immunes vivant, sicut simili maledictione : (Gen. III, 16) " In dolore paries filios, „ minime prohibetur quominus naturales partus dolores humana arte, quatenus fieri potest, sopiantur.

implenda, puta pietatis, caritatis, status propria, et praesertim ad vitanda peccata quae ex otio nasci pronum est. Quam facile ex otio vitia pullulent, quotidiana experientia animarum comprobat, et testatur Ecclesiasticus (XXXIII, 29) : " Multam malitiam docuit otiositas. „ Manifestum est otio vitando sufficere quamlibet occupationem, sive corporalem, sive spiritualem, sive utilem aliis, sive inutilem. Attamen, si vita fere integra, vel maxima illius pars, duceretur in occupationibus mere voluptuariis, animus plurimum enervaretur et multis spiritualibus periculis obnoxius maneret : quemadmodum comprobatur vitiis quibus foedari solent fere quilibet homines ludis et recreationibus jugiter intenti.

Nullum vero speciale officium laborandi oritur e nuda ratione utilitatis quam singuli homines societati humanae, cujus membra sunt, afferre debeant. Verum quidem est : maxime optandum esse ut unusquisque tempus quod sibi a necessario labore et moderata quiete supersit, in utilitatem ceterorum impendat. Atque huc facit quod praeclare docet Leo XIII (Encycl. cit.) : " Quicumque majorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. „ Verum haec declarant tantum finem a Deo intentum in majore bonorum copia quibusdam concedenda, minime vero legem strictam, quae durissima foret, ut singuli quidquid temporis, virium etc. propriis necessitatibus supersit, in aliorum utilitatem conferre teneantur. Neque inutile societatis humanae membrum dici potest ullus homo qui varia officia erga Deum, proximum et seipsum implet : siquidem vitae recte ordinatae exemplis, meritis, orationibus etc. multiplicem utilitatem ceteris conciliat. Strictae obligationes, quae hominem tamquam societatis membrum constringunt, oriuntur e justitia legali seu sociali et caritate. Auctoritas enim civilis, ad quam pertinet singulos subditos in communem societatis finem dirigere, per leges multa determinat quae a singulis requiruntur ut communis temporalis felicitas sufficienter procuretur, puta dum per tributa partem fructuum laboris sui conferunt, dum militia vel publicis muneribus funguntur, etc. Ubi sola caritas urget, applicandae sunt regulae generales de quibus dictum est n. 214 seqq.

Haec caritatis obligatio nostris diebus strictius urget quam praeteritis saeculis urgebat : nam, ob nefariam licentiam quae pessimis societatibus et scriptis tribuitur, multo major est necessitas spiritualis qua laborant integrae regiones, civium praesertim rudiorum classes, oppida, etc. Jamvero constans regula est : cum necessitate proximi crescere obligationem succurrendi in iis quibus facultas suppetit. Attamen plerumque hortationibus potius quam strictis praeceptis impellendi sunt ii

qui tempore et dotibus abundant ut in bona opera, puta in spargendas bonas ephemerides, in fovendas societates catholicas etc. incumbant. Sat raro enim constabit singulorum operam necessariam et efficacem esse ad communia damna avertenda ; saepe a gravi obligatione excusabit notabile incommodum quod in opera conferenda subeundum erit. (n. 217) Vehementer tamen hortandi sunt hujusmodi homines ut, ad vitanda pericula otii et dissipationis, potissimum in opera caritatis, in catholicas societates fovendas, in retundendos qua voce, qua scriptis impiorum conatus incumbant : nulla enim ratione efficacius quam operibus caritatis divinae gratiae copiam merebuntur animumque ad excelsiora attollent.

CAPUT II.

DE OCCISIONE MALEFACTORIS.

366. I. Extra casum necessariae defensionis (de quo dicetur cap.III), nemini licet occidere malefactorem etiam notorium, **absque publicae auctoritatis interventu.** Nam occisio illa ad salutem totius communitatis ordinatur, ideoque pertinet ad illos solos quibus committitur cura communitatis conservandae. (2. 2. q. 67. a 3) Insuper patet quot caedibus injustis et perturbationibus ortum daret potestas singulis attributa ad injurias suas, etiam nece, vindicandas. Hinc :

1° Omnino reprobanda vindicta popularis quae in quibusdam regionibus sub nomine " Lynch-law „ aliquando exercetur. (Sabetti, n. 267)

2° Non licet marito uxorem aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas. Ideo Alex. VII damnavit prop. 19^{am} : " Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. „ Idem dic de occidendo adultero, ut patet.

II. Auctoritati publicae licet occidere malefactorem, quatenus id ad salutem totius communitatis necessarium est. Id clare patet ex universa traditione christiana, quae id licitum reputavit, sicut et ipsa S. Script. licitum supponit, non tantum in republica Hebraeorum (Exod. XXII, 18 seqq.) sed et in Romano imperio. (Rom, XIII, 4) Et ratio in promptu est : nam, sicut privatis licet vitam tueri etiam morte injusti aggressoris, ita et reipublicae concedatur oportet mortem intentare iis qui publicam tranquillitatem graviter adoriuntur et mitiore poena efficaciter compesci nequeunt. Aliqui, sed, ut videtur, perperam, opinantur hanc necessitatem occidendi malefactores ad communitatis tranquillitatem in regionibus excultis jam evanuisse ; generale tamen principium hic positum negare nefas est catholicis.

367. III. In occisione ex publica auctoritate per se servandus est **ordo juris**. Ad hunc requiruntur quatuor : reus, judex, actor et crimen. Reo danda est plena facultas causam suam per se vel per alium idoneum tuendi; crimen autem debet esse ita grave ut, secundum leges, sit morte dignum, et manifestum vel ex certis testimoniis vel ex rei confessione. (Struggl, tr, 7. q. 3. n. 35) Hujus ordinis servandi ratio haec est : quod respublica non habet potestatem in vitam civium, nisi quatenus ipsi certo constat delictum. (Lugo, de Just. et J. disp. 37. n. 51) Insuper, ex jure naturae, actus *publicus* fieri debet ex scientia et auctoritate *publica*. Attamen, si crimen notorium esset et grave periculum, ex. gr. seditionis, ex ordine juridico plene servato imminerêt, liceret saltem principi supremo, ea omittere quae sine gravi incommodo communi fieri non possent. Hinc :

1° Princeps, etiam absolutus, nequit malefactorem occidere ex scientia mere privata, nisi id necessarium esset ad rempublicam a malo imminente tutandam. (Lugo, l. c.)

2° Nemini licet occidere etiam publicos grassatores nondum legitime damnatos, nisi in casu legitimae defensionis vel licentiae a principe datae unicuique eos occidendi. Talem licentiam seu proscriptionem (quae jam ab usu recessit) AA. communiter licitam reputabant, sed tantum in casu rarae et urgentis necessitatis. (Struggl, l. c. n. 36)

3° Satellites nequeunt occidere reum aufugientem, nisi iste armata manu resistat et de crimine capitali satis diffamatus sit, neque aliud medium eum capiendi suppetat, et tandem ut ab eo, si aufugiat, majora mala timeantur. (Struggl, l. c.) Attamen inferiores milites vel custodes qui reos damnatosve armis impetere jubentur, semper parere possunt, donec de mandati istius injustitia *certo* constet : quo casu, ita armis uti deberent ut nullatenus vel leviter tantum aufugientem vel resistentem laederent.

Semper autem, nisi graviora damna timeantur, reo occidendo concedendum est spatium poenitendi et sacramenta saltem necessaria recipiendi.

CAPUT III.

DE OCCISIONE INIQUI AGGRESSORIS.

368. I. Licitum est defendere seipsum contra iniquum aggressorem, etiamsi hujus mors ex ista defensione sequatur. Nihil enim tam naturale est quam vim vi repellere : maxima autem detrimenta sequerentur humanae societati, si scelerati impune possent quoslibet injuriis afficere.

Quare,ob magnum bonum e defensione secuturum,permitti potest occisio aggressoris. (n. 14) Attamen illicitum foret excedere *moderamen inculpatae tutelae,* seu ullum nocumentum inferre proximo quod non sit necessarium ad proprium periculum propulsandum, aut occisionem proximi directe intendere. (2. 2. q. 64. a. 7)

II. Ut habeatur vera *defensio,* oportet ut agatur de malo inferendo et imminente. (D'Annib. II. n. 283) Hinc oportet :

1° Ut *malum nondum sit illatum :* qui enim malum jam illatum redderet, exerceret vindictam, quae, saltem in gravioribus (n. 228), auctoritati publicae reservatur. Attamen levior quaedam percussio saepe licita fiet ad novas aggressiones praevertendas. Hinc (S. Alph. n. 386) censet puellae non tantum permittendum, sed et consulendum esse, ut invasorem pudicitiae alapis, fuste, etc. percutiat, ne iterum eam sollicitet.

2° Ut sit *certa* mala intentio aggressoris. Attamen, si alter aliquid facit unde rationabiliter mors timeatur et monitus non desistit, potest licite occidi, ex. gr. a milite excubias agente. (Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 152) Idem dicendum de fure *nocturno,* de quo vix cognosci poterit utrum sola bona fortunae an etiam vitam impetat.

3° Ut aggressio *aliquo modo incepta sit,* saltem moraliter, ex. gr. ut latro jam insidias mihi struxerit, licet nondum physice me invaserit : nam si physica invasio esset exspectanda, saepe jus defensionis inane fieret. Imo, in casu quodam rarissimo, in quo nulla alia ratione mors vitari posset, liceret occidere eum de quo certo constaret eum proxime vitae propriae insidiari, puta si uxor certo sciret maritum sibi venenum parasse vel pugionem sub lecto abscondisse ad ipsam in somno occidendam. (Lugo, l. c. n. 157 ; Struggl, l. c. n. 20) Sed regulariter non licet praevenire aggressorem : siquidem id multis injuriis ortum daret, ob hallucinationis periculum. (S. Alph. n. 387)

369. III. Licet per mortem injusti invasoris tueri non tantum *vitam,* sed et *integritatem membrorum, pudicitiam, bona fortunae magni momenti.* Nam etiam de bonis fortunae, quae tamen minima sunt ex istis, id licere admittit communis sententia Theol. innixa S. Script. (Exod. XXII, 2) et Juri Canonico (6[i] Decr. l. 5. t. 11. c. 6). Ratio autem ob quam liceat tueri bona inferioris ordinis, etiam cum detrimento bonorum ordinis superioris, assignatur a S. Alph. (n. 383) : quod " praeceptum caritatis non obligat praeferre bona altioris ordinis nisi quando proximus est in extrema necessitate, non vero quando ipse sponte se exponit mortis periculo. „

Nequit clare determinari quaenam censenda sint in hoc argumento

bona fortunae magni momenti. Probabilius talia sunt si, pro facultatibus possidentis, magnum ei damnum furto infertur, vel si summa est *in se et respectu omnium notabilis*, qualem censebant multi veteres summam 32 scutatorum seu fere 400 fr. monetae nostrae. (D'Annib. II. n. 383. nota 9) Damnata quidem est ab Innoc. XI prop. 31ª : " Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. „ Sed cum propositio id *regulariter* licere affirmaret, nequit ex damnatione concludi eam summam numquam sufficere, siquidem ex unius aurei ablatione grave damnum imminere potest pauperi. (Ball. P. n. 61)

Non licet autem occidere injustum *invasorem famae vel honoris*, ut omnes AA. hodierni docent, ex quo Alex. VII damnavit prop. 18ªm : " Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare „ et Innoc. XI prop. 30ªm : " Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit. „ Rationes sunt : quod plerumque non deerit aliud medium vitandi ignominiam, puta recurrendo ad judices vel testes, et praesertim quod, cum honor et fama varie a variis pro suo affectu aestimentur, magnum periculum hallucinationis e tali defensione cruenta oriretur, caedes autem cum magno damno societatis humanae multiplicarentur, etiam ob aggressiones levissimas vel falso existimatas. (Ball. P. n. 72)

Similiter non licet occidere *furem rei parvi momenti* unice ad eam recuperandam. Sed rem hujusmodi potest dominus tueri contra furem, qui, si vim adhibet, poterit, ubi opus est, occidi : sic enim jam occiditur pro tuenda non tantum re quam fur appetit, sed ipsa persona domini quam aggreditur. (Ball. P. n. 65)

370. IV. Moderamen inculpatae tutelae excedunt (D'Annib. l. c.) :

1° Qui majus damnum inferunt quam defensio poscebat, ex. gr. occidendo quando vulnere inflicto malum arceri poterat.

2° Qui vim adhibent quando eam sine gravi incommodo omittere poterant. Ideo peccat qui furem occidit vel vulnerat, quando, per recursum ad judicem, facile bona recuperare potest : quod regulariter in regionibus nostris praesumendum est. Attamen, etiam quando fur rem ablatam jam in tuto posuit, si haec alia ratione recuperari nequiret, liceret eam per vim repetere, et si fur resisteret ac personae domini vim inferret, posset vulnerari vel occidi, ut injustus vitae vel membrorum aggressor. (S. Alph. n. 383) Peccat vero qui vim adhibet quando, sine magno incommodo, per fugam sibi consulere poterat. Dupliciter autem tale incommodum occurrere potest, nempe vel ob periculum cui se exponat is qui facilius occidi laedive possit si fugiat quam si resistat,

vel e magna ignominia quae eidem ob talem fugam inuratur : quod ultimum regulariter non contingit nisi iis quibus armorum usus et professio est. (Lugo. l. c. n. 166)

V. Huic juri defensionis minime obstat (D'Annib. l. c.) :

1° Quod aggressor sit tantum materialiter injustus, puta ebrius, amens, etc. Nam jus meum ad eum occidendum non oritur ex ejus peccato, sed ex jure meo ad vitam meam defendendam.

2° Quod occasio data fuerit huic aggressioni injustae per culpam aliquam : haec enim injustitiam non tollit. Sic licet adultero se tueri cum moderamine inculpatae tutelae contra maritum qui eum occidere nititur.

VI. Quandocumque alicui jus se defendendi competit, licet pariter cuilibet, intra eosdem limites, eum in defensione juvare : id enim clare e caritatis natura deducitur. Quandonam exsurgat obligatio ad hanc opem praestandam, e principiis generalibus de eleemosyna datis erui potest. (n. 218) Attamen, quando agitur de defensione periculosa, et quae ad occisionem ipsius aggressoris procedat, raro aliquis ex *mera* caritate obligatur, ob magna incommoda quae talem defensionem fere necessario comitantur. Obligatio ista communiter ab AA. ponitur pro casu in quo innocens occidendus esset ebrius et in statu peccati mortalis, vel esset persona ad publicum bonum necessaria. Eadem crebrius oriri potest e justitia propter officium susceptum, puta magistratus, custodis, etc. vel e pietate, puta in parentibus erga liberos et vice versa. (S. Alph. n. 390 : Ball. P. n. 79)

CAPUT IV.

DE OCCISIONE INNOCENTIS.

§ 1. PRINCIPIA GENERALIA.

371. I. Occisio innocentis in se seu directe voluntaria semper est graviter illicita, nisi Deus, omnis vitae Dominus, eam permiserit. Neque Deus ulli homini, vel etiam publicae auctoritati, hanc potestatem modo generali fecit, sed absolute talem occisionem reprobavit : " Insontem et justum non occides. „ (Ex. XXIII, 7) Rationem affert S. Th. (2. 2. q. 64. a. 6) quod " occisio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur. Vita autem justorum est conservativa et promotiva boni communis : quia ipsi sunt principalior

pars multitudinis. " Nec refert utrum haec occisio intendatur ut finis an ut medium tantum. (n. 361) Hinc :

1° Numquam licet innocentem *directe* interficere, etiam ad gravissima mala vitanda, ex. gr. furiosum ne aliis noceat, matrem in extremis positam ut infans baptizari possit, etc.

2° Non licet interficere obsides eo quod ii qui eos miserunt non servant fidem.

3° Etiamsi tyrannus urbi minetur excidium, nisi aliquis innocens occidatur, id non licet directe praestare. Praeter rationem generalem supra datam, addi potest cum Lugo (de Just. et J. disp. 10. sect. 4) : " Respublica non potest in suam utilitatem convertere vitam civium et hanc vitam consumere propter suam utilitatem : quia non cives propter rempublicam, sed haec propter cives est et ad eorum utilitatem ac bonum ordinatur. „

372. II. Licet aliquid de se indifferens facere vel omittere, ex quo sequatur occisio innocentis, sed saltem aeque immediate effectus bonus, dummodo haec occisio non intendatur et adsit ratio sufficiens ad hunc malum effectum permittendum. Ratio patet ex supra dictis. (nn. 14 et 362) Hinc :

1° In casu tyranni et innocentis, de quo supra, licebit hunc illi tradere: quia respublica potest subditum cogere ut impleat obligationem, quae ei incumbit se exponendi illi periculo propter publicam salutem. (Lugo, l. c. n. 113)

2° Ad expugnandam urbem licet, si necessarium sit, ignitos globulos mittere in maenia vel pugnantes, quamvis simul perituri sint multi innocentes.

3° Fugienti hostem et mortem propriam licet prosequi cursum, quando obvius est in angusto itinere claudus vel infans quem equi cursus conteret. (Lugo, l. c. n. 127) Supponitur tamen omnes cautelas adhiberi, ne innocens pereat, et infantem esse baptizatum : nam, si in extrema necessitate spirituali versaretur, haec alterius vitae praevaleret.

4° Si injustus aggressor, ne a te percuti possit, opponit tibi infantem, licet eum per ipsum infantem oppositum petere, si aliter te defendere nequis. Hic tamen omnino supponendum non *prius* occidi infantem ut *postea* libere feriatur aggressor : haec enim actio, ex supra dictis (n. 371) esset illicita " quia ille ictus directe et per se tendit ad mortem infantis, quam assumis ut medium ad occidendum postea hostem. „ (Lugo, l. c. n. 125)

5° Licet aqua gelida, si alia haberi non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi timeatur ex hoc mors acceleranda. (S. Alph. l. 6. n. 106)

373. III. Ut in foro conscientiae imputetur *homicidium casuale*, seu quod praeter intentionem ex aliqua actione vel omissione sequitur, non sufficit illam actionem vel omissionem esse prohibitam, sed necesse est rationem prohibitionis esse ipsum homicidii periculum. Cfr. supra (n. 13) conditiones generatim requisitas ut aliquis effectus malus, praeter intentionem sequens, agenti imputetur. Ita homicidium casuale non imputatur clerico contra leges ecclesiasticas venanti, sed debitam diligentiam adhibenti ; imputatur vero tegulas, absque solitis cautelis, e tecto in vicum projicienti. (S. Alph. n. 398)

Nota, in foro externo, ob negligentiae praesumptionem, quandoque imputari homicidium mere casuale quod in foro interno, ex. gr. ob inconsiderationem, ob cautiones adhibitas, non imputabitur.

IV. Pleraeque homicidii voluntarii species, quae in Jure civili discernuntur, ut assassinium, veneficium, etc., speciem moralem non addunt, vel, si qua species advenit, haec facillime agnoscitur eo quod ex fine prorsus extrinseco operantis oritur, puta in latrone occidente cum animo praedandi. Praesertim notandum homicidio accedere posse malitiam : a) *Sacrilegii personalis vel localis* (n. 280 seq.) ; b) *contra pietatem*, si committitur inter ascendentes vel descendentes, inter fratres vel sorores, inter maritum et uxorem : nam de reliquis gradibus controvertitur ; c) *contra observantiam*, si occiditur S. Pontifex vel Princeps civilis : quod crimen dicitur laesae Majestatis. (Ball. P. n. 3 seqq.)

§ 2. DE OCCISIŌNE FOETUS.

374. NOTIONES. 1° Secundum sententiam hodie communem, nullo tamen *certo* argumento demonstratam, foetus habet animam rationalem a primo conceptionis instanti, seu ab eo momento quo ovulum femineum a spermatozoidis masculinis fecundatur. Ideo statim obtinet jus ad vitam, capax est baptismi recipiendi, etc. Quare prorsus dimitti solet distinctio inter foetum animatum et foetum inanimatum, quam antiquiores Theologi Morales et ecclesiasticae leges de abortu faciebant, Scholasticorum placitis adhaerentes. Hi putabant aliquod temporis intervallum elabi inter foetus conceptionem et animae rationalis infusionem. In determinando isto intervallo nonnihil discrepabant ; plerique masculos circa 40^{um} diem, feminas circa 80^{um} diem animari autumabant. Videsis Eschbach, Disput. physiol. theolog. disp. 2. p. 1. Quodsi quis opinaretur reapse animam non infundi antequam foetus se aliquatenus evolverit, nihilominus eadem principia practica in praesenti argumento statuere deberet quae nos, juxta communem sententiam, probaturi sumus : nam,

cum saltem probabile sit foetum a primo instante esse hominem, semper a periculo homicidii cavendum erit. (n. 68)

2° Foetus regulariter ante septimum gestationis mensem, seu 30 hebdomadas, extra uterum maternum vivere nequit. Attamen ubi adhiberi potest recens inventa artificialis incubatio, probabilitas haberi potest infantem jam a sexto mense completo extra uterum alendi. (1) Verum notandum hanc probabilitatem multo magis a physica evolutione et dispositione infantis quam a mense gestationis pendere, ideoque vix alium quam peritum medicum posse in singulis casibus judicare num foetus jam extra uterum vivere queat. (Dr. Hubert, Accouchements, etc. I. p. 76)

3° Per hanc possibilitatem vel impotentiam vivendi extra uterum maternum, discriminatur abortus ab acceleratione partus.

Abortus est ejectio foetus qui extra uterum nondum vivere potest, regulariter ante 30 hebdomadas. *Acceleratio partus* est ejectio foetus qui jam extra uterum vivere potest, sed nondum plene maturus est, regulariter inter 7^{um} et 9^{um} mensem completum. Utrumque, ut casu accidere, ita et voluntarie procurari potest : patet hic tantum de voluntaria procuratione agendum esse.

375. ASSERTA. I. Graviter illicitum est **procurare abortum in se voluntarium**, sive is ut finis, sive ut medium, puta ad vitandam matris infamiam, mariti vindictam, etc., intendatur. Est enim occisio innocentis. (n. 371) Nam, saltem quando nullum periculum vitae foetus imminet, eum extra uterum ponere in quo solo vivere potest, moraliter idem est atque illi percussione vel alia positiva actione vitam auferre. Idem a fortiori sequitur ex damnata ab Innoc. III prop. 34^{a} : " Licet procurare abortum, ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. „

376. II. Numquam licet **directa actione occidere infantem** in utero matris, etiamsi, tali operatione omissa, mater et infans perituri sint, ea vero admissa, salvanda speretur mater, infante pereunte.

Ratio est, quod ita directe intenditur mors infantis tamquam medium ad salutem matris obtinendam, ita ut bonus effectus tantum mediate sequatur. Cfr. n. 14. Probatur etiam ex responsis S. Off. 28 Maii 1884 et 19 Aug. 1888, quorum posterius ita sonat : " In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam quam craniotо-

(1) In Maternitate Parisiensi, teste H. de Parville (*La Nature*, 11 Nov. 1897), ope artificialis incubationis (couveuse), 30 p. c. e foetibus post sex menses editis vivere pergunt.

miam appellant... et quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis. „ (Coll. P. F. n. 2096 seq.) Quare jam ab omnibus AA. deseritur opinio contraria, quam multi scriptores, praesertim Itali, ante haec decreta saltem ut probabilem propugnabant, nixi praecipue ea ratione quod infans, in casu dato, potest haberi ut aggressor objective injustus, et qua talis, si opus fuerit, etiam vita privari : quae ratio tamen manca est, siquidem, ut notat Ball. P. (n. 101), infans potius habendus est ut impedimentum salutis matris : fere sicut infans in arcta via jacens et fugam impediens. (n. 372) Attamen, cum solutio quaestionis e solo jure naturali sit valde ardua, ut satis patet ex illa recenti controversia, facilius admitti potest bona fides in medico qui craniotomiam exerceat tantum in casu valde raro, quo aliud medium non suppetat ad salvandam matrem ; aegre autem, in eo qui hoc desperatum medium adhibet ad damna non ita gravia vel certa praecavenda.

In plerisque casibus hodie matri et proli succurri potest per operationem caesaream, laparotomiam similesque operationes. Etenim, ob mirabiles progressus quos ars chirurgica, praesertim adhibita methodo aseptica, hodiedum fecit, multo minus periculum matri ex hujusmodi operationibus creatur. Quare etiam illi medici qui moralis christianae principia nihili faciunt, jam ab embryotomia, paucis casibus exceptis, abstinere solent. De his cfr. Dr. Hubert, op. cit. t. II. p. 159 seqq,

Si quando dubitatur utrum id quod mater gerat sit foetus an merus tumor, ut fieri potest in conceptione extra-uterina, neque ullum medium datur ad hoc dubium expellendum, censemus licitum, id quod matri imminens vitae periculum creat tamquam tumorem exstirpare : nam jus certum matris ad vitam servandam videtur praevalere juri mere probabili foetus ad eamdem vitam.

377. III. Etiam quando mater in praesenti vitae discrimine versatur, neque aliud medium illius salvandae datur quam procurare abortum, id graviter illicitum manet.

Etenim S. Inqu. interrogata num medicus tuta conscientia posset in iis adjunctis abortum inducere, 24 Julii 1895 respondit : " Negative, juxta alias decreta, diei scil. 28 Maii 1884 et 19 Augusti 1888. „ Ob responsum istud jam communiter positiva inductio abortus tamquam certo illicita habetur etiam ab iis AA. (ut Lehmk. Edit. 9ª, I. n. 841 seq.) qui eam antea damnare non erant ausi. Nimirum ipsis visum erat probabiliter dici posse : matrem, dum abortum per se vel alium inducit, tantum cessare ab infante in utero conservando et ita permittere ut pereat ; ipsam vero non teneri ad prolem cum jactura propriae vitae conservandam. Verum non attenderant per abortum inductum poni actionem omnino positivam quae natura sua tendat ad foetus mortem : quae proinde non permitteretur tantum, sed directe procuraretur.

In conceptione extra-uterina licebit sane recurrere ad laparotomiam similemve operationem, quando aliqua etiam tenuissima spes affulget salvandi infantem, simul ac mater fere certo liberabitur. (Hubert, op. cit. I. p. 231) Quem in sensum respondit S. Inqu. 6 Maii 1898 : " Necessitate cogente, licitam esse laparotomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur. „ Ubi vero nulla spes hujusmodi affulget, neque in hoc casu licebit abortum directe inducere, etiamsi foetus certo moriturus sit antequam in lucem edatur, et baptismum recipere nequeat. Etenim S. Inqu., dum provocat ad responsum 19 Aug. 1888, satis indicat abortus inductionem a se haberi tamquam operationem directe occisivam foetus ideoque semper illicitam.

IV. Licet matri, quae periculoso morbo laborat, sumere medicamenta quae directe tendant ad eam sanandam, quamvis simul inde sequi possit abortus vel mors foetus, dummodo hic pravus effectus non intendatur et, quantum fieri potest, praecaveatur.

Nam sic ponitur, ob rationem proportionate gravem, causa per se indifferens ex qua aeque immediate sequitur duplex effectus, alter bonus, alter malus. (n. 14) Neque a tali remedio sumendo deterrenda erit mater eo quod foetus forte sine baptismo moriturus sit. Nam plerumque infans baptizari poterit vel in utero (Vol. II. n. 143) vel abortu secuto. Insuper, si mater perire sinitur, fere semper infans ante eam morietur.

378. V. Artificialis acceleratio partus licita est, quando medicus cum solida probabilitate judicat foetum extra uterum vivere posse et gravis urget causa, ex parte vel prolis vel matris.

Ratio manifesta est ubi partus acceleratur in favorem foetus, quem diuturnior gestatio majori periculo exponeret. Ubi vero in favorem matris graviter aegrotantis accelerator, ratio est, quod, ad magnum matris damnum avertendum, licet foetum alicui periculo vel damno objicere. Attamen, si absque gravi periculo matris fieri possit, exspectandum erit donec cum morali certitudine constet foetum extra uterum vivere posse. Sed si mater tam arcta esset ut foetum plene evolutum edere non posset, neque operationem caesaream similemve sectionem pati vellet (Vol. II. n. 144), liceret accelerare partum, etiam quando tenuis tantum spes affulgeret foetum extra uterum vivere posse, ex. gr. inter sextum et septimum praegnationis mensem completum. Nulla enim melior ratio tunc suppetit providendi prolis incolumitati. (Hubert, op. cit. t. II. p. 121 seqq.) Idem dicendum de casibus in quibus tenuis spes affulgeret alendi infantem ope incubationis artificialis, neque melior ratio suppeditaret servandae matris vel prolis.

VI. Graviter peccant, saltem ob pravam intentionem, mulieres quae, se gravidas existimantes, quaedam faciunt ut abortum inducant, puta pedes in aqua frigida lavando, potiones foetui nocivas sumendo, etc. Similiter quae in eodem casu non vitant, diligentia saltem communi, illas actiones quas norunt sibi grave periculum abortus inducere. Attamen, ubi abest prava intentio, non facile de gravi peccato arguendae sunt. Nam saepe constare nequit num actiones ponendae gravem influxum in abortum inducendum exercere valeant. Juxta Dr. Surbled (*La vie sexuelle*, p. 230), praesertim vitanda sunt abusus copulae et delatio vestium uterum nimis arctantium. Reliquae causae quae assignari solent, ut violentae animi commotiones, ventris percussio, nimia defatigatio, vectio in curru, etc., saepe nihil efficiunt, etiamsi crebro et ex industria adhibentur. E contra quandoque minima causa, ut modici oneris delatio, balnea nimis calida etc., abortum inducet, praesertim in mulieribus valde excitabilibus, quales solent esse oppidanae.

Hinc facile deducitur reatus mariti, medici, obstetricis, etc. qui conantur abortum procurare vel ea consulunt quae illum verisimiliter inducant.

N. B. Mulieri, quae sciens volens copulam habuit, numquam licet expellere semen : id enim prorsus fini naturali copulae adversaretur. Attamen ei quae vi dolove oppressa est probabilius id licitum est, dummodo fiat immediate post copulam. Nam semen tunc se habet ad modum injusti aggressoris quem licet repellere. (Lehmk. I. n. 849; Ball. P. de 6° Praec. n. 120) Neque sic inducitur periculum abortus. Nam, secundum recentiora medicorum placita : " Conceptio cum copula minime coincidit ; imo saepe saepius, pluribus horis vel etiam diebus interjectis, obtinet. „ (Eschbach, op. cit. p. 79) Deinde merus conatus expellendi semen, ex. gr. per lotionem vaginae, foetui jam concepto non noceret.

CAPUT V.

DE DUELLO.

379. DEFINITIO. Duellum definiri potest : singulare certamen armis letalibus ex condicto initum. Nempe :

Singulare certamen, eo sensu quod singuli singulos adoriantur, licet forte hinc inde stent duo vel tres dimicaturi : quod tamen hodie obsolevit.

Armis letalibus, seu quae periculum occisionis vel gravis vulnerationis afferant, ut sunt gladii, sclopeta (revolvers), non autem bacilli, ferrum acie retusa, multo minus pugni (boxe).

Ex condicto initum. Omnino requiritur ut inter partes convenerit de *loco* et *tempore* confligendi; nam per hanc circumstantiam duellum differt a rixa, quae, saltem pro alterutro e pugnantibus, ex improviso contingit. Si, contra morem, *arma* determinarentur tantum in loco pugnae, malitia moralis esset prorsus eadem, neque talem praeviam determinationem videntur RR. PP. habuisse ut essentialem : nam ut duellantes puniunt " illos qui ex condicto, statuto tempore, in loco convento monomachiam commiserint. „ (Greg. XIII Const. *ad tollendum)* Nihilominus multi censent poenas ecclesiasticas non incurri ab iis qui antea arma non designaverint (S. Alph. n. 401 ; Ball. P. n. 103), quia jam deest duellum sensu proprio. Nam, aiunt, RR. PP. censendi sunt intendisse duella qualia communiter fiunt et *usum detestabilem* (Conc. Trid. Sess. 25. de ref. c. 19) constituunt.

Hinc sequitur inter condictionem duelli et ipsum certamen intercedere debere aliquod temporis spatium. Quare a poenis ecclesiasticis, saltem probabiliter, excusantur qui se ad pugnandum in tali loco provocant statimque illuc pergunt. (Ball. P. n. 105) Neque duelli provocatio aut acceptatio habetur, si unus inimicus cum altero convenit ut pugnent quamprimum alter alteri obvius fuerit : nullum enim certum tempus assignatur.

Ad essentiam duelli minime requiritur ut fiat adhibitis *patrinis*, misso utrimque provocationis libello etc., neque ut fiat ex vindicta. Nam communiter verum duellum censeretur, etiamsi fieret spectaculi aut virtutis ostentandae gratia et sine his accidentalibus solemnitatibus.

380. ASSERTA. I. Duellum, **auctoritate publica** susceptum, licitum est tantum si intenditur bonum commune quod sine periculo occisionis vel vulnerationis obtineri nequeat, puta ad conservandam existimationem exercitus apud hostes, ad terminandum bellum cum minore damno. Minime vero licet ad terminandas privatas controversias, etiamsi a superioribus imponatur, puta militibus a duce suo : nam praesto est aliud medium multo aptius, nec periculum vitae humanae involvens, scilicet judicium legitimum.

Si princeps duobus capite damnatis permitteret certamen inire, id non videretur duellum proprie dictum, neque illicitum : siquidem singulis exsecutionem sententiae in alterum committeret. (Bus ap. S. Alph. n. 400)

II. Duellum proprie dictum **privata auctoritate** inire, offerre vel acceptare, est semper graviter illicitum.

Ratio illiceitatis duelli in genere spectati manifeste elucet, tum e pluribus legibus ecclesiasticis, tum ex ipso jure naturali : siquidem,

saltem extra casum quo duelli acceptatio est unicum medium ad gravissima mala vitanda, clare patet graviter peccare eum, qui, sine tanta necessitate, seipsum et adversarium morti vel gravi vulneri exponat. Concluditur idem a fortiori ex iis quae dicturi sumus de hoc casu difficiliore quem modo excipiebamus et in quo reapse plures graves AA. paulo antiquiores cit. a S. Alph. (n. 400), ut Reiffenst. (in l. 5 Decret. t. 14. n. 20 seqq.) id licitum reputabant. Jamvero, etiam in hoc casu, dummodo de *vero duello*, ut communiter fit, non autem de mera defensione actuali bonorum magni momenti agatur, id illicitum esse constat:

1° ***Ex documentis ecclesiasticis.***

a) E damnatione duarum e propositionibus a Bened. XIV (Const. *Detestabilem*, 10 Nov. 1752) reprobatis. Etenim 1ª sic sonabat: " Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitae ac promeritae, spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. „ 3ª autem erat haec: " Non incurrit ecclesiasticas poenas, ab Ecclesia contra duellantes latas, dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii. „ Jamvero, nisi velimus damnationem 1ae prop. reddere prorsus inutilem fini quem Bened. XIV intendebat, eam ita intelligere debemus ut reprobetur non tantum oblatio, sed et acceptatio duelli. Mens enim Pontificis fuit ut omne duellum proprie dictum illicitum declararet et auctorum, qui praedecessorum ejus decreta emollire conati erant, sententiam reprobaret. Id patet ex cit. Const. ubi: " His tam sapienter, tam aperte atque perspicue ab Ecclesia et ab Ap. Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur quin duella omnia tam publica quam privata et naturali et divino jure prorsus illicita, vetita atque damnata censeri deberent. „ Ut adnotat Palmieri, refutans Ballerini (in nota ad n. 120), nostra conclusio " non est contradictoria propositionis damnatae (1ae) si extrinsecam ejus formam spectes, sed contraria: est tamen ea, quam exigit ipse scopus Pontificis aliquid certi nos docere volentis sua proscriptione.„ E damnatione vero prop. 3ae concludimus ab Ecclesia reprobari duellum proprie dictum quod suscipiatur ad defendenda bona magni momenti. Contra hanc conclusionem immerito objicit Baller. (n. 118) nihil in ea propositione dici de actuali defensione bonorum. Nam, quando aliquis militiae officialis ab alio ad duellum provocatur et metuit ne recusando amittat famam vel officium, haec bona, quae certe magni momenti sunt, omnino actualiter invaduntur ab eo qui hunc officialem per provocationem suam, in talem necessitatem vel duellandi vel haec amittendi conjecit.

b) E recentioribus S. Sedis documentis, nempe Bulla *Apostolicae*

Sedis Pii IX (Vol. II. n. 595) et Litt. Encycl. Leonis XIII ad Archiep. et Ep. Germaniae et Austro-Hung. Imperii (12 Sept. 1891), in quibus duellum proprie dictum ita reprobatur ut nulli exceptioni videatur esse locus. Ceterum in hunc sensum universalis reprobationis, documenta illa interpretantur tum pastores, tum fideles hodierni.

2° *Ex intrinseca ratione.* Ut liceret propriam et alienam vitam periculo exponere ad vitanda gravissima mala, necesse esset ut effectus bonus saltem aeque immediate ac malus e duello sequeretur. (n. 14) Jamvero hic bonus effectus, seu conservatio bonorum et muneris, non obtinetur nisi per aestimationem omnino praeposteram, quam sibi conciliat duellum acceptans, dum temere vitam propriam et adversarii exposuit vel laesit, inducta confusione valde nociva bono communi inter veram virtutem et temeritatem. Cfr. Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 172; Lehmk. Stimmen aus Maria-Laach, Apr. 1894.

381. III. Licet singulare certamen inire cum eo qui actualiter aggreditur vitam vel bona fortunae magni momenti, vel qui minatur se eadem bona ablaturum esse, si aliter vitari nequeunt aggressio vel minae. Haec enim est tantum defensio licita (nn. 368 seqq.), neque tale certamen proprie pertinet ad ea duella quae Ecclesia tamquam detestabilem abusum reprobat: nam qui abusum illum tuentur, communiter hujusmodi pugnam non haberent tamquam verum duellum. Neque casus mutari videtur si, moraliter perstante tali aggressione, ambo se in alium locum conferrent, puta quia aggressor ad id quoque cogeret. (Lehmk. I. n. 850; D'Annib. II. n 289, nota 53)

Non videtur aliquid amplius concedere Struggl (Th. Mor. t. 7. q. 3. n. 65), cui innituntur Ballerini (n. 118) et D'Annib. (l. c.) ut tueantur liceitatem duelli ad damnum gravissimum in bonis avertendum. Quorum sententiam, nisi ad limites hic positos reducatur, ob rationes datas n. 380, prorsus rejiciendam ducimus.

IV. Graviter peccant duellum instituentes cum pacto de dirimendo certamine, ut primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrimque illatus fuerit: hi enim, in Const. Clementis VIII *Illius vices* (1 Sept. 1592), poenis duellantium subjacere declarantur. Similiter S. C. C. (9 Aug. 1890) respondit iisdem obnoxios esse incuntes duella qualia inter scholares Germaniae instituuntur: qui, ut exposuerat Episcopus Wratislaviensis, parvo tantum cultro utentes et ceteris corporis partibus bene tectis, sibi in faciem incisionem seu vulnus inferunt; in his ergo duellis, eodem teste, nec mors nec mutilatio intenduntur, rarissime autem et nonnisi per accidens, ex imprudentia aut ex alia causa duello extrinseca, alterutra contingit. (N. R. Th. t. 22. p. 582)

Practice igitur, quotiescumque concurrunt ea quae ad substantiam duelli, quale communiter concipitur, necessaria sunt (n. 379), videtur graviter peccari sive ob periculum gravis vulneris quod cautelis adhibitis removeri nequeat ubi arma letalia adhibentur, sive ob grave scandalum quod cuivis duello proprie dicto adhaeret, neque a gravi reatu excusantur duellantes, eo quod nec mors, nec mutilatio timetur. Parum autem prodesse censemus opinionem eorum qui (ut Ball. P. n. 108; Villada, Cas. Consc. I. p. 351) tenent ecclesiasticas poenas non incurri ab iis duellantibus qui tantas adhibent cautelas ut nonnisi levis vulneris sit periculum: talis enim hypothesis, quamvis non repugnet, vix umquam verificabitur.

382. V. Ratione scandali, plerumque graviter peccant qui duellum **ficte offerunt, acceptant, ineunt.** Iidem tamen poenas ecclesiasticas non incurrunt. Hae enim feruntur in veram acceptationem vel oblationem et in certamen cui reapse subsit periculum mortis vel gravis vulnerationis. Peccatum autem scandali sufficit ut explicetur quare a Bened. XIV damnata fuerit prop. 2ª: " Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis tuendae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam. „ Insuper alia ratio damnationis esse potest: nim. cum qui cum tali praevisione acceptet, non omnino ficte acceptare, sed ea intentione ut, si forte pugna non impediatur, duellum ineat. (Pennacchi, Comm. in Const. *Ap. Sedis.* t. I. p. 561 seqq.; Ball. P. n. 106 seq.)

CAPUT VI.

DE BELLO.

383. I. Ut liceat **bellum indicere**, necessaria est auctoritas publica et, saltem regulariter, suprema, qualis in sola societate perfecta viget. Etenim privati vel societates imperfectae possunt jus suum coram tribunali superioris prosequi; bellum autem, propter ingentia damna quae secum trahit, nequit esse licitum si datur aliud medium quo, sine tantis calamitatibus, idem finis obtineri queat. At, cum societas perfecta nullum habeat superiorem cui in temporalibus subsit et qui eam ab alius gentis injuriis efficaciter tueatur, necesse est ut possit vim vi repellere vel injuriae illatae reparationem procurare. (2. 2. q. 40. a. 1) Attamen, si quando supremam auctoritatem gerens nollet vel non posset injurias

ab una societate imperfecta alii illatas compescere vel vindicare, non videtur injustum bellum quod ab una reipublicae parte contra aliam geratur, ut crebro fiebat medio aevo inter varia oppida vel principes subordinatos. (Laymann, l. 2. tr. 3. c. 12. n. 4)

II. Ad justitiam belli defensivi, quo vis illata repellitur, sufficit ut, saltem cum probabilitate, existimetur vim injuste inferri. At si contrarium morali certitudine constat, satisfaciendum est aequis postulationibus bellum inferentis. Nequit enim dari bellum *objective* justum ex utraque parte, quia nequeunt duo circa eamdem rem habere duo contraria jura. Saepe tamen, ob certitudinis defectum, bellum ex utraque parte *subjective* justum est. (Bus. ap. S. Alph. n. 402)

384. III. Ad justitiam belli offensivi requiritur causa tam gravis ut aliquam proportionem habeat cum plurimis calamitatibus quae inde in utramque gentem belligerantem oriturae praevideantur.

Hujusmodi causae se tenent imprimis ex parte reipublicae bellum illaturae, quales censentur : recuperanda provincia eidem debita quam recuperare multum intersit communis boni, vindicta sumenda de gravi contumelia quae principi vel reipublicae illata sit, etc. (Laymann, l. c. n. 5) Possunt quoque se habere ex parte religionis : sic licet, vel quandoque oportet, catholicas gentes bellum gerere contra infideles ut eos compellant ne fidem Christi annuntiandam impediant, ex. gr. expellendo vel occidendo Missionarios. (2. 2. q. 10. a. 8) Tandem eadem facultas vel obligatio oriri potest ex caritate erga alias gentes injuste oppressas. Quare in Syllabo Pii IX reprobatur prop. 62ª : " Proclamandum est et observandum principium quod vocant de non interventu. „ In omnibus his casibus supponitur frustra petitum fuisse ut injuria illata repararetur : non enim liceret ingentia bellorum damna permittere si medium innocuum ad justam reparationem obtinendam suppeteret.

IV. Ad justitiam belli offensivi insuper requiritur ut de causa ista cum morali certitudine constet.

Ratio praecipua haec est : quod tanta damna secum fert bellum ut permitti nequeat nisi ad jura prorsus certa vindicanda. (S. Alph. n. 404) Unde videtur rejicienda, tamquam intrinsece periculosa et damnosa, sententia AA. non paucorum opinantium sufficere ut jus bellum inferentis sit probabile vel probabilius. Si enim dubium de jure superest, recurrendum erit ad arbitrium aliorum principum et praecipue Romani Pontificis : quodsi altera pars hunc recursum prorsus rejicit vel sententiae ab arbitro latae parere detrectat, jam habebitur injuria certa ob quam licebit bellum indicere. (Waffel. de Just. II. n. 444)

Si, coepto bello, altera pars congruam satisfactionem offert, haec accipienda est : secus enim, sine necessitate, caedes aliaeque calamitates multiplicantur.

385. V. Milites *qui ad bellum gerendum adiguntur*, sive per conscriptionem (ut hodie solet), sive quia, ante exortum bellum, libere nomen exercitui dederunt, per se non tenentur inquirere de belli justitia : nam superioribus suis parere possunt, quamdiu non constat eorum jussa esse illicita. Attamen si, ob adjuncta, vehemens suspicio oriretur de belli injustitia, tenerentur quidem inquirere quantum commode posset : a bello tamen abstinere deberent tantum si comperirent illud esse manifeste injustum.

Qui vero libere nomen dare velint exercitui bellum inituro, tenentur inquirere de justitia causae, nec possunt eam adjuvare nisi moraliter constet eam justam esse : quia, cum agatur de damno tertii, nequit illud inferri, nisi constet de injustitia possidentis. (S. Alph. n. 408) Alii, ut Busemb. (l. c.), requirunt tantum probabile judicium : quod sane sufficit ubi bellum est defensivum, imo et practice ubi offensivum est, siquidem de his causis vix aliter judicare possunt gregarii milites quam probabili conjectura vel praesumptione.

VI. In bello justo licet facere ea omnia quae ad finem belli sunt necessaria, dummodo nihil fiat contrarium juri naturali vel gentium. Hinc :

1° Non licet, extra actuale certamen, occidere innocentes : quo nomine veniunt tum ii qui arma non portarunt, tum etiam milites qui tantum coacti (ut hodie plerumque contingit) in bello participarunt : innocentes enim extra casum legitimae defensionis occidere juri naturali repugnat. (n. 371) Imo hodie in more positum est ne occidantur ii etiam qui forte injustitiam belli cognoscentes pugnaverint.

2° Licet contra hostem adhibere insidias et stratagemata (2. 2. q. 40. a. 3) : hoc enim nihil aliud est quam ipsis consilia propria abscondere. Sic exploratores, qui sub amicorum specie mitti solent, non peccant, nisi forte leviter ob mendacia quae proferant. At graviter adversantur, saltem juri gentium, ea stratagemata quae nullatenus caveri possunt et grave periculum innocentibus creant, ut veneno inficere fontes.

3° Peccat qui fidem hosti datam frangit, nisi eam dederit coactus seu injusto metu ad iniqua promittenda adactus, vel hostes eam non servent vel circumstantiae sint prorsus mutatae. (Bus. ap. S. Alph. n. 410)

4° Praxis hodie communiter recepta est ut, excepto bello navali, bona privatorum non diripiantur ab hostibus. Attamen injustum non est tributa bellica imponere civitatibus vel vicis qui hostiles actiones exercuerunt et sontes tradere nolunt vel nequeunt. (Lehmk. I n. 857)

Multa alia circa bona diripienda, acquirenda, restituenda, agitant DD. quae, utpote minus practica, omittimus. Ceterum, ubi res non aperte injusta est, multum concedendum est consuetudinibus receptis et necessitati verae vel saltem existimatae.

SECTIO VI. — DE SEXTO ET NONO PRAECEPTO.

386. Sextum Decalogi praeceptum sic sonat: " Non moechaberis „ (Ex. XX, 14); nonum autem: " Nec desiderabis uxorem ejus „ i. e. proximi tui. (ib. 17) Ambo simul explicari solent, quia sicut sexto externa, ita nono interna luxuriae peccata prohibentur.

Imprimis agemus de peccatis luxuriae consummatis juxta naturam: deinde de iisdem consummatis contra naturalem ordinem; tandem de peccatis luxuriae non consummatis. De peccatis internis jam multa explicata sunt in tr. de Peccatis, nn. 169 seqq.

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS JUXTA NATURAM.

§ 1. NOTIONES PRAEVIAE.

387. I. Luxuria est vitium capitale quo quis inordinate appetit delectationem venéream.

Inordinate, i. e. contra rectae rationis ordinem, quod (ut postea fusius explicabitur) semper contingit quando haec delectatio extra matrimonium vel contra matrimonii obligationes quaeritur.

Venereum dicitur id quod ex se proxime ad generationem pertinet. Hinc, quo clarius percipiatur qualis delectatio dicenda sit venerea, quaedam de generationis natura praemittenda sunt.

Generatio distinguitur in *activam* et *passivam*.

Activa generatio idem sonat ac copula, coitus, concubitus; consistit autem in eo quod membrum virile in vaginam feminae immittatur ac semen virile in vase femineo deponatur. Passiva generatio est congrua unio seminis masculini cum semine seu ovulo femineo in utero feminae. Cfr. Capellmann, Medic. past. p. 132.

II. Inter antiquos DD. multum controvertebatur num, in actu copulae, verum semen prolificum a femina sicut a viro effunderetur et active ad generationem concurreret. Affirmabant Scotistae cum Galeno; negabant plerique, cum Aristotele et S. Thoma. (3. q. 31. a. 5. ad 3) Hodie autem physiologica observatione constat magnum discrimen vigere inter rationem qua uterque sexus ad generationem concurrit. Nam viri testibus secernitur humor quidam seu sperma cui innatant corpuscula quae *spermatozoida* nuncupantur. Apud feminas quoque, in actu copulae, humor quidam secernitur et profluit e glandulis quae, ob situm suum, vulvo-vaginales audiunt. At humor ille minime essentialis est ad generationem : ad hanc enim feminae concurrunt tantum suppeditando ovula, quae a spermatozoidis fecundentur, et ideo testes muliebres hodie *ovaria* dicuntur. Avulsio autem ovuli feminei quandoque libidine acceleratur ; sed etiam sine ulla libidine et sponte fit, ita ut apud singulas feminas fere singulis mensibus, vel forte crebrius, ovulum ab alterutro ovario avellatur. Cfr. Lecomte, *De l'Ovulation spontanée de l'espèce humaine.*

Cum hac ovuli avulsione fit quidam sanguinis fluxus qui dictus est *menstruus* eo quod plerumque 28° die redire solet, a tempore pubertatis (in Belgio circa annum 15^{um}) usque ad menopausim (quae generatim contingit inter annum 48^{um} et 52^{um}) (1). Hujus fluxus finis naturalis est ut ovulationis opus sanguinis calore juvetur et foetui, si forte concipiatur, alimentum prostet. Durat autem regulariter a duobus ad octo dies, per quos mulieres patiuntur ea quae medici vocant *molimina menstrualia*. Postulat quandoque mulierum valetudo ut medicaminibus provocetur fluxus menstruus : qua in re nulla est moralis difficultas, cum hujusmodi fluxum non comitetur venerea delectatio. Ejusdem absentia non est indicium sterilitatis.

Vero semine carent eunuchi et impuberes. Masculi, in regione nostra, pubertatem raro attingunt ante annum 15^{um} completum ; ante annum vero 18^{um}, semen eorum non solet esse prolificum seu spermatozoidis refertum.

388. III. Praeter seminis effusionem, theologi commemorant *distillationem*. Haec est, juxta Capellmann (Med. Past. p. 81), " profluvium humoris pituitosi ex urethra. Humor iste oritur ex glandula prostata et ex glandulis pituitariis urethrae, nihilque commune habet cum semine

(1) Limites hic damus pro nostra regione juxta Dr. Hubert, *Accouchements*, etc., t. I. pp. 12 et 28. In regionibus calidioribus pubertas citius incipit et desinit. In eamdem adhuc amplius influunt physicae singularum mulierum dispositiones : sic pubertatem accelerant bona valetudo et copiosus cibus, retardant debilitas et inopia. Cfr. Béclard, *Traité élém. de physiologie*, II. p. 636.

proprie dicto nisi effluvii locum.Distillatio locum habere potest in hominibus puberibus atque impuberibus (etiam in castratis) ; potest masturbatione provocari vel etiam sponte accidere ; potest tandem conjuncta esse cum voluptate vel ea carere. „ Eadem contingere potest etiam in feminis, in actu copulae vel, ubi alias veneream voluptatem quaerunt, effusione humoris e glandulis vulvo-vaginalibus.

Per *motus carnales, motus venereos, rebellionem carnis*, Theologi intelligunt erectionem membri virilis vel clitoridis femineae cum voluptate conjunctam. Hanc erectionem tribuere solebant *spiritibus generationi inservientibus*, dum reapse tribuenda est sanguini qui, ob causas maxime varias, ad illa membra confluit.

Uberiorem horum phaenomenorum explicationem videsis apud recentiores Physiologos vel apud Eschbach. (Disp. physiol. theol. disp. 1. cc. 1-4)

Solent quoque Theologi membra corporis in triplicem classem dividere pro majore vel minore eorum aptitudine ad veneream delectationem per aspectum, tactum, oscula, etc. excitandam : nempe in honesta, minus honesta, inhonesta seu turpia. Sed de quibusdam membris denominandis alii aliter sentiunt. Praecipue attendendum inhonestas censeri tantum partes genitales hisque proximas. (Ball. P. n. 26)

389. IV. Quo melius objectum luxuriae proprium ab iis quae affinia sunt secernatur, juvat in homine triplicem delectationem discernere : ***venereum, sensibilem, intellectualem.***

1° Venerea, juxta superius dicta, ea est quae sentitur in partibus genitalibus et ad generationem proxime spectat. Talis ergo censenda non est quaelibet delectatio quae in iis partibus sentiatur, ut puta e mero contactu rei mollis, sed quae saltem initium sit illius voluptatis quam natura seminis effusioni adnexuit. Completa delectatio venerea habetur pro viris in effundendo semine ; incompleta in motibus et excitationibus effusioni praeviis. Pro feminis vero, completa sentitur in clitoride et bulbo vaginae cum humoris secretione : incompleta, in commotione praesertim clitoridis.

Magnum discrimen quoad hanc voluptatem inter virum et feminam viget. Vir enim, nisi forte luxuria prorsus extenuatus sit, vehementi voluptate perfunditur dum semen emittit; femina vero in copula habenda humoribusque secernendis, nunc magnam, nunc parvam vel nullam voluptatem experitur, quin etiam interdum dolet.

2° Delectatio sensibilis in duplicem speciem aptius dividitur (neque enim omnes eodem modo dividunt et definiunt) : in *pure sensibilem* et *sensibilem carnalem*. Scilicet :

a) Pure sensibilis ea est quae oritur ex objecto quod de se praecise

aptum non est ad delectationem veneream excitandam, ex. gr. quae desumitur e tactu holoserici, auditu musicae, olfactu floris, etc. Haec per se indifferens, neque radicaliter mala est.

b) Sensibilis carnalis ea est quae, licet hic et nunc delectationem veneream non commoveat, oritur tamen ex objecto quod de se aptum sit ad talem delectationem excitandam, ex. gr. e tactu vel osculo feminae, quod ab agente ad veneream libidinem non ordinetur. Propter hanc aptitudinem solet dici hujusmodi delectatio *radicaliter mala*. (Struggl, tr. 7. q. 4. n. 4)

3° Intellectualis ea est quae in animo sedem habet et, pro objecti sui natura, bona vel mala est. Cfr. n. 172 seqq. Haec saepe comitatur delectationem pure sensibilem, ut si quis delectatur ex honestis osculis, amplexibus vel tactibus exhibitis in signum casti amoris et amicitiae : " Haec enim est potius voluptas mentis et gaudium animi de honesta amicitia et benevolentia quam affectus sensitivi. „ (Sporer, Theol. Sacram. p. 4. n. 680) Hinc Ball. P. (n. 70) carpit illos qui omnem delectationem ex amplexu oriundam, si non sit mere sensibilis, statim vocant veneream " perinde scil. ac si de animalibus brutis ageretur. „

V. Peccata luxuriae dividuntur in actus *perfectos* seu *consummatos* et *imperfectos* seu *non-consummatos*.

Priores illi sunt in quibus fit libidinosa seminis effusio, dum in posterioribus voluptas venerea ad hanc effusionem non pertingit. Hos multi cum S. Th. (2. 2. q. 154. a. 1. ad 5) vocant peccata *impudicitiae*.

Actus consummati ulterius subdividuntur in *consummatos juxta naturam* et *consummatos contra naturam*, prout ex iis, spectata ipsa *actus ratione*, generatio sequi possit vel nequeat. Priores *juxta naturam* dicuntur, quia homo in iis servat ea quae natura ad hunc actum praestituit.

§ 2. DE SPECIEBUS PECCATORUM QUAE JUXTA NATURAM CONSUMMANTUR.

390. Poni solent horum peccatorum species sex, cum S. Th. (2. 2. q. 154. a. 1 et a. 10) : *fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium*. De quibus generatim adverte :

1° Illorum peccatorum, quatenus *castitati* adversantur, eamdem esse malitiam : nam in singulis habetur congressus indebitus maris cum femina. Differentiae autem quae superadduntur, ex oppositione ad alias virtutes, praesertim justitiam et religionem, adveniunt. Hinc, probato gravi reatu simplicis fornicationis, statim patet reliquas species graviter adversari castitati.

2° Easdem differentias, quae hic de peccatis juxta naturam consummatis ponuntur, posse similiter reperiri in peccatis non consummatis, ex. gr. tactu impudico cum conjugata, et in peccatis contra naturam consummatis, ex. gr. copula onanistica cum conjugata.

De singulis breviter explicabimus quid sint et quem reatum inducant.

391. I. Simplex **fornicatio** est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

In hac definitione voces *solutus, soluta* designant virum et feminam qui nullo speciali vinculo religionis (ob votum), pietatis (ob consanguinitatem vel affinitatem) vel justitiae (ob matrimonium) ligentur, ex quo *gravis* malitia peccato violatae castitatis accedat.

Fornicationem simplicem esse peccatum grave constat:

1° Ex S. Script. ex. gr. 1 Cor. VI, 9: " Neque fornicarii, neque idolis servientes regnum Dei possidebunt. „ — Eph. V, 5: " Omnis fornicator aut immundus... non habet haereditatem in regno Christi et Dei. „ — Gal. V, 19 seq. ubi Apostolus, de fornicatione aliisque vitiis locutus, concludit: " Qui talia agunt regnum Dei non consequentur. „

2° Ex ratione. Nempe ad educationem hominis non tantum requiritur cura matris a qua nutritur, sed multo magis cura patris a quo est instruendus et defendendus et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Huic autem tanti momenti tamque necessario bono graviter adversatur concubitus vagus, qualis habetur in fornicatione. Ergo fornicatio, quae tam graviter bono prolis educandae adversatur, est peccatum mortale. " Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione: quia id quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere. „ (2. 2. q. 154 a. 2) Vid. si fornicator proli providet, id unice ex ejus voluntate oritur: manet tamen ipse actus fornicandi repugnans ordini naturae, quo postulatur ut relationes inter utrumque sexum non foveantur sine stabili vinculo.

Ideo fornicatio est *intrinsece mala*, non solum lege positiva prohibita, ut dicebatur in prop. 48ª ab Innoc. XI damnata: " Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. „

A fornicatione specifice non differunt *concubinatus* et *meretricium*. Prior est fornicatio habitualis, sive in eadem domo, sive separati habitent vir et mulier. Habitus tamen ille confessario petenti manifestandus est, cum saepe inde occasio proxima peccati in futurum maneat; imo sponte fatendus, si quando, ex. gr. ob cohabitationem, grave scandalum

datum est. Saepe etiam vox concubinatus usurpatur ad designandum habituale adulterium, incestum, sacrilegium. Meretricium autem designat conditionem mulieris quae solet omnibus petentibus sui corporis usum concedere.

392. II. Adulterium est copula illicita in qua uterque vel saltem alteruter coeuntium est matrimonio junctus.

In adulterio, praeter malitiam contra castitatem, reperitur malitia contra justitiam : violatur enim jus quod conjugi in corpus compartis competit. Igitur, quando uterque conjugatus est, duplicatur injuria, ac propterea haec circumstantia in confessione exprimenda est.

Quodsi conjux in peccatum illud consentiret, maneret certe adulterium, ut liquet ex damnatione prop. 50ae ab Innoc. XI : " Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. „ Dissident aliquatenus AA. in ratione rem explicandi. Praeplacet sententia, quam inter alios tenet Ball. P. (tr. 8. p. 2. n. 7) : manere injustitiam eo quod consensus ille est moraliter nullus, siquidem conjux caret potestate renuntiandi juri quod, ex ipsa matrimonii natura, est inalienabile. Ideo circumstantia hujus consensus non est in confessione exprimenda : quamvis hanc obligationem asserant Lugo (de Just. et J. disp. 8. n. 10) aliique, eo quod in tali adulterio rationem injuriae contra conjugem cessare opinantur.

393. III. Incestus est congressus cum consanguinea vel affini usque ad quartum gradum.

Malitiae contra castitatem, in incestu, accedit gravis malitia contra pietatem. Praecipua ratio est, quod in copula carnali habetur quaedam turpitudo contraria honorificentiae quam homo debet parentibus suis et per consequens aliis consanguineis qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahant. Alias rationes videsis 2. 2. q. 154. a. 9. Quod autem ad quartum gradum haec malitia extendatur, a lege ecclesiastica matrimonium ad hunc usque gradum dirimente repetendum est. Quare copula inter consanguineos ad matrimonium ineundum dispensatos probabilius non est incestus. (S. Alph. n. 452)

Probabile est non differre specie incestum cum consanguinea ab incestu cum affini, quia propter eamdem rationem uterque prohibetur. Similiter probabile est non esse exprimendum gradum consanguinitatis vel affinitatis, excepto tantum primo gradu consanguinitatis vel affinitatis in linea recta, puta inter patrem et filiam, vitricum et privignam, etc. In primo enim gradu eoque tantum habetur motivum speciale ob quod commixtio carnalis prohibeatur, nempe reverentia parentibus a filiis debita, quae non est ejusdem rationis ac reverentia ceteris consangui-

neis vel affinibus debita. (S. Alph. l. 4. n. 448 seq. et l. 6. n. 469 seqq.) Specialem etiam malitiam habet et ad incestum refertur copula cum consanguineo spirituali vel legali in gradibus matrimonium dirimentibus. (S. Alph. l. 4. n. 450)

394. IV. Stuprum est oppressio mulieris invitae. In stupro, ut per se liquet, gravis malitia contra justitiam committitur, sive mulier virgo sit, sive jam corrupta. Haec definitio differt ab ea quam antiquiores DD. e Jure Canonico (Causa 36. q. 1. c. 2) hauserant : " illicita virginis defloratio „ : ex qua sequebatur ad stuprum non requiri vim, sed tantum integritatem virginalem. (2. 2. q. 154. a. 6) Praeferenda autem est prior definitio, eo quod hic inquirimus de peccatis luxuriae specifice diversis in ordine ad confessionem. Jamvero, juxta sententiam probabiliorem (S. Alph. n. 443), copula habita cum virgine consentiente non addit gravem malitiam simplici fornicationi. Igitur virginitatis circumstantia non est accusanda a poenitente, nisi per accidens occasionem dederit gravi reatui, puta ob infamiam, vel parentum maerorem. (Ball. P. n. 79 seqq.)

V. Raptus est violenta abductio personae cujuscumque in alium locum ad libidinem explendam. (Bus. ap. S. Alph. n. 444)

Violentia illa inferri potest vel ipsi personae quae abducitur vel aliis quarum potestati ea subest, ex. gr. parentibus. Duplex est malitia raptus: una luxuriae, ob finem libidinosum ; altera injustitiae erga personam raptam vel eos sub quorum custodia degit. Hinc moraliter spectatus, raptus magnam affinitatem habet cum stupro, a quo tamen discrepat eo quod in raptu non semper actu consummatur luxuriae peccatum.

VI. Sacrilegium est violatio rei sacrae, i. e. loci vel personae, per actum venereum.

De hac luxuriae specie sufficiunt quae n. 280 seq. dicta sunt, ubi de sacrilegio, et Vol II. n. 242 dicentur, ubi de ecclesiae pollutione.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

§ 1. DE POLLUTIONE.

395. DEFINITIO. Pollutionem hic intelligimus plenam voluptatem veneream sine congressu cum alio habitam. In solis masculis puberibus eam comitatur seminis prolifici effusio. (n. 387)

ASSERTA. I. Pollutio **directe voluntaria** est semper intrinsece et graviter mala.

Attende eam esse *directe voluntariam*, etiamsi tantum intendatur ut medium ad finem a voluptate diversum assequendum, ex. gr. sanitatem, liberationem a gravi tentatione, etc. (n. 10) Praeterea notandum quaedam in argumentis mox afferendis non cadere in eos qui vero semine prolifico careant, sed etiam in istis malitiam pollutionis satis probari ex iis quae de inordinatione venereae delectationis, extra legitimi matrimonii usum, dicturi simus.

Pollutionem lege naturali prohiberi ex eo constat quod institutioni naturae adversatur. Nam, in ordine naturae, semen humanum destinatur proli per congressum viri et feminae in vase debito generandae; in pollutione vero semen effunditur extra hunc congressum ideoque positive excluditur finis a natura intentus. Gravitas autem hujus peccati inde patet quod notabiliter repugnat rei summi momenti, scil. ordini quem natura ad speciem humanam conservandam stabilivit. Si enim homines passim pollutioni indulgerent, facile a legitimi matrimonii usu, cui gravia onera annexa sunt, refugerent.

Ex his tamen non statim patet nullo in casu, etiam ad gravissima damna vitanda, licitam esse pollutionem. Ut demonstretur ista pars Asserti, simul attendendum est ad delectationem, seminis effusionem comitari solitam, quae adeo vehemens est " ut illam homines tamquam summum bonum prosequantur illique velut suae felicitati adhaereant. „ (Sanch. de Matr. disp. 17. n. 16) Inde fit ut si haec libidinosa seminis effusio in aliquo casu licita foret, " evidentissimum esset periculum ut homo, passione libidinis excaecatus, passim sibi persuaderet causam effundendi justam adesse atque ita semen prodigeret indeque fornicationes, adulteria aliaque innumera luxuriae vitia adversus commune bonum pullula-

rent. „ (Sanch. ib.)(1) Neque obstat, ad vitam servandam licite abscindi ipsos testiculos : nam deest in tali abscissione illa vehemens delectatio quae seminis expulsionem naturaliter comitatur et morale periculum supradictum inducit. Cfr. Eschbach, op. cit. disp. 4. a. 1.

Si quid evidentiae demonstrationis desit, id satis suppletur constante consensu DD. nullo in casu liceitatem pollutionis admittentium, et damnatione prop. 49ae inter reprobatas ab Innoc. XI : " Mollities jure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali. „

396. II. Etiam in feminis datur pollutio quae a venerea voluptate incompleta specifice differat, ideoque in confessione distincte accusanda sit.

Ita opinamur cum communi doctrina, etiam recentiorum (Eschbach, op. cit. p. 485; Palmieri, ap. Ball. P. n. 111; Lehmk. I. n. 873; Buccer. Th. Mor. I. de 6° Praec. n. 58; Villada, Cas. Consc. t. III. p. 250 nota, etc.) contra paucos, omne discrimen specificum inter varias delectationes venereas, quas feminae sibi procurent, rejicientes, eo quod in pollutione feminea desit veri seminis effusio, quae in viro pollutionem ab incompleta voluptate venerea discriminet. (Lecomte, op. cit., p. 139 seqq. cui favet Ballerini, l. c.) Rationes sunt :

1° Manet essentiale discrimen inter actus quibus mulier incompletam voluptatem et actus quibus completam sibi procurat. In his enim per se habetur voluptas vehementior et quae plene appetitum satiet, comitante fluxu humorum quos ad actum generationis juvandum natura disposuit. Quare actus hujusmodi physice completi sunt, neque ad actum licitum completum seu copulam conjugalem ordinari possunt, sicut fieri potest de actibus incompletis, quibus plena resolutio appetitus naturalis minime obtinetur.

2° Plures veteres (n. 387. II.) verum semen prolificum in mulieribus non agnoscebant et nihilominus discrimen istud specificum admittebant. Quare non apparet sufficiens ratio, in recentiore scientia spontaneae ovulationis, ut a consensu communi recedamus in re quae potissimum a morali hominum existimatione pendet. Cfr. n. 162.

3° Ut dicetur Vol. II. n. 547, sub levi tantum prohibentur uxoris actus

(1) Veteres DD., ut Sporer (Th. Sacr. p. 4. n. 641), asserunt pollutionem illicitam esse etiamsi ad vitam servandam necessaria foret. Attamen hypothesis ipsa videtur chimaerica, cum recentiores medici ad fabulas amandent illam corruptionem seminis e qua veteres hujusmodi periculum formidabant. Neque ullum serium incommodum sanitati timendum est eo quod nocturnae pollutiones vix umquam alicui contingant : summum aliqua molestia inde oriri poterit. (Capellm. op. cit. p. 78.)

impudici solitarii. Quare si admittatur istos non differre specie a plena voluptate quam mulier sibi procuret, etiam haec plena voluptas extra copulam sub levi tantum uxori prohibebitur. Hoc autem sine magno incommodo admitti nequit. Sic enim mulier conjugata poterit, absque gravi peccato, frui voluptate qua natura eam ad copulam allicit, numquam vero copulam habere, vel perstare in vitio solitario cui se ante matrimonium dedisset.

Attamen discrimen illud saepe non accusatur a poenitente; neque a confessario quaestiones de rebus maxime pudendis sine vera necessitate faciendae sunt. Sequi licet regulam a Bouvier positam (Diss. in 6um Dec. praec. p. 76) : " Tactibus aut motibus libidinosis discrete cognitis, a pudibundis interrogationibus abstineat confessarius. „ Recte scribit Berardi (Prax. conf. n. 851) : " Dicente poenitente *me tetigi*, si constet quod vere malitiose se tetigerit, praesumendum est quod actum ad finem suum naturalem perduxerit; unde (sive de viris, sive de feminis agatur) interrogationes de re ista omitti posse dicerem. Verum est quod aliqui actum interrumpunt, etsi malitiose illum inceperint, sed exinde confessarii obligari nequeunt ut omnibus et singulis, qui se tetigisse confitentur, circa hanc ipsam interruptionem in confessionibus ordinariis interrogationes superaddant. „

Viget similis controversia, sed multo minoris momenti practici, de pollutione eunuchorum et impuberum. Jamvero, non obstante discrimine quod inter eos et masculos verum semen habentes viget, censemus in iis, ut in mulieribus, distinguendos esse actus completos ab incompletis. (S. Alph. n. 476)

397. III. Pollutio **indirecte tantum voluntaria** est peccatum mortale quotiescumque provenit e causa quae per se *graviter influit* in pollutionem ideoque dicitur per se peccatum grave in genere luxuriae. Nam qui talem causam sponte ponit, implicite vult pollutionem, eo fere modo quo implicite vult ebrietatem qui tantam vini copiam bibit ut praevideat se ebrium fore. (Sporer, Theol. Sacr. p. 4. n. 646) Excipe, si quis talem causam ponat ob necessitatem vel motivum grave, puta chirurgus qui tangeret partes pudendas mulieris ad morbum curandum : sic enim pollutio permittitur tantum ob motivum proportionatum, ideoque non imputatur, dummodo voluntas in voluptate non quiescat. (n. 14) Quodsi motivum insistendi alicui causae e qua, praeter intentionem et sine proximo periculo consensus, provenit pollutio, justa quidem est sed non sufficiens, quale foret studium curiosum artis medicae vel anatomicae, probabile est non peccari mortaliter : quia tunc neque expresse, neque interpretative videris in delectationem consentire, cum aliunde causam habeas cujus affectu operi incumbis. (Lessius, l. 4. c. 3. n. 118)

Duplex peccatum plerumque fiet ab eo qui ponit talem causam cum praevisione pollutionis secuturae. Sic qui, cum tali praevisione, tangit absque gravi causa alterius sexus verenda, praeter peccatum inchoatae fornicationis, contrahit malitiam peccati contra naturam. Attamen unum videtur committere peccatum qui pollutionem excitat aspectibus, qui non induunt malitiam specificam copulae cum persona quae aspicitur.

398. IV. Pollutio indirecte tantum voluntaria est peccatum veniale quando provenit e causa quae nonnisi *leviter influit* in pollutionem ideoque vocatur peccatum per se leve in ratione luxuriae. Idem dicendum, si ponitur causa, etiam mortaliter mala, sed extra genus luxuriae, ut si quis se inebriat vel nimio cibo ingurgitat, praevidens ex hac intemperantia secuturam pollutionem. In hoc casu non fit peccatum mortale: quia pollutio nequit plene imputari voluntati, quae non posuit causam illius sufficientem, ac proin, saltem ex parte, rejicienda est in infirmitatem naturae. Venialiter tamen peccatur contra castitatem, quia levis inordinatio contra hanc virtutem est pollutioni occasionem dare per actionem ad quam nullum jus habetur. (Sporer, l. c. n. 649) De pollutione quam ebrius tactu impudico causet, cfr. n. 187.

Nullum autem peccatum est pollutio quae praevidetur secutura ex actione de se honesta et licita, si adest aliqua rationabilis causa necessitatis vel utilitatis vel commoditatis exercendi vel continuandi talem actionem. Quod valet non tantum de actionibus per se omnino indifferentibus, quales sunt equitare, gymnasticis exercitationibus vacare, temperate bibere vel manducare, commodo situ sedere vel cubare, etc. sed etiam de actionibus, quae, natura sua, essent levia peccata si absque causa rationabili fierent, ex. gr. aspicere vel legere leviter turpia. Ratio desumitur ex principio posito n. 14. Notandum autem non requiri causam gravem ut ponatur actio quae non ordinetur de se et proxime ad pollutionem, cum effectus iste pravus nullum vel valde exiguum detrimentum speciei humanae afferat; insuper innumerae sunt actiones alioquin licitae a quibus provenire possint vel soleant pollutiones ita ut, si requireretur causa urgens, daretur locus perpetuis scrupulis et anxietatibus. (Sporer, l. c. n. 650)

N. B. Hic semper abstraximus a periculo consensus in pravam delectationem. De obligatione abstinendi a talibus causis, ob hujusmodi periculum, judicandum erit ex iis quae de vitanda proxima peccati occasione dicentur Vol. II. n. 371 seqq.

399. V. Ut liquet ex Assertis III et IV, ad judicandum de reatu pollutionis indirecte voluntariae, determinandum est, quantum fieri potest, quaenam causae *graviter*, quaenam *leviter* in pollutionem influant. In

hac determinatione facienda principaliter *ad naturam causae*, secundario *ad dispositiones agentis* respiciendum est. Igitur :

1° Utrum aliqua causa graviter an leviter in pollutionem *natura sua* influat, saepe sat facile cuique apparet. Sic profecto graviter influunt oscula in partibus inhonestis vel tactus immediatus et prolixus ad easdem partes personae alterius sexus, cogitationes morosae cum prava delectatione de rebus prorsus obscoenis, etc. Leviter vero influunt per se oscula in partibus honestis ex levitate data, sermones vel lectiones leviter turpes, potus excessivus, etc. At in multis casibus res non ita patet : in his praesertim attendendum erit ad intentionem, dispositiones ceteraque adjuncta agentis. Cfr. quae infra (n. 406 seq.) de hoc difficili argumento fusius explicabuntur.

Multi AA. post S. Alph. (l. 4. n. 484) causas in pollutionem influentes in triplici gradu ponunt : graves, leves et mediocres. Attamen, ne impeditior fiat materia valde practica, praestat servare duplicem tantum partitionem, qua contenti fuerunt Sanchez, Sporer, Struggl aliique complures qui, ante S. Alphonsum, argumentum hoc egregie tractarunt. Recte notat Berardi (Prax. Conf. n. 874) has causas mediocres plerumque facile redigi ad seriem causarum graviter vel leviter moventium, ex variis circumstantiis actus, praesertim ex mora et intentione qua agitur. Multa enim graviter delectationem veneream commovent si producuntur, leviter, si obiter fiunt, puta aspicere picturas obscoenas, oscula partibus honestis personae alterius sexus imprimere, etc. Saepe etiam propensio voluntatis, carnalem delectationem intendentis, multum augebit vim appetitus sensitivi atque adeo corporalem commotionem : quae contra valde minuetur si agens, effectum omnino honestum intendens, conatur inferioris partis inclinationem et impetum retundere. (Ball. P. de Pecc. n. 179) Ex hoc discrimine explicari potest quomodo non raro DD. ab invicem discrepent in judicio ferendo de causae alicujus gravitate vel levitate.

2° Simul aliquatenus respiciendum est ad *conditionem et dispositionem agentis*. Constat enim influxum earumdem causarum plurimum minui vel augeri pro aetate, complexione, phantasiae vi, educatione, gradu virtutis, consuetudine res turpes audiendi, videndi, tractandi, etc. Qua de re haec duo animadvertisse juvabit :

a) Qui ob peculiarem infirmitatem aliamve subjectivam dispositionem semper aut fere semper patitur pollutionem ex causis quae per se nullo pacto vel omnino leviter in eam influant, probabilius (secluso proximo consensus periculo) non tenetur sub gravi ab iis ponendis abstinere. Ratio est, quod talis dispositio subjectiva nequit mutare intrinsecam illius actionis naturam. Igitur, si actio ista est simpliciter licita, poterit agens prosequi jus suum et effectum malum permittere ; si leviter illi-

cita est, non apparet gravis obligatio eam vitandi propter hunc effectum. (Buccer. Th. Mor. I. de 6° Praec. n. 66) Communiter tamen AA. id intelligunt tantum de causis quae omnino sint extra genus luxuriae, ut equitatio, vel omnino leves sunt in hoc genere, ut visus partium honestarum mulieris, lectio leviter turpis, colloquium cum femina non diuturnum vel leviter obscoenum. (S. Alph. n. 484) Haec restrictio, quamvis cum principio dato aegre concilietur, in praxi tamen servanda videtur : quia si quis, expertus se frequenter pollui ex causa quae tamen non videatur omnino per se gravis, puta e curiosa lectione turpi, curioso aspectu picturae obscoenae vel coitus animalium, tactu verendorum propriorum aut alterius ex levitate, etc. nihilominus pergit eam voluntarie et sine necessitate ponere, vix fieri poterit ut absit prava intentio vel proximum consensus periculum.

b) Qui ob aetatem senilem, frigidam complexionem, consuetudinem etc., expertus esset se nec pollutionem, nec motus venereos pati ex iis causis quae communiter recensentur inter graviter commoventes, per se non videtur graviter peccare dum eas sine necessitate ponit, ex. gr. aspiciendo pudenda personae diversi sexus cum voluntaria delectatione visus, delectando mere sensibiliter de tactu puellae, etc. Nam abest in casu ratio formalis malitiae gravis. (Sanch. de Matr. disp. 46. n. 23 : Salm. Th. Mor. tr. 26. c. 3. n. 12) Attamen is casus rarissimus erit, eo quod fere semper manebit periculum proximum turpis concupiscentiae vel accedet malitia scandali, cooperationis, etc. Cfr. S. Alph. nn. 416 et 421.

400. VI. De **pollutione nocturna** sufficient sequentia :

1° Manifestum est nullam esse per se culpam in pollutione nocturna quae nullatenus fuerit praevisa, licet physica causa ob quam, durante somno, contingat, voluntarie posita fuerit. Jamvero saepe ita fiet. Nam apud masculos puberes semen perpetuo producitur et in vesiculis seminalibus aggeritur donec natura, ob nimiam quantitatem vel specialem excitationem, ad se exonerandam adducatur.

2° Si quis sciens volens, sed absque directa pollutionis intentione, causam ponit e qua pollutionem nocturnam secuturam praevidet, applicandae sunt regulae modo datae de pollutione indirecte voluntaria. Hinc si causa est honesta, ex. gr. potus moderatus, nullum erit peccatum ; si causa leviter influit, ex. gr. confabulationes leviter turpes, peccatum erit leve ; si causa graviter influit, puta delectationes morosae de rebus obscoenis, peccatum erit per se grave. Quodsi causa leviter mala frequenter induceret pollutiones nocturnas, non constaret de gravi obligatione eam propterea omittendi, ut a fortiori concludere licet ex dictis de pollutione diurna (n. 399).

3° Si quis evigilatur dum coepta est pollutio, non licet quidem eam conatu positivo prosequi (Tambur. Expl. Dec. l. 7. c. 7. §. 2. n. 18 seq.), sed probabilius non est obligatio eam positive reprimendi, dummodo absit periculum proximum consensus in delectationem veneream : quod ut avertatur, commendant omnes ut ad orationem et sanctas cogitationes recurratur. Ita S. Alph. (n. 479) et multi veteres, ducti praesertim ista ratione : " quia non tenetur persona cum periculo morbi, ex semine corrupto retento, illam (pollutionem) impedire. „ Hypothesim seminis corrupti omnes recentiores rejiciunt. Sed alii. ut Capellmann (Med. Past. p. 77) affirmant obligationem ulterioris effusionis cohibendae ; alii rectius eam negant, ex. gr. Surbled (*La vie sexuelle*, p. 30), eo quod semen illud postea certo cum urina expelletur ; si autem tamdiu servatur, causa erit magnae excitationis et motuum venereorum.

401. VII. Ad reatum **distillationis** (n. 387) quod pertinet, ita distinguendum est :

1° Qui studiose quaerit distillationem, generatim graviter peccat. Nam eam non quaeret nisi ob delectationem veneream quae saepe ei adjungitur.

2° Si quis praevidet e causa a se ponenda secuturam distillationem quam probabiliter comitetur delectatio venerea, ejus actio dijudicanda est e regulis de pollutione vel delectatione venerea indirecte voluntaria.

3° Si quis praevidet ex aliqua causa secuturam esse distillationem sine delectatione venerea, quamvis aliqua adsit naturalis commotio, nullatenus de ea curare debet, non magis quam de cujuslibet alius humoris emissione. Similiter dicendum si talis distillatio sequatur ex actione aliqua indifferenti vel leviter turpi. Cfr. S. Alph. n. 477.

N. B. Juxta Capellmann (Med. Past. p. 82), verum non est distillationem semper vel ut plurimum trahere secum aliquam seminis effusionem. Distillatio habitualis tamquam morbus a medico curanda est.

§ 2. DE SODOMIA.

402. Sodomia est peccatum quo, ex affectu ad indebitum sexum, vir concumbit cum viro vel femina cum femina. (2. 2. q. 154. a. 11)

Perfecta dicitur quando vir concumbit cum viro ex affectu erga sexum virilem, semen effundendo in vas praeposterum. Vocatur vulgo " pédérastie „ (παιδος εραστῆς), quia saepe cum pueris peragitur.

Imperfecta dicitur quando inter personas ejusdem sexus non datur copula perfecta, ut si fit inter duas feminas vel etiam inter duos viros ita tamen ut pollutio extra vas peragatur ; in his habetur formalis mali-

tia sodomiae, scil. affectus carnalis ad sexum indebitum. Eodem nomine vocatur quando vir exercet copulam cum femina in vase praepostero : **hic habetur tantum affectus carnalis ad vas indebitum.**

Sodomia tum perfecta, tum imperfecta, specie differt a simplici pollutione. Similiter a perfecta et ab imperfecta priore loco posita differt ea quam posteriore loco posuimus : in hac enim habetur malitia prorsus diversa, vid. affectus ad vas, non ad sexum indebitum. Non videtur tamen specifice differre perfecta ab imperfecta quae priore loco ponitur : quare, juxta S. Alph. (n. 466), non est necessario explicandum in confessione utrum pollutio fuerit intra an extra vas : " Sufficit enim confiteri *peccavi cum puero* ut confessarius judicet adfuisse sodomiam cum pollutione. „ At, sicubi reservatum est sodomiae peccatum, intelligenda est sola perfecta. Ideo sub reservatione ea tantum cadit quae fit inter mares et ita ut " non solum membrum viri immittatur in vas praeposterum, sed etiam quod intra illud seminet. „ (Salmant. tr. 26. c. 7. n. 109)

Cum malitia sodomiae potest jungi incestus, nempe si fit cum iis consanguineis vel affinibus quibuscum copula sine incestu haberi nequeat. (S. Alph. n. 469)

Ubi vero deest concubitus, non habetur sodomia, saltem in actu. Hinc simplicem pollutionem accusare debet qui se polluit tangendo puerum aut mulierem dormientem vel mortuam, aut doli incapacem : nam discrimen mere materiale est utrum fiat pollutio propriis an alienis, viri an feminae tactibus. Attamen, si cum alterius personae complicitate id factum est, explicandum peccatum cooperationis ad peccatum alienum. (S. Alph. n. 467)

§ 3. DE BESTIALITATE.

403. Bestialitas est concubitus hominis cum bruto. Malitia igitur peccati illius, quod in genere luxuriae maximum est, reponenda est in **accessu ad speciem diversam.**

Ubi peccatum hoc reservatur, id intelligendum est tantum de casu quo plene perficitur, scil. ubi fit verus coitus et effusio seminis, sive in alvo, sive in alia quacumque parte corporis bruti. (Salmant. l. c. n. 140) Si fiunt tantum tactus impudici cum bruto sine coitu, etiam cum mutua pollutione, nondum habetur bestialitas proprie dicta. Attamen haec affective committeretur, si homo in tali pollutione foveret affectum carnalem ad brutum, non autem praecise ad delectationem veneream. Secluso igitur tali affectu, sufficiet declarare peccatum pollutionis : nam circumstantia illa quod fuerit excitata pollutio tactu bestiae non excedit malitiam venialem. Cfr. Struggl, tr. 7. q. 4. n. 85 ; S. Alph. n. 474.

Convenit hodie inter physiologos coitum hominis cum bruto diversi sexus esse semper sterilem. Unde ad fabulas amandanda sunt monstra illa quae, veterum opinione, e tali congressu interdum nascantur. Hinc etiam confirmatur sententia S. Alph. (l. c.): non esse declarandum utrum coitum fuerit cum mare an cum femina bestia.

CAPUT III.

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATIS.

§ 1. PRINCIPIA GENERALIA.

404. I. Graviter peccat qui directe quaerit delectationem venereaam, etiam exiguam, vel qui in eadem sponte oborta voluntarie delectatur. Ideo in luxuria *directe voluntaria* non datur materiae parvitas.

Ratio intrinseca est : quod materia venerea est natura sua lubrica, et hoc ipso quod quis directe velit et intendat delectationem venereaam minorem, se exponit evidenti periculo consentiendi in delectationem majorem et manifeste mortalem. (Struggl, l. c. n. 5) In eodem periculo videtur sita potissima ratio ob quam grave sit delectari in voluptate sponte oborta : nam ab hac ad voluntarie procuratam facillimus foret transitus.

Confirmatur hoc assertum ex damnatione prop. 40ae ab Alex. VII : " Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. „ Nam, licet ex illa damnatione directe concludi nequeat non dari parvitatem materiae in delectatione venerea (Viva, in hanc prop. n. I), indirecte tamen id concludi potest, quatenus sententia contraria aegre cum hac reprobatione componi possit. (Ball. P. n. 9) (1)

(1) De sensu hujus prop. 40ae non omnino consentiunt AA. Secundum Viva (l. c. n. IV), delectatio *carnalis* ibi sonat idem ac *venerea*. Secundum Struggl (l. c. n. 7), damnatio hujus propositionis intelligenda est de osculis calidioribus et morosis, quae, ex natura sua, proxime disponunt ad delectationem venereaam et per se excitant spiritus genitales, non vero de osculis levioribus et transitorie impressis, etsi ob aliquam delectationem sensualem fiant; ratio autem damnationis est, quia propositio haec, ob suam universalitatem, innuit, quod falsum est : tale periculum proximum consentiendi ad minimum in delectationem venereaam secludi posse a talibus osculis calidioribus, praesertim si exercentur ob delectationem carnalem quae inde sequitur. Praeplacet haec altera explicatio.

Hinc oscula, tactus, aspectus, etc. habita propter delectationem veneream, semper sunt mortalia peccata. (2. 2. q. 154. a. 4)

405. II. Qui voluntarie ponit causam motuum venereorum, graviter, leviter vel nullatenus peccat pro natura causae positae, ut dictum est de pollutione indirecte voluntaria. (n. 397 seqq.) Levior tamen ratio sufficit ad ponendam causam incompletae quam completae delectationis venereae, cum in illa minor sit inordinatio minusque consentiendi periculum.

III. Actus imperfecti specie differunt a peccatis juxta vel contra naturam consummatis : illis enim deest malitia seminis effusi contra ordinem vel finem a natura statutum.

Inter se autem actus imperfecti, saltem si terminantur in corpus proprium vel alienum, ut sunt tactus, oscula, amplexus, specie distinguuntur sicut actus perfecti ad quos naturaliter tendunt. Sic tactus soluti cum soluta, natura sua et independenter ab agentis intentione, tendit ad fornicationem, et ideo specie differt a tactu cum conjugata, qui natura sua tendit ad adulterium, etc. Ideo in confessione explicandum est utrum actus illi habiti sint cum simili sexu an cum diverso, cum soluta an cum conjugata, cognata, persona sacra, etc. (Ball. P. n. 19 seqq.)

Aspectus tamen turpis, licet specie differat a reliquis actibus imperfectis, non induit malitiam peccati quod cum persona aspecta consummaretur, dummodo absit hujus peccati desiderium : aspectus enim nequit dici per se naturalis inchoatio copulae. Ideo qui turpiter aspexit feminam, secluso desiderio, non tenetur declarare num esset matrimonio juncta, consanguinea, etc. (S. Alph. n. 421)

QUAER. Quatenus peccet is qui motibus impuris sponte obortis vel per causam aliquam indifferentem libere positam productis, neque consentit, neque dissentit positive, sed mere permissive se habet.

RESP. Cum peccatum non consistat in delectatione physica, sed in actu voluntatis quae eidem libere adhaeret, is non peccabit graviter, nisi omissio positivae resistentiae eum in periculum proximum consentiendi venereae delectationi injiciat. Hoc autem regulariter non contingit quando motus pravi sunt tantummodo leves, praesertim in homine qui habitualem animum gerit moriendi potius quam peccatum mortale committat. Leviter tamen peccaret qui, sine ulla justa causa, sed ex mera curiositate vel otiositate, aggrederetur vel produceret actiones e quibus hujusmodi motus inordinati oriantur, neque eos alia ratione

puta pia cogitatione, compescere studeret : quia saltem aliquale periculum castitati crearetur. Cfr. Vol. II. n. 372.

Ubi vero exsurgit vehemens delectatio venerea, plerumque proximo consensus periculo se exponeret qui se mere passive haberet : quod e maxima hominum proclivitate in hanc delectationem elucet. Quare aliqua positiva resistentia erit adhibenda : qualis autem ea esse oporteat, definiendum erit e fine obtinendo, vid. e removendo consensus periculo. Saepe sufficiet actus displicentiae qui a voluntate eliciatur ; quandoque necessarium erit alio mentem divertere, orare, vel etiam causam e qua delectatio oriatur, removere. Sed hujusmodi positiva resistentia omitti poterit ob justam causam, ut puta si quis expertus est motus hujusmodi facilius compesci rariusque accidere si contemnantur quam si positive iis resistatur, si tentatio diu duret ex causa quae physice aut moraliter amoveri nequeat et nimis molestum foret jugiter positive motus repellere, etc. Si quis enim justa ratione ducitur, merito sperare poterit divinae gratiae auxilium quo ab omni consensus periculo servetur. Causae autem supradictae a fortiori sufficient ut omittatur positiva resistentia ubi nonnisi leves motus exsurgunt.

Atque haec responsio quoad substantiam convenit cum iis quae S. Alph. (l. 2. n. 6 seqq.) et Ball. P. (de Pecc. n. 193 seq.) de eodem argumento habent : quamquam, ob varium sensum iisdem verbis a variis AA. tributum et commixtam cum hac quaestione eam quam supra (n. 397 seq.) de reatu in ponenda causa turpis delectationis expedivimus, valde intricata sunt quae ibidem, juxta plurium AA. placita, exponuntur.

§ 2. DE QUIBUSDAM ACTIBUS VEL OCCASIONIBUS IMPUDICITIAE.

406. I. **Oscula**, amplexus, compressiones manuum et similia non obscoena, si fiant tantum officii aut moris patrii aut amoris honesti vel benevolentiae augendae causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur (modo in eam non consentiatur), non sunt peccata. (Bus. apud S. Alph. n. 417) Eadem sunt venialia peccata si fiunt ex joco, levitate, imo etiam ex affectu sensuali ac naturali, dummodo delectatio venerea absit, vel, si haec praeter praevisionem oriatur, dummodo repellatur et tunc ab hujusmodi osculis, etc. abstineatur, saltem ob proximum consensus periculum. Cfr. n. 399.

Hinc censet S. Alph. (l. c.) *ordinarie* mortalia esse oscula quae fiant in ore, vel lingua unius in os alterius introducta : quia id plerumque graviter venerem excitat ; *ordinarie* venialia esse oscula pueris tenerae aetatis data, etiam cum sensibili delectatione quae pressis mollibus carnibus oritur.

II. Tangere propria verenda ex levitate aut curiositate per se non est mortale, modo fiat obiter et non rèpetitis vicibus : quia alias jam aderit periculum turpis delectationis. Hinc non excusatur a mortali qui, cum commotione spirituum et sine justa causa, propria pudenda tangit. (S. Alph. n. 419) Similiter graviter peccat qui tangit partes inhonestas corporis alterius, maxime diversi sexus, non autem qui, absque notabili mora et lapsus periculo, tangit minus honestas talis personae partes. Neque, practice saltem, a peccato gravi excusari possunt qui verenda alterius sexus super vestes tangunt, etiamsi id per transennam fiat. (S. Alph. n. 420)

Qui magnum pruritum in verendis patitur, potest eum abigere tactu vel fricatione, etiamsi sequatur pollutio. Nam praesumendum est pruritus causam esse acrimoniam sanguinis, non autem ardorem luxuriae : ac proinde, ob bonum effectum qui speratur, potest permitti malus. Attamen, si constaret hanc excitationem provenire e pravis cogitationibus praehabitis vel ad hoc tendere ut in ipsa pollutione sopiatur, jam bonus effectus tantum sequeretur e malo, ideoque a tali tactu abstinendum esset. Si pruritus esset levis et tolerabilis, non liceret, juxta S. Alph. (n. 483), eum abigere cum praevisione pollutionis, liceret cum aliquo motu carnali.

Quae modo de pruritu sunt dicta, applicanda sunt etiam iis qui in genitalibus patiuntur intolerabilem nervorum irritationem, quae quasi cogat ad tactum aliasve motiones quibus pollutio inducatur. Attamen, ut notat Lehmk. (I. n. 874), etiamsi illa nervosa excitatio illuc tendit ut in pollutione sopiatur, non sunt tamen damnandi motus corporales qui tantum per accidens pollutionem causare possint, ex.gr. mutare situm in lecto, cruri crus imponere, etc. Pollutio enim naturali dispositioni corporis potius quam his motibus tribuenda esset. In his tamen adjunctis confessarii munus est suadere ut pruritus ille vel excitatio, quantum fieri potest, ex amore castitatis, toleretur, et cavere ne permittat ea quae e vera libidine oriantur. (H. A. tr. 9. n. 34)

407. III. Non est per se gravis excitatio ad venerem, ideoque nec grave peccatum, **aspectus** partium inhonestarum proprii corporis, item nec partium honestarum vel minus honestarum corporis alieni. Attamen talis aspectus, ubi fit morosus, periculum proximum turpis commotionis inducere et sic mortalis evadere potest. Cfr. alias applicationes supra n. 399. Aspicere pudenda personae ejusdem sexus de se non est mortale, nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam vel nisi pulcher adolescens aspiceretur nudus. (S. Alph. n. 420) Aspicere autem, cum voluntaria delectatione visus, pudenda personae diversi sexus vel concubitum humanum, mortale censetur a S. Alph. (n. 421), nisi visio fieret a loco longinquo et tempore brevissimo.

Hinc reprobant Ball. P. (n. 44) et Berardi (Prax. Conf. n. 930) consuetudinem, in multis academiis vigentem, ut pictoribus tamquam exemplaria proponantur feminae nudae, tectis tantum pudendis. Reapse non videtur hic adesse necessitas quae medicos vel chirurgos a similibus aspectibus excusat : siquidem artis pictoriae finis plene obtineri potest, adhibitis in exemplaria mulieribus quae tantum in brachiis vel modica pectoris parte denudatae sint. Attamen excusari possunt juvenes qui sine gravi incommodo (ut fit) a talibus academiis adeundis abstinere nequeunt. Nam, si attentionem in artem addiscendam defigunt et Dei opem implorant, non ita aegre videntur consensum in pravos motus cohibere posse. Quare, cum ipsa actio in se non sit graviter turpis et periculum pravi consensus potius e malitia inspicientium quam e natura rei oriatur, aequo severiores sunt praedicti AA. dum peccati gravis arguunt mulieres quae se ita nudas conspiciendas exhibent.

Aspectus picturarum turpia exhibentium plerumque mortalis erit, si res omnino obscoena, vivido modo depicta naturamque imitans, morose aspicitur, absque necessitate, qualis occurrere posset ex. gr. studiosis medicinae. Ita enim fere movet sicut ipsa res naturalis. Ideo S. Alph. (n. 424) opinatur raro a mortali excusari virum morose aspicientem pudenda mulieris depictae. Saepe tamen aspectus picturarum, et a fortiori statuarum turpium a gravi excusatur, sive quia obiter fit, sive quia minus vivide naturam imitantur, sive quia periculum vix ullum est ob consuetudinem talia a teneris annis intuendi, etc.

408. IV. Loqui turpia ob vanum solatium vel jocum de se non est mortale. At saepe gravis malitia accedere potest, puta ex affectu pravo quo quis delectatur de rebus turpibus mente apprehensis (n. 173) ; — ex fine pravo qui intenditur, ut si juvenis socium ad turpia provocare intendat ; — ex scandalo quod pati possint audientes, praesertim si pueri aliaeve personae innocentes istis colloquiis adessent, etc. Cfr. S. Alph. n. 426 ; Berardi, Prax. Conf. n. 932.

Magis quam pro reliquis impudicitiae peccatis, malitia colloquiorum turpium varia est pro conditione personarum. Aliunde, cum dedeceat confessarium a poenitentibus petere quid praecise dixerint, praesertim praesumptionibus standum erit. Ita colloquia turpia virorum conjugatorum inter se, qualia fieri solent in tabernis, sat raro ad peccatum grave pertingunt ; idem dicendum de operariis talia inter labores proferentibus. Sed contra facile, ob pravum affectum et periculum consensus, gravia erunt colloquia juvenum, nisi ob consuetudinem turpia videndi et tractandi minus his moveantur, puta studentes medicinae, vel loquantur de leviter tantum turpibus, puta de alicujus puellae pulchritudine, de osculo dato, de aliqua levi scurrilitate audita. (Berardi, op. cit. n. 935

seqq.) Praesertim de discrimine inter colloquia diu de rebus prorsus obscoenis protracta et quaedam verba obiter de turpibus dicta interrogare juvabit.

Audientes turpia mortaliter peccant, si sermones graviter malos provocant vel in iis, quatenus turpes sunt, delectantur; leviter, si ex humano respectu aliqua verba immiscent, vel subrident, aut si ex curiositate ea auscultant cum facile abire possint, etc. Hinc non sunt severius tractandi qui talia a sociis, simul laborantibus vel itinerantibus, audire moraliter coguntur, etiamsi quandoque verbum colloquio immiscent. Saepe enim frustra adigerentur ad aliam officinam aliosve socios quaerendos, cum eadem vel etiam majora pericula recurrerent.

409. V. Componere turpes libros, comoedias, cantilenas, etc. fere aestimandum est ex iis quae de sermonibus turpibus dicta sunt; severius tamen, quia scandalum datum gravius et affectus scribentis ad turpia major esse solet. Ad haec duo capita respiciendum est ut definiatur utrum grave an leve sit scribentis peccatum. (Ball. P. n. 51 seqq.)

Legere libros turpes ex curiositate, sine turpi delectatione vel proximo ejus periculo, de se veniale est; idem (secluso scandalo) dicendum de iis qui ex quadam levitate, vel ob vanum solatium, canunt cantilenas plenas lasciviis. Utrumque erit peccatum mortale, si fit ex intentione venereae delectationis vel cum proximo periculo consensus in eam (S. Alph. n. 426) : quod periculum plerumque aderit juvenibus *omnino obscoena* legentibus, multis autem circumstantiis augetur vel minuitur. (n. 240) Facilius removebitur periculum, si minus turpia leguntur ob justam causam, puta studia litteraria. Per se nullum est peccatum turpia legere ob justam et periculo proportionatam causam, ut patet e licentia quam S. Sedes quibusdam personis concedit, legendi quaedam scripta ex professo obscoena. Cfr. n. 452.

VI. De **amicitiis** teneris et sensualibus quae saepe peccatis impuris occasionem praebent, haec notasse juvat :

1° Manifestum est illas, praesertim inter adolescentes et puellas, esse valde periculosas. " Ordinarie puto, ait S. Alph. (Prax. Conf. n. 65) ipsos difficulter esse extra occasionem proximam letaliter peccandi. Id nimia experientia patet : nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione a mortalibus invenientur immunes, et si non in principio, saltem in progressu. „ Affectus enim sensualis, si diu fovetur, facile progreditur ad intentionem venereae delectationis. (Ball. P. n. 29)

2° Qui polluitur e diuturno colloquio cum persona inordinate dilecta ex. gr. ob ejus pulchritudinem, plerumque graviter peccat, saltem ob periculum consensus in pollutionem motusve turpes. (S. Alph. n. 482)

Idem dicendum de tactibus osculisve, praesertim morosis, hujusmodi personae adhibitis, sine ulla justa causa, sed tantum ad satisfaciendum huic sensuali affectui : vix enim abesse poterit prava intentio vel proximum consensus periculum. (n. 399) Facilius autem utrumque abesset si tantum leves motus carnales orirentur, praesertim in eo qui peccata venerea committere non solet.

410. VII. Occasionem multis peccatis impudicitiae praebent **relationes vigentes inter sponsos de futuro** vel eos qui aspirant ad legitimas nuptias. De his videsis Ball. P .n. 64 seqq. ; Berardi, de Recid. t. II. p. 269 seqq. Attende praesertim sequentia :

1° Ipsis licent visitationes juxta rationabilem loci consuetudinem ; imo etiamsi juvenis, ob vehementem amorem, puellam crebrius et per nimium tempus invisit, saepe hoc tolerandum erit, eo quod, ob receptas consuetudines, sine gravi incommodo prohiberi non posset. Semper tamen adhibendae erunt cautiones a sponsis eorumque curam gerentibus, ex. gr. ne solus cum sola, praesertim in secreto loco, versetur. Haec prudentia solet esse magis necessaria post inita sponsalia quam antea. eo quod ab illo tempore juvenis solet puellam ut suam habere et tractare.

2° Iisdem licet invicem exhibere signa amoris et benevolentiae, quae communiter exhiberi solent, ut honesta oscula, amplexus, tactus, alloquia, aspectus. Neque debent ab hujusmodi signis abstinere ob delectationem carnalem vel pollutionem quae, praeter intentionem, ex iis sequatur, dummodo ei non consentiant : nam justa datur causa ob quam pravus effectus permittatur.

3° Etiamsi sponsi tam crebro gravia peccata admittant ut illae visitationes et consueta amoris signa videantur proxima peccati occasio, illa tamen non sunt ipsis, sub poena denegatae absolutionis, prohibenda: nam talis occasio est moraliter necessaria. Attamen tunc praesertim confessarius jubeat sponsos abstinere ab iis benevolentiae signis quibus concupiscentiae fomes magis excitetur, neque in modo et frequentia necessitatem excedere, aliasque cautelas adhibere. (Ball. P. n. 66) Cfr. dicenda Vol. II. n. 371 seqq. de versantibus in occasione peccati.

4° Opinantur multi AA. sponsos a gravi excusari, quamvis intendant delectationem sensibilem quae ex osculis vel amplexibus non impudicis sequatur. Rationem afferunt, quod sponsalia, quae matrimonii initium sunt, excusant a mortali hanc delectationem quae copulae inchoatio est et in omnino solutis esset culpa mortalis. (Sanch. de Matr. l. 9. disp. 46. n. 48) Supponunt tamen abesse periculum copulae vel consensus in eam vel pollutionis. Quamnam praecise delectationem sponsis licitam opinentur isti AA., non liquet : alii mere sensibilem, exclusa venerea (Ball.

P. n. 71) ; alii, et forsan rectius, saltem si de Sanchezio agitur, exiguam quamdam venereamdelectationem intelligunt. (Waffel. de Virt. Card. n. 193 seqq.) Etiamsi speculative huic sententiae alterutro modo intellectae sua probabilitas concedatur, parum ad praxim facere videtur. Nam " in materia tam labili moraliter est impossibile in talibus actibus, voluptatis causa habitis, se continere a non labendo in pollutionem vel copulae consensum. „ (S. Alph. l. 6. n. 854) Insuper notandum eam opinionem non procedere de nupturientibus ante inita sponsalia.

5° Cum non raro, in regionibus nostris, sponsi vel nupturientes bona fide limites prudentiae transgrediantur, caute agat confessarius ne eam, sine spe fructus, perturbet.

411. VIII. Confessarius, quo melius dirigat poenitentes circa hanc lubricam materiam, haec advertere poterit :

1° Quando agitur de iis qui debiles quidem sunt, sed bona voluntate praediti, severitas adhibenda est ad resecanda omnia *seria* lapsuum pericula. Ut enim scribit S. Alph. (Prax. Conf. n. 65) : " Ubi agitur de periculo peccati formalis et praecise peccati turpis, confessarius, quanto magis rigorem cum poenitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit ; et contra, tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit in permittendo ut ille in occasione maneat aut se immittat. „ Haec tamen sunt ita applicanda ut nullum adstruatur peccatum mortale de quo non certo constet (n. 153), neque sunt extendenda ad cogitationes vel motus pravos quos quandoque e rebus per se indifferentibus patiuntur timoratae conscientiae homines : his enim praestat ea contemnere vel, quatenus *suaviter* fieri potest, amore virtutis perfectioris fugere.

2° Cum tanta sit varietas in influxu quem causae impudicitiae in homines exerceant, cavendum est confessario ne ea quae AA. de his scribunt tamquam normam immutabilem omnibus et ubique applicet. Ubi igitur aliquid dicitur *vix* sine peccato mortali fieri posse, id *regulariter* vetandum est sub gravi : nam ex ordinarie contingentibus oritur certitudo moralis, donec de exceptione constet. Post factum tamen non est fides abneganda poenitenti, praesertim pio, si quando affirmat sibi innocua esse quae alios graviter commovent. Et generatim, in casibus per se dubiis, quando poenitentes interrogant de reatu actus jam a se positi, antequam responsum detur, quaerendum est num inde secuti sint pravi motus, consensus in turpem delectationem, etc.

3° Quando juvenes vel puellae se accusant de peccatis turpibus cum persona alterius sexus commissis, confessarii est interrogare num forte subsit aliqua continuata amicitia et, si ita est, num haec in ordine ad matrimonium foveatur. Si reapse matrimonium inire intendunt, quod non tantum ex affirmatione poenitentis, sed ex utriusque conditione

aliisque adjunctis prudenter concludendum erit, sequatur confessarius regulas de nupturientibus datas. Si tale propositum abest, plerumque necesse erit jubere ut haec necessitudo omnino abrumpatur, cum sit gravis peccati periculum proximum sine gravi causa frequentatum.

N. B. Non agemus hic de septimo et decimo Decalogi praeceptis, quae sic efferuntur : " Non furtum facies „ (Ex. XX, 15) et : " Non concupisces domum proximi tui,... non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt. „ (ib. 17). Prius enim vetat peccata externa, posterius peccata interna contra justitiam. Haec autem materia justitiae tam ampla est ut soleat a Theologis in duobus tractatibus sejunctis exponi, quorum alter *De Justitia et Jure,* alter *De contractibus* inscribitur.

SECTIO VII. — DE OCTAVO PRAECEPTO.

412. Octavum Decalogi praeceptum sic sonat : " Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. „ (Ex. XX, 16) Explicite igitur vetat mendacium quo proximi fama et honor in judicio laedantur ; implicite et consequenter, quodlibet mendacium, quamlibet injustam laesionem famae vel honoris proximi quae fiat verbis vel aequivalentibus signis. Huc, propter quamdam analogiam, revocant Theologi temerarium judicium vel suspicionem, et injustam secreti revelationem. (Ball. P. n. 1)

Agemus igitur : 1° De mendacio. — 2° De detractione. — 3° De judicio et suspicione temeraria. — 4° De contumelia. — 5° De injusta secreti revelatione.

CAPUT I.

DE MENDACIO.

413. NOTIONES. Mendacium est locutio contra mentem ad fallendum prolata. (S. Aug. contra Mend. c. 4) De qua definitione adverte :

1° Ad mendacii malitiam parum referre utrum verbis *formalibus* an *aequivalentibus,* puta nutu, gestu, opere, proximus fallatur. Attamen non mentiretur qui aliqua ageret quae non haberent per se vim mani-

festandi quod falsum sit, sed e quibus istud tantum per erroneam deductionem concluderetur. Exemplo sunt stratagemata in bello usurpari solita, ut fuga simulata ad hostes alliciendos, vel fictiones quae ad aliquod malum vitandum adhibentur, ut si dives se tamquam pauperem vestiat ne a latronibus spolietur. Vid. actiones istae, puta festinanter recedere more fugientium, vestes detritas induere, etc. minime electae sunt ab hominibus ad conceptus significandos, ut factum est de verbis formalibus, vel aequivalentibus.

2° Mendacio essentiale esse ut discrepet significatio verborum a judicio mentis : secus non foret locutio *contra mentem.* Ideo non mentitur qui profert ea quae putat esse vera, licet falsa sint ; mentitur qui profert vera quae falsa esse putat.

3° *Voluntatem fallendi,* mendacio essentialem, intelligendam esse de voluntate falsum ita enuntiandi ut ab audiente *prudenter* credatur. Non pertinet autem ad formalem mendacii rationem, sed ad quamdam ejus *perfectionem* (2. 2. q. 110. a. 1), intentio falsitatem in opinione alterius constituendi.

Ex defectu voluntatis fallendi, mendacia non sunt ea quae, licet materialiter contra mentem proferantur, tamen per se neminem prudentem in errorem inducunt. Tales sunt formulae quae urbanitatis causa adhibentur, puta laudando cibos male conditos, dicendo aliquem non esse domi quando non vult adeuntem excipere etc., vel quae a mercatoribus usurpantur ad merces commendandas, puta : " Hoc mihi carius constat quam tibi vendo. „ Similiter mendacia non sunt joci prorsus incredibiles, puta : " Vidi asinum volantem. „ Mendacium, in quantum habet rationem culpae, dividitur in *perniciosum, jocosum* et *officiosum.* Perniciosum seu damnosum est si fit cum intentione seu praevisione nocumenti alieni ; jocosum, si tantum ordinatur ad aliquod bonum vel delectabile ; officiosum, si fit tantum ad obtinendum aliquod emolumentum vel ad removendum nocumentum, sive proprium, sive alienum. (S. Th. l. c. a. 2)

414. Ut principia de mendacio rite tradi possint, necesse est quasdam notiones de restrictionibus mentalibus praemittere.

Restrictio mentalis in genere est retentio sensus verborum vel ejus determinatio mente facta. (Lehmk. I. n. 773) Haec autem distinguitur in *pure mentalem* et *late* seu *improprie mentalem.*

Pure mentalis est si verba, mentis actu, detorquentur ad sensum quem nullatenus, neque ex se, neque ex adjunctis, prae se ferunt. Exemplum habes in eo qui interrogatus num Romam viderit, responderet *Vidi,* mente addendo *in delineamentis vel librorum descriptionibus.*

Late mentalis est si sensus loquentis non est quidem obvius, sed tamen aliquatenus percipi potest. Hoc autem contingit dupliciter :

a) Si verba sunt de se ambigua, ut fit in aequivocationibus et amphibologiis, ex. gr. dicendo dormire eum qui mortuus est. (Joann. XI, 14)

b) Si verba de se clara, ob circumstantias loci, personae vel temporis, admittunt sensum alium praeter obvium. Ita si quis, importune interrogatus de secreto quod novit, sed occultare debet, respondet : *Nescio*, satis patet eum negare tantum scientiam quam communicare possit.

416. ASSERTA. I. Omne **mendacium** proprie dictum est semper seu *intrinsece illicitum*, ideoque ne ad gravissima quidem mala vitanda licet. Rationem affert S. Th. (l. c. a. 3) : " Mendacium est malum ex genere : est enim actus cadens super indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum quod aliquis voce significet quod non habet in mente. „

Quidam tamen AA. quorum rationes exponit P. Piatus (Theol. Mor. P. Van der Velden, I. p. 524), ab hac communi sententia discedentes, existimant mendacium esse licitum quoties necessarium est ad secretum tuendum, neque magis peccare eum qui verba contra finem suum proximum adhibet, ubi necessitate servandi secreti cogitur, quam qui falsa moneta se ab injusta vexatione redimeret, cum in utroque casu deceptionem licitam reddat humanae societatis securitas.

II. Mendacium *per se* leve peccatum est, cum inordinatio illa, in qua communiter ejus malitia reponitur, ex se nullam gravitatem contineat. Quare jocosum et officiosum sunt ex genere suo levia ; damnosum, pro ratione damni illati, grave vel leve est.

III. Restrictio pure mentalis omnino assimilanda est mendacio. Nam per ea quae sola mente adduntur, nihil mutantur verba ipsa quae de se mendacium continent.

IV. Restrictio late mentalis, si fit ex justa causa, licet. Haec est, teste S. Alph. (l. c.), communis opinio Theologorum et probatur :

1° Ex S. Script. in qua Christus ipse tali restrictione usus esse legitur. Ita (Joann. VII, 8) negavit se ascendere ad diem festum, quamvis postea ascenderit, sed occulte, non manifeste, ut discipuli intendebant ; negavit (Matth. XXIV, 36) se scire diem judicii, subaudiendo *ad manifestandum*, ut discipuli petebant.

2° Ex ratione. Tales restrictiones, ob verborum ambiguitatem vel externa adjuncta, obscura quadam ratione sensum intentum continent ideoque non sunt vera locutio contra mentem. Aliunde medium praebent necessarium ad secreta celanda : nam si tale medium deesset, id " esset aeque perniciosum commercio humano quam mendacium. „ (S. Alph. l. c.)

Manifestum est restrictionis late mentalis usum esse peccaminosum, si, absque justa causa, adhibetur in rebus alicujus momenti vel ad respondendum ei qui jus habet ad plenam veritatem cognoscendam, puta judici legitime interroganti : nam humani commercii fides exigit ut generatim plena sinceritate procedatur. Non fit tamen sine justa causa si joco quaedam amphibologice dicuntur.

416. In praxi saepe arduum est dignoscere utrum aliqua mentalis restrictio habenda sit tamquam pure an tamquam late mentalis.

Fatendum est plures explicationes, quae ab AA. afferri solent ut probent locutiones aliquas amphibologicas esse, nihil solidi continere. Ita, juxta Cardenas, cit. a S. Alph. (l. 4. n. 160), invitatus qui ab hospite interrogatur num bonus sit cibus, qui reapse sit insipidus, respondere potest esse bonum, scil. *ad mortificationem*. Sed cum talis determinatio nullatenus sit neque in verbis adhibitis, neque in circumstantiis, non apparet quodnam discrimen habeatur inter talem restrictionem et eam quae fit ab homine qui, interrogatus num viderit Romam, respondet se vidisse, intelligendo *in delineamentis*. (n. 414) Pariter idem Cardenas (ap. S. Alph. n. 162) admittit licere mulieri adulterae, ad mortem vitandam, negare adulterium cum juramento, intelligendo *idololatriam*, quia in ss. Litteris, ex. gr. Ezech. XXIII. 37, idololatria nonnumquam metaphorice adulterii nomine designatur. Verum non apparet quid hic sacrae Scripturae usus, penitus a nostris moribus alienus, conferre possit ut his verbis adulterae subsit alius sensus verus.

Multo crebrius ratio, ob quam aliqua restrictio dicatur non mere mentalis, reperiri potest in adjunctis loquentis et audientis, quin necesse sit ad subtiliores illas interpretationes recurrere, quae solis doctioribus perviae sunt. Sic pone aliquem interrogari de gravi delicto suo occulto : si is delictum negat ad gravem poenam vitandam, interrogans imprudenter responsum acciperet prout materialiter sonat, quia cuique prudenti notum est non teneri reos ad proprium crimen occultum fatendum cum tanto incommodo. Similiter dicendum de aegroto cui aliquis infaustus nuntius occultandus est ne moeror grave periculum vitae creet. Is, si prudens est, recordari debet, pro more communiter recepto, multa sibi et grata dici et ingrata occultari ut animi hilaritate ad sanitatem recuperandam juvetur : quare, ubi agitur de rebus quae ipsum plurimum commovere possint, imprudenter acciperet tamquam serio asserta quae ipsi ad animi pacem vel hilaritatem dicantur. Similia sunt quae supra (n. 413) diximus de convivis qui nonnisi grata hospitibus dicere possint, de mercatoribus qui, ex conditione sua, coguntur allicere emptores, commendando, saltem generalibus locutionibus, merces suas, etc.

Quacumque demum ratione res explicetur, istud in dubium vocari

nequit : oportere ut praesto sit omnibus, non tantum doctis, sed et rudibus, practicum medium quo secreta sua ab importuno investigatore tueri queant. Quare, ubi constat adesse necessitatem tuendi secreti, non est scrupulose procedendum, sed sine haesitatione eligi potest ea respondendi ratio quae ad secretum servandum necessaria videatur. Nam, cum semper detur legitimum medium ad hunc finem obtinendum (Viva, in propp. 26am et 27am ab Innoc. XI damnatas, n. 11), hoc autem unicum appareat, licet istud arripere, quamvis forsan non distincte cernatur quomodo e verbis ipsis vel e circumstantiis verus sensus locutioni subsit.

Nostra sententia, confessarius frustra conaretur discrimen inter restrictiones pure et late mentales explicare rudioribus. Si qui hujusmodi poenitentes, ut non raro contingit, exponunt se fuisse coactos ad mentiendum, puta ut vitarent discordias, blasphemias etc., responderi poterit : haec non esse vera mendacia, sed licere, quin hujus liceitatis ulterior explicatio praebeatur. Non est enim incommodum si rudes mendacia licita appellant quae a Theologis communius restrictiones late mentales vocentur. Iis qui ingenio sunt cultiori theoretica explicatio, pro singulorum captu, dari poterit. Sed cavendum est a scandalo pusillorum, cum multi hanc restrictionum mentalium theoriam calumnientur, quasi hypocrisin et deceptionem foveat : quod multo magis attendendum erit, si agatur de permittendo juramento cum mentali restrictione.

417. V. Ex justa causa licitum est restrictionem late mentalem **juramento firmare** ; justa autem causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia. (S. Alph. n. 151) Ratio est quod, cum tali restrictioni subsit sensus verus, Deus non vocatur in testimonium falsitatis; aliunde id potest esse necessarium ad jus nostrum tuendum, ut supra (n. 415) de simplici restrictione late mentali dictum est.

Quodsi deesset justa causa, tale juramentum probabilius non esset nisi veniale peccatum : nam adsunt veritas et justitia; deficit tantum judicium, cujus deficientia non est nisi venialis. (S. Alph. l. c.) Cfr. n. 303. Grave tamen foret, sine justa causa, cum restrictione jurare in celebrandis contractibus onerosis vel mutuis, aut in legitimo judicio. Nam in his requiritur ut in sensu alterius partis vel judicis legitime interrogantis respondeatur, ne laedatur justitia vel obedientia. Idem dicendum foret, si quando ex hujusmodi juramento aliquod grave incommodum proximo oriturum praevideretur. (Ball. P. n. 57)

Applicationes plurimas hujus doctrinae exhibet S. Alph. (n. 153 seqq.), quarum plures suo loco in decursu Theologiae Moralis proponuntur. Hic sufficiant sequentes :

1° Qui indiget bonis absconditis ad sustentationem, potest coram judice jurare se nihil habere. Similiter haeres qui occultavit bona, si non teneatur ex illis satisfacere creditoribus, potest judici respondere se nihil occultasse, subintelligens *de bonis quibus satisfacere teneatur.* (S. Alph. n. 158) Cfr. n. 669.

2° Qui mutuum accepit, sed postea satisfecit, potest jurejurando negare se accepisse mutuum, subintelligens *ita ut debeat solvere.*

3° Qui a fure vi cogitur ad promittendam pecuniam cum juramento, potest subintelligere : *Dabo si tibi debuero, secluso juramento.* (S. Alph. n. 159)

4° Obligatus ad secretum potest jurare se nihil manifestasse, si nihil manifestavit eorum quae sub gravi tenebatur celare.

5° Qui obligatur ad munus aliquod ineundum, potest Superiori id exigenti juramentum praestare quod nulla commendatione hoc munus procuraverit, licet reapse eam occulte adhibuerit, subintelligendo *ita ut sit probabile in judicio.* Ratio est : neminem teneri ad fatendum proprium crimen, ubi deest infamia vel probatio semi-plena. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 42. n. 48) Sed nulla restrictio adhiberi potest ubi libertas datur munus vel promotionem non accipiendi, ex. gr. ubi promovendi ad sacros ordines interrogantur de natalibus, censuris, irregularitate, etc. vel matrimonium contracturi de impedimentis. Nam tunc deest excusatio quae in priore casu habebatur: libertas enim datur renuntiandi ordinibus, matrimonio, etc. si quis nolit sincere veritatem aperire. Huc videtur spectare prop. 28ª ab Innoc. XI damnata : " Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis ; quia non tenetur fateri crimen occultum. „ (Ball. P. n. 52)

6° Uxor, quae occulte adulterium commisit, jurare potest marito petenti se non commisisse, subintelligendo *ita ut teneatur ei manifestare.* (S. Alph. n. 162)

7° Requisitus ad mutuandam vel donandam pecuniam potest jurare se non habere, quamvis habeat, dummodo aliquatenus ex adjunctis, vel petentis, vel respondentis, intelligi possit eum intendere se non habere superfluum quod det vel mutuet. (S. Alph. n. 163)

8° Potest quis coram notario asserere se accepisse pecuniam quam non recepit, sed pro accepta habet : nam, si remittit, perinde est ac si acceperit. (S. Alph. n. 167 ; Ball. P. n. 55)

CAPUT II.

DE DETRACTIONE.

418. NOTIONES. Detractio est injusta famae alienae laesio.

Fama (ut in hac definitione sumitur) est bona existimatio multorum de aliquo bono alieno. Singulorum tamen existimatio de hoc bono eadem voce comprehenditur, tamquam pars illius opinionis communis qua fama constituitur : quare etiam laesio existimationis apud singulos constituit detractionem.

Bonum quod famae tamquam objectum assignatur, *primario* complectitur ea quae ad honestatem pertinent, nempe virtutes ; *secundario* tamen continet alia quae perfectionem quamcumque homini afferunt, vel intrinsecam, ut sapientia, bona indoles, pulchritudo, vel mere extrinsecam, ut nobilitas, legitima natalia, opes, etc. (Lugo, de Just. et J. disp. 14. n. 2)

Aliqui AA. (ut Gury, I, n. 445) definitioni detractionis modo datae addunt " per verba occulta „ : quod convenit cum S. Th. (2. 2. q. 73. a. 1) Hoc tamen discrimen spectat ad quaestionem meri nominis, nempe utrum laesio alienae famae per facta vel per verba, coram infamato prolata, dicenda sit contumelia an detractio contumeliae conjuncta.

Per detractionem laedi possunt ii omnes qui fama apud audientes gaudent : ergo etiam *mortui*, quamvis soleat detractio erga eos esse levior ob minus detrimentum, et *personae morales*, ut civitas, ordo religiosus, etc., non autem, probabilius, ii qui in quodam loco omnino ignoti sunt, utpote fama ibidem carentes.

Distingui solet detractio *directa* et *indirecta* : quam tamen divisionem alii aliter intelligunt. Quidam, ut Busemb. (S. Alph. n. 966), directam seu formalem dicunt eam quae fit ex intentione famam laedendi ; indirectam seu materialem, eam quae fit ex aliqua levitate et loquacitate. Alii, ut Lehmk. (I. n. 1137), divisionem hanc referunt ad modum quo fama laeditur ; quare directam dicunt detractionem si quid clare narratur, indirectam si tacendo aliquid insinuatur, ex. gr. frigide laudando, in communi laude aliquem notanter praetereundo, etc. Nos eam distinctionem in priore sensu adhibebimus.

Si fama laeditur imponendo alteri crimen vel defectum falsum, haec *calumnia* dicitur ; si laeditur manifestando crimen vel defectum verum, manet *detractio simplex*.

419. ASSERTA. I. Detractio ex genere suo est **peccatum mortale** : nam " auferre alicui famam valde grave est : quia inter res temporales

videtur fama esse pretiosior, per cujus defectum impeditur homo a multis bene agendis. „ (2. 2. q. 73. a. 2) Idem patet a fortiori ex gravitate furti, siquidem fama praestat bonis fortunae, juxta illud Prov.(XXII, 1): " Melius est nomen bonum quam divitiae multae. „ Cfr. S. Th. l. c. a. 3.

Hinc mortaliter peccat qui verba quaedam profert quibus intendit notabiliter laedere alienam famam, vel qui, sine hac perversa intentione, quaedam profert e quibus praevidet probabiliter oriturum esse grave nocumentum famae alienae.

Fieri autem potest ut laesio famae per se exigua sit, sed apta ad grave damnum in bonis alius generis inferendum, ut si quis narraret garrulum esse eum quem audiens ad munus secretarii assumere vellet. Sic peccato levi detractionis adderetur gravis laesio caritatis vel justitiae.

II. Specie non differt detractio directa ab indirecta; sed haec saepissime propter imperfectionem actus excusatur a peccato mortali. (Struggl, tr. 7. q. 6. n. 10) Neque specie differunt detractio simplex et calumnia : nam utraque laeditur idem jus proximi ad famam et per accidens est quod hoc vel illo modo laedatur. Accedit quidem in calumnia malitia mendacii : sed haec, prout veracitati adversatur, non est mortalis ideoque non est necessario in confessione explicanda. Saepe tamen expediet ut confessarius de hoc discrimine interroget, praesertim ut sciat quatenus et quomodo sit reparanda fama injuste laesa.

Tandem communiter non admittitur discrimen specificum in detractione pro diversis materiis in quibus versatur : quia fama semper est ejusdem speciei in genere moris. (Ball. P. de Pecc. n. 269)

420. III. Ut cognoscatur num aliqua detractio probabiliter apta sit ad **grave nocumentum** famae alienae inferendum, consideranda sunt adjuncta tum detrahentis, tum illius cui detrahitur, denique etiam illius coram quo detractio profertur. Singula enim, ut patet, in hoc judicium prudenter efformandum influunt. Hinc :

1° Potest esse detractio levis, quamvis id quod de proximo narratur sit peccatum grave, et contra potest esse gravis detractio, licet id quod narratur sit peccatum veniale vel etiam defectus inculpabilis. (Lugo, l. c. n. 49) Sic regulariter non graviter laeditur fama adolescentis saecularis et parum pii, si dicitur eum desiderare feminam ad peccandum; similiter, si de milite narratur eum duellum commisisse, etc. Graviter vero detrahit qui de religioso bene morato dicit eum dignitates ambire et virtutes ad hunc finem fingere, vel qui manifestat illegitima natalia viri locum honoratum occupantis, etc.

2° Potest detractio gravis esse, licet nihil in particulari significes, sed dicas tantum aliquid esse quod, si manifestares, proximum gravi rubore

afficeret : nam hoc satis est ut alii de eo quem designasti sinistre opinentur et fortasse aliquid pejus cogitent quam sit illud quod dicere potuisses. (Lugo, l. c. n. 50)

3° Regulariter levis detractio est revelare defectus mere naturales, dicendo ex. gr. aliquem esse imprudentem, stupidum, spurium, etc. Haec enim minus laedunt famam quam quae voluntaria sunt : insuper pleraque, natura sua, publica esse solent. Idem dicendum de eo qui tantum in genere alium vocat iracundum, superbum, invidum, etc., quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione, neque ea propalare solent sicut facta determinata. (Bus. ap. S. Alph. n. 967)

4° Manifestare defectum occultum gravem proximi uni prudenti viro, qui rem secreto servaturus sit, alii (ut Lugo, l. c. n. 51) grave reputant ; alii tamen probabilius cum S. Alph. (n. 973) leve aestimant : quia talis laesio non infert notabile nocumentum famae, quae *adaequate* in multorum, non in unius aestimatione consistit.

5° Culpa saltem gravi vacat qui injuriam acceptam alicui amico prudenti manifestat ad dolorem suum hac manifestatione leniendum, etsi ex ea quaedam infamatio proximo adveniat : hanc enim, ob bonum quod prosequitur, permittere potest. Cavendum tamen ne pluribus dicatur vel ne apertius nominetur persona quam necesse sit ad solatium habendum. Sic famuli, uxores, religiosi, etc. detegere quandoque possunt injurias sibi ab hero, marito, praelato, etc., illatas. (S. Alph. l. c. ; Lugo, l. c. n. 54)

6° Qui refert tantum peccata aliorum occulta *ut ab aliis audita*, regulariter non peccat mortaliter, quia audientes plerumque non sunt credituri, ac proinde nulla gravis infamatio inde secutura est. Attamen mortaliter peccaret : *a)* si audita referret coram iis qui ex levitate vel malitia sua probabiliter credituri sint : nam, licet hic non laedatur graviter justitia, quia non ponitur causa efficax damni, graviter tamen laeditur caritas, quae jubet impedire grave damnum proximi quatenus id commode fieri potest ; — *b)* si audita ita referret ut audientes merito credituri videantur, ex. gr. asserendo ea audita esse a persona fide digna ; — *c)* si repeteret rem adeo enormem ut sola illius suspicio grave nocumentum famae proximi inferret, ex. gr. sodomiam a sacerdote commissam esse. (S. Alph. n. 977 ; Lugo, l. c. n. 55 seqq.) Attamen in hoc ultimo casu, putarem saepe abesse gravem famae laesionem eo quod, ob rei enormitatem, ne suspicio quidem admitteretur.

7° Qui in una materia famam amisit, eam omnino servat in materia prorsus disparata ; sic, si quis notus est ut luxuriosus, manet grave de eo furtum occultum in re notabili manifestare. Saepe tamen novum crimen de infamato manifestare vel fingere, leve est, quia ob connexionem cum priore jam noto fama parvum patitur detrimentum, ut si dicas

adulterum misisse litteras amatorias ; quandoque etiam nullum peccatum erit, quia nullum fit famae detrimentum, ut si fingas meretricem adolescenti insidias struxisse. (Lugo, l. c. n. 58)

8º Graviter peccat qui Ordini vel statui alicui religiosorum in communi, vel monasterio detrahit, dicendo ex. gr. quod in eo male vivatur, non servetur regularis disciplina, etc., nisi id plane notorium sit. Similiter qui, tacita persona, nominat monasterium vel Ordinem religiosum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, ex. gr. adulterii vel fornicationis, commiserit. (Bus. ap. S. Alph. n. 978)

421. IV. Licet ubique, absque alia causa excusante, manifestare crimen ob quod aliquis **publica et legitima sententia** damnatus est. Nam judex, ob rationes bono communi omnino consentaneas, intendit reum jure ad famam in hac materia privare. Ideo, sicut ipse sententiam suam, quantum potest, publici juris facit, ita reliquis facultatem tribuit eamdem ubique propalandi ut omnes sibi a scelestis hominibus cavere queant. (Lugo, l. c. n. 72)

Semper etiam licet instaurare memoriam legitimae condemnationis, si quando abolita esset : facultas enim legitime data vim suam jugiter exserit. (Lugo, l. c. n. 77) Attamen caritatem laederet qui memoriam pristini sceleris instauraret in iis adjunctis in quibus praevideret hanc fore aliis occasionem habendi tamquam adhuc pravum eum qui se jam penitus emendasset.

V. Si crimen aliquod, absque sententia judiciali, **publicum evasit** in aliqua communitate, licet illud manifestare saltem ejusdem communitatis membris, quibus adhuc incognitum esset. Nam communis utilitas postulat ut unicuique liceat de rebus publicis libere loqui. Sic enim fit ut unusquisque absque errore cognoscatur qualis revera est, et removentur magna incommoda quae enasci solent ex eo quod improbi vel imperiti pro probis et peritis habeantur. (Lugo, l. c. n. 61) Quot vero personis delictum notum esse debeat ut merito censeatur publicum, nequit ad amussim determinari. Sufficit haec regula generalis : rem censendam esse publicam si, attentis conditione communitatis, personarum qualitate ceterisque adjunctis, jam moraliter nequeat ulterior manifestatio impediri. (Lugo, l. c. n. 70)

Idem crimen manifestare iis qui non pertinent ad eam communitatem in qua publicum evasit, non licet, si agitur de *communitate restricta*, ex. gr. monasterio vel seminario : nam tales communitates saepe ea quae omnibus membris suis nota sunt, tamquam secreta servant, neque ulla ratio generatim ulteriorem propalationem justificat. Ideo delictum publicum in uno monasterio nequit sine detractione manifestari in alia

etiam ejusdem Ordinis domo. (S. Alph. H. A. tr. 11. n. 12) At si agitur de communitate patenti, ita ut res dicenda sit *simpliciter et absolute publica*, probabile est eam licite posse manifestari non tantum in iis locis ad quae certo haec fama deventura est (quod fere omnes concedunt), sed etiam in iis ad quae, ob distantiam vel rarum commercium, non videtur perventura. Ita opinantur Lugo (l. c. n. 80) et S. Alph. (n. 974), qui tamen id restringit ad crimina quae reddant hominem perniciosum et ab aliis vitandum, ut sunt crimina homicidii proditorii, lenocinii, scandalosae impudicitiae et similia. Ratio quam affert Lugo, et quae de omnibus criminibus vel defectibus procedit, haec est : expedire ad bonum publicum quod unusquisque ab aliis cognoscatur qualis publice est, ne alii in relationibus quas cum eo habeant decipiantur.

Si res quae facto tantum publica evaserat, postea *oblivioni tradita* est, jam non licet eam in memoriam revocare. Id tamen alii, ut Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 11. n. 82), soli caritati, alii, ut Lugo (l. c. n. 85), probabilius etiam justitiae adversari opinantur : nam per illam oblivionem res in eo statu reposita est in quo erat antequam divulgaretur, ideoque jus ad famam reviviscit.

Quandoque tamen ratio boni communis efficiet ut crimina jam oblivioni data licite iterum in memoriam revocentur. Hoc praesertim contingit in historia scribenda, ob multiplicem utilitatem quae inde dimanat. Per accidens tamen id illicitum esse potest ob scandalum inde secuturum, puta si quaedam delicta personarum ecclesiasticarum pandantur. Verum hodie, ob ingentem scribentium et archivia scrutantium numerum, plerumque talis manifestatio impediri nequit, ac proinde saepe praestat ut cum debitis cautelis a viro catholico fiat quam Ecclesiae adversario relinquatur. In recentioribus factis narrandis cavendum est a damno quod inde pati queant personae adhuc viventes. (Ball. P. n. 71 seq. ; Lehmk. I. n. 1183)

422. VI. Ob justam causam licet **manifestare alienum crimen** vel defectum occultum, dummodo ea manifestatio ad finem intentum necessaria sit, neque ultra hujus necessitatis limites extendatur. Nam jus ad famam in eo qui probitatem vel peritiam tantum existimatam habet, non est absolutum ut in eo qui vere probus et peritus est. Oritur enim unice ex eo quod, ad multa incommoda vitanda, oportuit defectus occultos non publicari nisi in iis circumstantiis in quibus ad commune bonum expedit eorum publicatio : in quibus casibus juri huic limitato, ne quis a fama quam possidet deturbetur, praevalet bonum commune quod ex liceitate talis manifestationis oritur. (Lugo, l. c. n. 97) Numquam vero licet calumniam proferre : hoc enim, utpote intrinsece malum, numquam medium justum ad vitandum proprium vel tertii damnum fieri potest.

Quare damnata est ab Innoc. XI prop. 44ª : " Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia. „

Justa illa causa desumi potest quandoque ex utilitate, praesertim spirituali, illius cujus fama minuatur. Cfr. dicta de correctione fraterna n. 225. Saepius desumitur ex utilitate revelantis, vel tertii, vel etiam e bono publico procurando. Neque requiritur probabilius ut revelans timeat damnum suum vel tertii aequale damno quod fama proximi passura sit, sed sufficit ut timeatur damnum grave ac notabile. (Lugo, l. c. n. 112 ; S. Alph. n. 968) Quare, cum agitur de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de suscipienda religione, de assumendo medico, praeceptore, famulo etc. licet, imo aliquando oportet manifestare occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, crimina, unde notabile aliquod incommodum merito timeretur. (Bus. ap. S. Alph. l. c.) Aliam applicationem habes in reo revelante testium crimina (Vol. II. n. 12).Ob rationem autem boni communis excusantur qui, qua voce, qua scripto, divulgant crimina vel defectus eorum qui se tamquam candidatos comitiis proponunt, neque publicis muneribus digni sunt : sed crebro in his adjunctis limites necessitatis plurimum exceduntur.

Specialis difficultas est : quousque liceat manifestare crimen cujus notitia injuste acquisita sit, ex. gr. aperiendo litteras. Prorsus tenenda videtur sententia Lugonis (l. c. n. 100) quam sequitur S. Alph. (n. 969). Nempe generaliter illicitum est uti tali notitia ob quodcumque damnum proprium vitandum : quia actio injusta qua tu secretum accepisti, obligat te ad restituenda omnia damna propter illam proximo obventura, ac proinde ad abstinendum a novo damno eidem inferendo. Id licitum fieret tantum in iis adjunctis in quibus tibi licitum esset, etiam per vim et fraudem, secretum hoc exquirere, ex. gr. aperiendo litteras : tunc enim ipse status praesens dat tibi jus hoc secreto injuste cognito utendi, fere ut licet furi in extrema necessitate consumere ea quae secus restituere deberet. Hoc praesertim contingeret si alter injuste te vexaret, neque alia ratione te tueri posses. Cfr. dicenda de litterarum apertione n. 433.

423. VII. De reatu illius qui **detractionem audit**, haec praecipue tenenda sunt :

1º Qui alium inducit ad detrahendum peccat graviter vel leviter contra justitiam, prout gravis vel levis est laesio famae ad quam alterum impellit : est enim injustae laesionis causa efficax.

2º Qui delectatur in detractione gravi propter odium ejus cui detrahitur, graviter peccat contra caritatem : nam de gravi damno proximi gaudet. (2. 2. q. 73. a. 4) Probabilius tamen non peccat graviter qui de

detractione delectatur, non ex odio proximi, sed ob voluptatem quam parit auditio rerum occultarum praesertim criminum, ideoque e vanitate vel curiositate tantum. (S. Alph. n. 979)

3° Persona privata quae detractionem, quando commode potest, non avertit vel non impedit, ob verecundiam, timorem vel negligentiam, non peccat nisi leviter, modo praeter infamiam aliud damnum ex detractione non accedat. Theoretice quidem videretur id de peccato mortali arguendum : siquidem omittitur correctio fraterna, quae per se sub gravi obligat. Sed practice plerumque haec omissio levis est, ut diximus n. 223, ob alicujus conditionis requisitae defectum. In specie quod ad praesentem materiam pertinet, notandum cum S. Alph. (l. c.) difficillime constare de correctionis successu, facillime offendi detrahentes coram aliis correptos. Imo periculum esse ne ii potius augeant vel confirment detractionem ; quae rationes tales sunt ut probent plerumque absque ulla culpa omitti detrahentis correctionem. Adde cum Busemb. (ap. S. Alph. ib.) : audientem saepe nescire num id quod dicitur notorium sit, tametsi ab ipso ignoretur, et in dubio non esse cur damnet loquentem ; hunc insuper habere posse justam causam aliquid manifestandi, praesertim uni soli. Certe a veniali excusantur qui, advertendo detractionem, discedunt, sermonem divertunt, faciem tristem ostendunt, etc.

Superior autem sive detrahentis, sive ejus cui detrahitur, graviter peccat contra caritatem si, audiendo detractionem, eam non avertit, quando commode potest : quia ipsi incumbit specialis obligatio corrigendi detrahentem vel damno infamati obviandi. Probabilius tamen non peccat contra justitiam ideoque ad restitutionem non tenetur. Cfr. n. 546 et S. Alph. n. 979 seq.

424. VIII. Infamare seipsum per se non est peccatum grave : id enim non adversatur justitiae, siquidem homo famae suae perinde ac pecuniae suae dominus est ; neque caritati, siquidem dilectio sui non obligat ad conservanda ea bona externa, quando non sunt necessaria ad salutem spiritualem vel corporalem. Ideo qui prodigit famam suam per se non magis peccat mortaliter quam qui pecuniam suam prodigit.

Prodigere famam est per se peccatum leve, utpote famae usus irrationabilis, sicut a veniali immunis non est qui pecuniam *absque ulla causa rationabili* expendit ac profundit. Accedit quoque leve peccatum mendacii si quis falso crimen sibi imponit. Insuper per accidens grave peccatum erit, nempe si fama quam prodigis necessaria est muneri tuo obeundo vel si alii inde patiuntur gravem infamiam et similia damna. Non peccat tamen qui crimen a se commissum judici fatetur, etiamsi propterea morte plectendus est : nam ita minime causa est suae mortis, sed procurat tantum id quod in se rectissimum est, nempe ut ab eo qui

legitimam auctoritatem habet juste puniatur. (Lugo, l. c. n. 153 seqq.) Sin autem finis honestus intenditur, ex. gr. demissio propria vel liberatio proximi ab injusta vexatione, per se laudabiliter fama minui vel dimitti potest.

N. B. De famae laesae restitutione agemus in tr. de Just. et Jure, n. 562 seqq.

CAPUT III.

DE JUDICIO SEU SUSPICIONE TEMERARIA.

425. NOTIONES. Hic spectamus tantum illam *internam* existimationem de vita et moribus proximi in qua, saltem inadaequate, illius fama consistit. Status autem mentis nostrae hanc existimationem intuentis, potest esse multiplex, ut circa quodlibet ejus objectum contingit, nempe : *judicium certum, dubitatio, opinio, suspicio.* Cfr. n. 51. Claritatis causa notandum est, etiam in dubitatione, qualis in praesenti materia sumitur, scilicet cum advertentia quae ad peccatum sufficiat, conjungi aliquem assensum, eumque firmum. Quare varii isti actus distinguendi sunt, secundum rem in quam cadit assensus. In judicio temerario assensus cadit in alterius malitiam tamquam certo perspectam ; in dubitatione cadit in defectum motivi ad judicandum utrum aliquis sit bonus an malus ; in opinione, cadit in probabilitatem malitiae alienae ; in suspicione tandem cadit in hoc complexum : *forte res ita est.* (Ball. P. n. 12)

Singuli illi actus de proximi malitia eliciti culpa vacant, si adest ratio sufficiens ad eos eliciendos, ut si judicares aliquem esse malum eo quod istud ab aliquo viro probo et fide digno audisses : nam ita eliciuntur modo qui prorsus cum natura rationali congruat. Temerarii vero fiunt quando desunt motiva proportionata ad singulos assensus dandos. ex. gr. si famulum certo judicares furem esse ob adjuncta quae prudenti tantum suspicioni sufficerent. Attamen, ex humanae mentis natura, impossibile videtur ut demus assensum quando distincte perspicimus deesse rationes sufficientes assentiendi. Quare temeritas illa locum habebit tantum quando intellectus talem insufficientiam rationum in confuso advertit, sed a mala voluntate impellitur ad assensum motivis levioribus dandum. (Ball. P. n. 13)

Adverte AA. maxime discrepare in ratione nominandi vel explicandi hos varios actus intellectus. Nec mirum : nam tangitur theoria satis obscura de natura judicii erronei.

426. ASSERTA. I. Judicium temerarium ex genere suo est peccatum grave.

Ita communissime sentiunt AA. sed in assignanda ratione nonnihil discrepant. Praeplacet sententia Lessii (de Just. et J. l. 2. c. 29. n. 21) : " Quia talis suspicio non procedit ex errore humano aut fragilitate aliqua, sed ex malitia qua quis vult ita suspicari, ut eum contemnat et pro vili habeat, aut ne cogatur illum in corde suo sibi praeponere ; qua in re gravis est injuria : nam, praeterquam quod suspicio talis proficiscitur ex pravo affectu erga illum, etiam est pertinax. Etsi enim suspicator ille advertat se justam causam non habere, tamen vult in sua prava opinione persistere. „ Videtur consonare S. Th. qui gravitatem hujus peccati sic explicat : " In quantum non est sine *contemptu* proximi. „ (2. 2. q. 60. a. 3) Qua explicatione admissa, haud aegre datur ratio ob quam cum praesente asserto conciliari valeat sententia quae tenet (n. 420) non esse peccatum grave manifestare defectum occultum gravem proximi uni viro prudenti : nam a tali manifestatione prorsus abest ille contemptus proximi qui gravem injuriam in judicio temerario fundat. Deinde per judicium temerarium aequivalenter falsum crimen proximo imponeretur : quod mortale est, etiamsi apud unum tantum fiat. (Lessius, l. c. c. 11. n. 71)

Ex hoc asserto, cum generalibus principiis de peccati gravitate collato, sequitur non fore in judicio temerario *peccatum letale*, nisi concurrant hae *quatuor conditiones :*

1° Ut malum quod proximo impingitur graviter ejus famae noceat. Qua in re adhibendae sunt eaedem regulae quae de gravitate detractionis datae sunt n. 419 seq. Attamen, cum homines gravius ferant detractiones quam mere interna judicia, aliquanto mitius de his quam de illis judicandum est. Ex iisdem regulis sequitur judicia temeraria non differre specie pro malo quod impingitur.

2° Ut assensus detur malitiae alienae tamquam certae : secus habebitur tantum suspicio vel opinio temeraria.

3° Ut perfecte advertatur ad gravem malitiam.

4° Ut, saltem in confuso, advertatur rationes esse omnino insufficientes ad tale judicium efformandum. Hinc veniale erit si signa sunt sufficientia ad opinionem saltem probabilem. Quodsi forte nullatenus haec insufficientia advertitur, habebitur merus error.

427. II. Dubitatio, opinio vel suspicio temeraria per se veniale tantum peccatum constituunt : nam levem injuriam inferunt proximo, cujus famam non penitus tollunt sed minuunt.

Controvertitur autem num haec *per accidens* ad peccatum mortale pertingere queant. Affirmant Lugo (l. c. n. 14) et S. Alph. (n. 963), tam-

quam probabilius. Rationem afferunt: quód quaedam suspiciones, ob materiae enormitatem, majorem injuriam in proximum continent quam judicia firma in aliis materiis gravibus. " Gravius enim est alicui homini quod opinemur illum haereticum vel incestuosum cum matre quam quod certo credamus esse fornicarium vel perjurum. „ (Lugo. l. c.) Negant tamen alii, neque improbabiliter. Nam ita sensisse videtur S. Th. (l. c.), qui universe discrimen inter grave et leve peccatum in hac materia repetit ex eo quod malitia alterius pro certo aestimatur vel tantum cum dubio admittitur. Similiter S. Aug. (in Joann. tr. 90) : " Etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est definitivas firmasque sententias, continere debemus. „ Hanc posteriorem sententiam tuto sequi poterit confessarius ac proinde, quotiescumque a poenitente audiverit eum cum quadam haesitatione vel dubitatione judicium temerarium efformasse, ab ampliore investigatione abstinere. (Ball. P. n. 21)

III. Dubia de personis, ad bonam vel malam existimationem pertinentia, sunt in meliorem partem interpretanda. (S. Th. l. c. a. 4) Attamen, ubi pro mala interpretatione suppetunt motiva probabilia, non tenemur ad judicandum *actu positivo et speculative* proximum reipsa esse innocentem, habuisse bonam intentionem, etc. Nemo enim tenetur ad assensum in quo exponit se notabili periculo errandi. Nam talis assensus non est actus virtutis, neque ad actum virtutis necessarius, sed est quiddam errori obnoxium, quod perfecta prudentia devitat. (Lessius, l. c. c. 29. n. 30 ; Lugo, l. c. n. 21)

Verum, quando agitur de vitando aliquo damno vel de adhibendo remedio, dubia possunt in deteriorem partem accipi, non quidem judicando aliquem esse furem vel improbum, sed judicando ita exterius cavendum esse et sibi illique consulendum ac si dubia esset illius probitas. Ita fieri potest ex. gr. ubi ignotum hospitem recipimus vel inferiorem ob indicia quaedam dubia suspectum habemus. (Lessius, l. c. n. 42)

CAPUT IV.

DE CONTUMELIA.

428. NOTIONES. Contumelia est injusta honoris alieni laesio.

Honor hominibus exhiberi solitus consistit in testificatione quadam de excellentia alicujus. (2. 2. q. 103. a. 1) Haec autem excellentia seu superioritas non requirit necessario ut ille qui honoratur sit excellentior

honorante, saltem absolute, sed sufficit ut secundum quid superior reputetur : quod semper reputare licet, secundum illud ad Philip. II, 3 ; " In humilitate superiores invicem arbitrantes. „ Vel etiam spectari potest idem tamquam excellentior quibusdam aliis. (S. Th. l. c. a. 2) Singulis enim etiam infimae conditionis hominibus inest aliqua excellentia ob quam eis aliquis honor in societate humana exhibetur.

Honor exhibetur *per signa exteriora*, nempe : per verba, facta, res, ut si quis ore pronuntiat excellentiam alicujus, vel ei caput inclinat vel ejus imaginem instituit. (S. Th. l. c. a. 1) Regulariter exhibetur homini praesenti vel in se vel saltem in ejus signo ; quandoque tamen etiam absenti deferri potest, ut in laude absentis. Ex his patet discrimen honoris et famae, quae in existimatione interna consistit.

Laedi potest honor *negative* et *positive* : negative, si cui denegantur signa honoris pro ipsius conditione debita, ex. gr. salutatio ; positive, si quid dicitur, scribitur vel agitur quod ipsius honori adversatur. Varios modos laedendi honorem AA. statuunt : convicium, improperium, irrisionem, etc., qui tamen discrimen morale non inducunt. Videsis Lugo, de Just. et J. disp. 14. n. 193 seqq.

429. ASSERTA. I. Contumelia est peccatum **ex genere suo grave.** (2. 2. q. 72. a. 2 ; Lugo, l. c. n. 192)

Ratio, quia nocet homini in bonis magni momenti et quae ab eo solent pluris aestimari quam bona fortunae. E principiis autem generalibus de voluntario liquet peccari, non tantum ab eo qui directe laesionem honoris intendit, sed ab eo quoque qui, sine causa excusante, ponit actionem e qua praevidet talem laesionem secuturam esse. Quandonam autem oriatur notabilis laesio et consequenter grave peccatum, eruendum est e prudenti consideratione laedentis, laesi, communis existimationis, etc. Contumelia certe gravior est quam detractio si (ut non raro fit), una cum honore, et famam laedit. Verum, ubi solus laeditur honor, videtur minus peccatum quam detractio : quia homo pluris aestimat famam sine honore quam honorem a fama sejunctum. Quivis enim homo rationabilis mallet ab aliis magni aestimari, licet nullum exterius signum hujus aestimationis darent, quam talia signa externa recipere quibus sciret nullam subesse existimationem internam. (Lugo, l. c. n. 9)

Saepe contumelia levem culpam constituit, seu quia laesio honoris levis est, seu quia absque plena advertentia profertur. Imo, juxta S. Th. (l. c.) : " Ad eutrapeliam pertinet dicere aliquod leve convicium, non ad dehonorationem vel ad contristationem ejus in quem dicitur, sed magis causa delectationis vel joci. „

II. Contumelia, aeque ac detractio (n. 419), **non differt specie** pro varia ratione qua honor laeditur. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 265)

Ratio est, quod omnes contumeliae accipiunt malitiam ex eo quod laedunt honorem, sicut furta laedunt fortunas : ergo, sicut furta sunt ejusdem speciei in ratione furti, quocumque modo fiant, ita de contumelia dicendum est. Supponitur tamen nulla alius speciei damna e contumelia sequi.

Hinc minime oportet explicare in confessione varia convicia in aliquem prolata, puta furis, adulteri, etc.

Quando e contumelia sive positiva, sive negativa, sequitur dehonoratio proximi, laeditur justitia, ablato honore qui, stricto jure, ad proximum pertinet. Ideo et restitutio facienda est : de qua dicetur n. 564.

CAPUT V.

DE VIOLATIONE SECRETI.

430. NOTIONES. Secretum, in praesenti materia, intelligitur res occulta quae occultanda manet.

Praeter secretum sacramentale, de quo Vol. II. n. 379 seqq. dicetur, distingui solent : *naturale*, *promissum* et *commissum*.

Naturale dicitur quod absque damno vel justo maerore alterius revelari nequit, ideoque ab ipsa lege naturali servandum praecipitur.

Promissum vocatur quod ab aliquo servandum est vi promissionis ab eo factae vel sponte, *postquam* casu aliquid didicit, vel postulante eo qui ipsi prius rem, sine contractu secreti servandi, detexit.

Commissum tandem dicitur quod alicui communicatum est ab eo cui prior *antea*, expresse vel tacite, promiserit se hac notitia non esse usurum nisi ex consensu et beneplacito communicantis. Hinc non habetur proprie secretum commissum quando notitia propriis oculis et ab ipso facto accipitur, puta si quis vocatus fuisset, praevia promissione secreti, ut interesset furto vel homicidio. In hoc enim casu non communicatur ipsamet notitia secreti cum hac promissione quod unice juxta beneplacitum communicantis usurpabitur. (Lugo, de Just. et J. disp. 14. n. 141) *Expresse* fit talis promissio si quid alicui consentienti, vel saltem non recusanti, sub secreto committitur ; *tacite*, si ex adjunctis et ex munere quo fungitur secretum accipiens, liquet, istud hac lege communicari. Id liquet quotiescumque munus geritur ad quod pro consilio vel remedio recurri solet, ut theologi, advocati, medici, obstetricis. Hoc secretum solet a Theol. vocari etiam *rigorosum* : quia, post sacramentale, est omnium arctissimum. Attamen non omnia secreta commissa cum eodem rigore obligant, ut infra statuetur. (n. 432)

431. ASSERTA. I. Secretum naturale obligat sub gravi ex genere suo, sicut virtutes caritatis vel justitiae e quibus obligatio oritur. Ut igitur talis secreti revelatio, sine causa facta, peccatum grave sit, necesse est ut proximum gravi injuria vel maerore afficiat.

Quando revelatio haec adversatur justitiae, ut sciatur quamnam ob causam legitima fiat, applicanda sunt ea quae (n. 422) de manifestatione criminis occulti statuta sunt. Quodsi soli caritati adversatur, patet secretum non esse servandum cum gravi incommodo : ad quod subeundum haec virtus non obligat.

II. Secretum promissum, qua tale, obligat sub levi tantum, si (ut communiter fit) promittens se ex sola fidelitate obligare intendit ; sub gravi autem ex genere suo, si promittens obligationem ex justitia assumere intendit : quod non est existimandum, nisi diserte animum habuerit gravis obligationis sibi imponendae. Cfr. n. 607. Attamen videndum num forte, ex ipsa rei natura, graviter obliget secretum sub mera fidelitate promissum : saepe enim promissio additur naturali secreto.

Secretum mere promissum servandum non est ubi id sine gravi incommodo fieri nequit, nisi quis diserte se ad illud obligarit : secus enim non est censendus se obligasse ad tantum onus subeundum unice ut promissis suis staret. Quodsi quis diserte se ad tale damnum subeundum obligarit, per se tenetur huic promissioni stare dummodo sit licita et rationabilis. Sic, ubi promisisses te secretum summi momenti servaturum esse etiam cum propriae vitae jactura, probabilius hanc promissionem adimplere deberes, quia tantum omitteres vitam conservare ob justam servandi promissi causam. (Lugo, l. c. n. 115) Quidam AA., quorum sententiam S. Alph. (n. 971) satis probabilem vocat, opinantur tunc secretum omnino prodendum esse ad propriam vitam servandam, quia ex praecepto caritatis tenetur unusquisque propriam vitam praeferre alienae : quae tamen ratio debilis videtur. Cfr. n. 362.

Promissio certe non obligat ad servandum secretum in iis adjunctis in quibus, seclusa promissione, illud manifestandum esset : nequit enim obligare ad rem illicitam. Ita, si quis promisit se non esse revelaturum crimen quod casu didicerit, tenetur nihilominus legitime interroganti Superiori vel judici respondere ac si nihil promisisset. (Lugo, l. c. n. 141)

Plerumque e promissi secreti violatione sequitur damnum illius cui promissum est : quare simul considerandum est vinculum quod ex secreto naturali exsurgit.

432. III. Secretum commissum obligat, ex genere suo, sub gravi : nam cum fiat contractus onerosus ut unus revelet, alter servet secretum, ubi unus conditionem ex parte sua adimplevit, revelando secretum,

alteri obligatio ex justitia exsurgit promissionem suam adimplendi. (Lugo, l. c. n. 139)

Secretum commissum licite revelatur :

1° Si merito praesumi potest consensus illius qui secretum commisit (S. Alph. n. 971), ex. gr. quia servare secretum in illius nocumentum vergit.

2° Si id necessarium est ad grave damnum tertii innocentis avertendum, quod injuste ab eo qui secretum commisit infertur. Hoc autem procedit, etiamsi quis insuper promisisset se quaevis mala, et ipsam mortem, passurum esse potius quam secretum revelet. Talis enim promissio nequit auferre facultatem vim vi repellendi. (Lugo, l. c. n. 142; Lehmk. I. n. 1198) Exemplum habes in medico qui novit sponsum, qui se sanum fingit, laborare morbo venereo vel contagioso : is, si deceptor admonitus desistere nollet, posset rem puellae deceptae manifestare.

3° Si id necessarium est ad avertendum grave damnum commune Status vel Ecclesiae, " quia salus reipublicae suprema lex est, et omnis promissio ex qua resp. grave detrimentum capere potest, illicita atque ideo nullius momenti est. „ (D'Annib. II. n. 271) Non sufficeret tamen damnum publicum leve quod oriatur ex. gr. ex eo quod aliquis reus impunitus maneat.

4° Si id necessarium est ad vitandum grave damnum proprium, etiamsi inde alteri immineret periculum mortis. Nemo enim, nisi diserte id promiserit, censendus est se obligasse ad tantum onus pro secreti custodia ferendum. In specie, ubi agitur de secreto cognito e muneris exercitio, tam gravis obligatio cederet potius in commune detrimentum : cum saepe homines propterea refugerent a consiliis dandis et ope ferenda. (S. Alph. n. 971) Excipe tamen, si ex revelatione imminet grave damnum commune, ex. gr. favor hosti datus manifestando patrii exercitus situm, etc.

Verum non sufficit ad revelationem secreti commissi damnum quod tertio innocenti imminet absque ulla culpa secretum committentis, ex. gr. quia judices ex errore alium condemnaturi sunt ; neque sufficit obligatio qua premitur is qui secretum commisit ad illud manifestandum, ex. gr. si ipse, in judicio interrogatus, falsum testatus est. Sed advertendum est non omnia secreta commissa servanda esse cum eodem rigore, plura autem in singulis casibus consideranda esse, ex. gr. quantum damnum immineat tibi ex secreti occultatione et quantum alteri ex ejusdem divulgatione, utrum secretum commissum sit tibi in tuam tantum utilitatem an in utilitatem alterius vel utriusque, utrum alter te ex quadam necessitate consuluerit an id omnino libere communicaverit. (Lugo, l. c. n. 116) De manifestatione secreti coram tribunalibus, cfr. Vol. II. n. 17.

Manifestare secretum, etiam commissum, uni vel alteri viro prudenti

qui illud servaturus merito existimetur, non est grave; imo, si fit consilii petendi vel doloris leniendi causa, nullum peccatum est. Cfr. dicta in argumento plane simili n. 420. Attamen grave foret secretum magni momenti revelare ei cui secretum committens specialiter illud celari voluerit. (S. Alph. l. c.)

433. IV. Per se grave peccatum est **litteras alienas** aperire et legere; similiter legere litteras jam resignatas vel similia scripta quae ab alio amissa sunt vel servantur recondita in loco clauso, ex. gr. in scrinio, aut secreto, ex. gr. intra pulpitum. Hoc enim graviter adversatur juri quod cuique competit servandi secreta sua, quae crebro, ob necessitatem humani commercii, litteris mandanda sunt. (Lugo, l. c. n. 148)

Attamen leve id foret si quis merito praesumeret in iis litteris nihil gravis momenti contineri, puta quia novit naturam rerum de quibus inter duos tractari solet, vel ob modum minus cautum quo scribens utitur (carte postale, carte de visite). Per accidens huic levi injuriae potest conjungi gravis laesio caritatis, nempe si timendum est ne alter ex hujusmodi lectione gravem tristitiam concipiat. (S. Alph. l. 2. n. 70)

V. Licite, etiam habitualiter, aperiuntur litterae alienae:

1° Ob consensum expressum vel praesumptum illius ad quem mittuntur litterae vel illius a quo mittuntur: uterque enim (nisi aliunde quid obstet) jure ad cognitionem secreti cedere potest.

2° Ob regulas vel statuta quibus aliquis libere se subjecit. Ita in plerisque Ordinibus religiosis fas est, ex regula, Superiores aperire et legere litteras ad subditos directas vel ab iis scriptas. Excipiuntur tamen litterae ad Superiores mediatos datae, ut ex necessitate boni regiminis liquet, vel quibus contineantur secreta quae scriptor jure nollet Superiori manifesta fieri, ex. gr. conscientiae secreta. (Ball. P. n. 59) Attamen posset Superior, si rationabile dubium de natura commercii epistolarum haberet, inspicere num reapse agant de secretis conscientiae, prout inscribuntur; quod ubi constaret, jam abstinere deberet.

3° Ad avertendum damnum quod ex illis litteris legenti aliive oriatur. Hinc generatim licet Superioribus, puta patri aut magistro, legere litteras subditorum, puta filiorum vel alumnorum qui sub eorum potestate sunt: cavere enim debent ne quid mali inde adveniat iis quorum curam gerunt. (Sanch. Cons. Mor. l. 6. c. 6. d. 3.; D'Annib. II. n. 270) Id tamen non putaverim extendendum ad maritum erga uxorem, utpote potius sociam quam subditam. Plura in hoc argumento pendent a moribus in regione vigentibus: his enim tacite consentiunt quotquot aliqua ratione seipsos sub alius auctoritate constituunt vel subditos suos alii, vices suas acturo, committunt.

In casibus autem particularibus idem licet, ubi apertio vel lectio litterarum vere probabile medium est avertendi grave malum quod timetur. Ideo (nisi leges obstent) publicis ministris id licet ubi id bono communi expedire, *ex gravi causa*, judicaverint; similiter privatis, ad praecavendum injustum damnum sive proprium, sive alienum, ex. gr. hero qui probabiliter existimat famulum cum furibus commercium fovere.

Notandum in omnibus his casibus nullum alium usum scientiae e litteris haustae licere quam qui conducat ad avertenda damna communitatis vel singulorum. Neque Superior, legens ex regula vel statutis epistolas subditorum, alumnorum etc., ampliorem usum hujus scientiae facere potest, nisi forte supponere possit consensum scribentis vel accipientis epistolam : qui sane supponi nequit si quis ea notitia utatur cum gravamine alterutrius, ex. gr. propalando defectus occultos.

Controvertitur inter AA. quid dicendum sit de eo qui litteras in minuta fragmenta laceratas et in locum patentem projectas, junctis partibus, legere conetur. S. Alph. (l. c.) opinatur probabilius eum contra justitiam peccare, quia litterarum dominus, eo ipso quod eas minutim dilaceravit, satis significavit se nolle cedere jure suo. Sed praeplacet sententia quam defendunt Lugo (l. c. n. 150) et Ball. P. (n. 59) : abesse peccatum contra justitiam, quia projiciens videtur cedere jure suo dum eas litteras, quas posset comburere, permittit in loco publico exponi periculo manifestationis. Igitur eas sine justa causa legere, peccatum erit veniale curiositatis ; sed attendendum ex ea lectione oriri quandoque obligationem secreti naturalis servandi.

TRACTATUS VII.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

434. In hoc tractatu, ex Ecclesiae praeceptis ea tantum considerabimus quae ad omnes fideles pertinent, neque in aliis tractatibus, tamquam loco proprio, occurrunt. Solet quidem hodie, in omnibus regionibus catholicis, catechismis inseri cunctisque inculcari formula quaedam quae " Ecclesiae mandata „ nuncupatur. Attamen numerus mandatorum illorum modusque ea proponendi varii sunt, pro cujusque regionis utilitate et praxi : nullam enim formulam suprema Ecclesiae auctoritas sanxit.

Nos hic agemus tantum de tribus Ecclesiae praeceptis : 1° de festorum observatione (quatenus hoc argumentum nondum explicatum est ubi de tertio Decalogi praecepto) ; — 2° de jejunio et abstinentia ; — 3° de pravorum librorum prohibitione.

De annua confessione et communione necnon de variis praeceptis circa matrimonii celebrationem, commodius agetur in tract. de Eucharistia et de Matrimonio.

Praeterea veteres Theol. inter praecepta Ecclesiae communia recensebant *solutionem decimarum*. Patres autem Conc. Baltim. III. in catechismo quem edi jusserunt, tamquam quintum Ecclesiae praeceptum recensent : "Subsidium aliquod conferre ad congruam Pastorum sustentationem. „ His tamen non immorabimur. Nam decimae antiquae, in regionibus fere omnibus, obsoleverunt. Manet quidem ubique lex naturalis, divino jure confirmata, ut fideles necessaria ad victum suppeditent clericis curae animarum addictis (2. 2. q. 87. a. 1) ; sed in multis regionibus, ut in Gallia et Belgio, huic necessitati aliunde provisum esse solet. Ubi vero aliunde provisum non est, ut in Stat. Foed. Amer., nihil determinatur per legem positivam circa rationem et quantitatem subsidii a singulis persolvendi. Ideo universe inculcanda fidelibus obligatio ut pro suis quisque facultatibus clericorum sustentationi contribuant ; gravis autem peccati plerumque nemo arguendus ob omissum subsidium. Id faciendum esset tantum in extraordinariis adjunctis,

nempe si quis, subsidium ob meram avaritiam denegans, causa foret ut sacerdotes indigerent vel ceteri fideles nimis gravarentur. (Kenrick, Th. M. t. I. tr. 4. p. 2. n. 64)

CAPUT I.

DE FESTORUM OBSERVATIONE.

435. Agentes de tertio Decalogi praecepto, jam declaravimus quonam ex jure praeceptum servandi dies Dominicos et festos oriatur (n. 332) et quid iis diebus praestandum vel omittendum sit. (n. 333 seqq.) Hic ergo tantum restat ut explicemus quinam dies, ex hodierna disciplina, tamquam festi colendi sint.

Jamvero, praeter dies Dominicos, qui constanter ubique colendi sunt, pauca omnino sunt festa in omnibus regionibus christianis celebranda. In singulis inspiciendum est quid S. Sedes per Concordata, Indulta, Decreta, etc. statuerit.

In Gallia et Belgio, numerus festorum maxime restrictus est Indulto quod, ex auctoritate Pii VII, edidit Card. Caprara 9 Apr. 1802 ; nam mansere tantum Nativitas et Ascensio D. N. J. C., Assumptio B. M. V., Festum OO. SS. In ceteris ergo festis antea vigentibus, praeceptum abstinendi a servilibus et audiendi Sacri sublatum est. Manet tamen clero obligatio peragendi divina officia in festis suppressis vel quorum solemnitas ad Dominicam sequentem translata est, sicut ea ante suppressionem peragi solebant. Cfr. Craisson, Man. Juris Can. n. 4905 seqq. In Stat. Foed. Amer., praeter quatuor festa modo enumerata, colenda sunt Imm. Conc. B. M. V. et Circumc. D. N. J. C. ut, petentibus PP. Conc. Baltim. III., indulsit Leo PP. XIII. Merito notat Lehmk. (I n. 1222) : multos fideles in his Statibus excusari posse si, iis diebus qui ab heterodoxis non servantur, operibus civilibus vacant, quadam necessitate coacti, praesertim si Sacro rite intersint ; imo etiam, ubi plerique fideles necessitate coacti dies festos observare omittant, contingere posse ut quidam aegre sibi persuadeant manere gravem audiendi Sacri obligationem : prudentis igitur confessarii esse ne, ultra quam expediat, in iis adjunctis, utramque obligationem urgeat.

Postquam ita numerus festorum suprema Sedis Ap. auctoritate in aliqua regione statutus est, certum est jam non esse in episcopi potestate quaedam ex iis supprimere : hoc enim aperte Rom. Pontificis mandatis contrarium foret. Etiam nova festa instituere episcopus non posset quin iret contra mentem S. Sedis, quae, petentibus gubernis vel epi-

scopis, numerum festorum restringere et uniformem rationem in totam regionem introducere intendit. Quare, saltem practice, obsolevit potestas quam Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 12) in episcopis agnovit, praecipiendi ut quidam dies festi, in eorum dioecesi, etiam a Regularibus serventur. Videsis Craisson, op. cit. n. 4900 seq.

CAPUT II.

DE JEJUNIO ET ABSTINENTIA.

436. Jejunium, quandoque latiori, quandoque strictiori sensu sumitur. Latiori sensu, duas partes praecipuas complectitur : imprimis prohibitionem ne plus quam una corporis refectio singulis diebus sumatur, cui prohibitioni, tamquam accessoria, conjungitur lex de certa hora huic unicae refectioni assignanda ; deinde prohibitionem comedendi carnes, cui accedit lex de non permiscendis piscibus cum carnibus, si quis ad eas manducandas dispensatus est. Strictiori sensu, jejunium nonnisi priorem ex his prohibitionibus designat.

Plures antiqui DD. ut Busemb. (ap. S. Alph. l. 4. n. 1004) opinabantur abstinentiam ita esse de jejunii essentia ut cui ob debilitatem permittatur usus carnium, etiam altera refectio sit licita. At, ex quo Bened. XIV (Encycl. *Non ambigimus*, 31 Maii 1741) edixit eos quibuscum dispensatum sit ad comedendas carnes, teneri ad unicam comestionem servandam, certum est has duas partes separari posse (S. Alph. n. 1013) : quod ex hodierna praxi omnibus patet.

Jejunium, ex lege communi et seclusa dispensatione, *quoad utramque partem suam* servandum est tempore Quadragesimae (exceptis Dominicis), in Quatuor Temporibus, in vigiliis Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. J. C. In Gallia et Belgio, cum solemnitas SS. Apostolorum ad sequentem Dominicam transferatur, jejunium in Sabbato servandum est ; at, si dies 29 Junii in Sabbatum inciderit, jejunandum est feria sexta. (S. Inqu. 22 Nov. 1879)

Abstinentia sola ex communi lege servanda est in Dominicis Quadragesimae et quaque feria sexta (nisi inciderit in festum Nativitatis Domini). Abstinentia Sabbati in multis locis observatur, quamquam lex universalis de ea exstare non videtur. Juxta Bened. XIV (de Syn. dioec. l. 11. c. 5. n. 5), carnes comedere die Sabbati licet ubicumque earum usus a recepta consuetudine non est interdictus. Nihilominus, ubi de peregrinis agitur, solent AA. legem abstinentiae Sabbatinae habere ut communem

ideoque censent ea obligari eos qui e loco ubi non viget, ex. gr. ex Hispania, ad locum ubi viget divertunt. (Gury, I. n. 95.; Lehmk. I. n. 1207) Reapse enim consuetudo, quae est optima legum interpres, spectat abstinentiam Sabbatinam tamquam per se ubique vigentem, saltem in Europa, et paucas regiones in quibus non viget tamquam privilegio donatas. Hodie in Belgio, Stat. Foed. Amer. aliisque regionibus quotannis in hac abstinentia dispensatur. Verum S. Inqu. 10 Jan. 1855 declaravit peregrinantes extra Belgium non posse die Sabbati comedere carnes in locis in quibus viget ista lex.

Praeterea, in pluribus regionibus, quidam dies jejunii vel abstinentiae e peculiari consuetudine vel lege servandi sunt : de quibus unusquisque suae regionis mores consulat.

E maxima varietate qua Ecclesia leges jejunii, labentibus saeculis, proposuit, manifeste constat eas esse *juris tantum positivi*. Id communis sententia Theol. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 2. n. 30 seqq.) admittit de ipso jejunio quadragesimali, quod jugiter tamquam sanctissimum et strictissimum inter omnia jejunia habitum est. Hoc ipsum institutum est ab Apostolis, non promulgantibus divinam legem, sed propria auctoritate utentibus, ad imitationem illius portentosi jejunii quod Christus per quadraginta dies in deserto peregit. Divinum autem jus nihil aliud statuit quam ut carnis mortificationem exerceamus, quatenus ea necessaria est ad tentationes vincendas vel divinam iram placandam : modum vero et tempus illius exercendae Christus Ecclesiae determinanda reliquit.

§ 1. DE JEJUNIO.

437. I. Lex jejunii, prout a lege abstinentiae praescindit, prohibet ne plus quam una refectio plena et sufficiens singulis diebus sumatur.

Attamen, ex usu jam satis antiquo, praeter hanc plenam refectionem, licet vespere collationem aliquam seu coenulam sumere : de cujus qualitate et quantitate dicetur infra (II).

Insuper mane licet aliquid cibi seu, ut aiunt, *frustulum* sumere, modo id quod sumitur non excedat notabiliter duas uncias cibi, puta sesqui-unciam chocolati vel lactis cum dimidia uncia panis, cafaeum parva lactis quantitate temperatum (1) cum duabus fere unciis (2) panis vel similia. (D'Annib. III. n. 134; Lehmk. I. n. 1211) Ipsa S. Poenit.

(1) Id tamen valet tantum de iis regionibus in quibus viget consuetudo hac extra unicam refectionem adhibendi, ut explicatur Ass. II.

(2) Uncia aequivalet 31 gr. 25 cgr. Profecto antiqui Theologi non semper eumdem valorem unciae tribuerunt : sed in his quid prodest rigor mathematicus ?

21 Nov. 1845 respondit non esse inquietandos qui mane diebus jejunii in parva quantitate sumant chocolatum cum frustulo panis. Unde ille usus ubique teneri vel introduci potest, etiam ab iis qui, absque hoc subsidio, jejunare possent.

II. De coenula duo quaeri solent : quaenam scil. **quantitas** et **qualitas** ciborum in ea permittantur. Jamvero :

1° Hodie, post S. Alph. (n. 1025), communiter receptum est sumi posse in coenula octo uncias cibi solidi, ut panis, piscium, fructuum siccorum, etc. Haec igitur quantitas " ita hodie usu recepta est ut indistincte permittatur, etiam illis qui cum illa ad satietatem reficiuntur. „ (S. Alph. l. c.) Quidam AA. praesertim Germani, statuunt aliam regulam, nempe licere quartam partem justi prandii ; ubi tamen formulam hanc satis vagam pressius explicant, et ipsi ad regulam S. Alphonsi accedunt. (Ball. P. n. 47) Insuper justa de causa haec quantitas paululum augeri potest. Ita S. Alph. (l. c.) a culpa excusat eum qui decem uncias sumeret eo quod majori nutrimento indigeret. In regionibus etiam septentrionalibus, ut Germania et Belgio, simile quid excusari potest ob coeli frigus, defectum vini et consuetudinem plus manducandi.

Si cui moraliter necessarium esset paululum excedere hanc quantitatem decem unciarum, praesertim tempore Quadragesimae, ad jejunium continuandum, is non esset inquietandus : nam levis ille excessus jejunium substantialiter non frangit, neque videtur mens Ecclesiae esse, praesertim nostris temporibus, ut nimium coarcteutur fideles qui, pauci inter multos, jejunium servant. Attamen, si notabiliter illam quantitatem excedere deberent, justam quidem causam excusationis vel dispensationis haberent ; jejunium vero non servarent, dum collationem in veram coenam mutarent. In collatione Vigiliae Nativitatis Domini duplicari posse quantitatem generatim licitam, ob consuetudinem receptam, probabiliter tenent multi AA. Cfr. S. Alph. l. c.

Ubi sumitur panis coctus cum aqua, aceto, etc., per modum pultis seu offae, plerique AA. cum S. Alph. (n. 1029) tenent non posse sumi in hac decoctione octo uncias solidi cibi, puta panis, leguminum, etc. Nihilominus censemus hodie in praxim deduci posse sententiam contrariam quam, post plures antiquos DD., tuetur Berardi. (Prax. Conf. n. 2990) Debilis enim est ratio cui praecipue innititur sententia S. Alphonsi : panem, per decoctionem et fermentationem cum aqua, aliam naturam acquirere, et ita fieri quid unum panem et aquam ut evadat una substantia major et ab invicem separari nequeant. Nam " haec immutatio chemica consideranda est quasi initium digestionis, quia non differt ab ea immutatione quae initio digestionis efficitur. Inde vero materia alibilis nullo prorsus modo augescit. Quantitas quidem hujus panis jurulenti

majorem satietatem creare potest quam eadem panis sicci portio, quamvis etiam hoc discrimen non adeo magnum sit. „ (Capellmann, Med. past. p. 95) Neque aequum videtur permittere ditiori ut octo uncias panis in vino intingat dum eas comedit (quod S. Alph. licitum putat), pauperem autem prohibere ne eamdem quantitatem aqua coquat. Imo, si recurritur ad communem existimationem et legis finem, quibus rationibus Lehmkuhl (n. 1211) opinionem S. Alphonsi fulcire nititur, pauper iste, saltem in regionibus nostris, melius quam dives vino utens censebitur jejunare et mortificationem exercere.

2° Hodie in multis regionibus, speciatim in Belgio, videtur invaluisse usus ut quivis cibi quadragesimales in collatiuncula sumi queant. Hanc regulam etiam universaliter proponit Ball. P. n. 54. Ubi tamen viget norma severior et antiquae consuetudini conformior, ut plures cibi, ex.gr. grandiores pisces, excludantur, haec servanda est : nam magna vis in determinatione hujus praecepti consuetudinibus, etiam particularibus, tribuenda est.

Ad cibos vero solo Indulto permissos quod spectat, hi generatim in collatione adhiberi nequeunt, ut clare constat ex Bulla Clementis XIII *Appetente* (20 Dec. 1759), qua edicit dispensatos a carnium abstinentia " tantummodo ad unicam comestionem posse carnem vel quae ex carne trahunt originem, adhibere. „ (S. Alph. n. 1027) Nihilominus attendendum ad consuetudines contrarias. Sic in Belgio jejunantes solent adhibere lac et caseum, in Germania et quibusdam partibus Americae, etiam ova. (Lehmk. n. 1212)

438. III. Hora unicae refectioni, ex universali consuetudine hodierna, assignata est meridies; omnibus tamen licet una hora anticipare, quae multorum religiosorum consuetudo est. Haec autem horae determinatio, juxta communiorem et certe probabilem sententiam (Lessius, l. c. n. 11; Bus. ap. S. Alph. n. 1016), non est, nostris temporibus, essentialis jejunio ideoque nulla anticipatio grave peccatum constituit. Ratio est quia, dummodo unica in die refectio fiat, finis jejunii non frustratur : nam incommodum dilatum postea experieris. (Ball. P. n. 34) Hanc sententiam S. Alph. (l. c.) tamquam communiorem et probabiliorem secutus est ; postea vero (Quaest. retr. XIII ; H. A. tr. 12. n. 21) eam censuit neque probabilem esse. Rationem autem affert quae praesertim nititur principio possessionis, scil. quia antiquitus haec hora sane ad jejunii essentiam spectabat; nunc autem non probatur cum certitudine consuetudinem huic gravi praecepto derogasse, ac proinde istud manet in possessione. Profecto haec ratio minime stringens est, ut liquet ex dictis n. 76.

Notabilis anticipatio sine causa facta est peccatum leve, sed excusat

quaelibet causa rationabilis, ut iter inchoandum, urgens negotium, debilitas complexionis, negotium quod mentis intensionem brevi post meridiem poscit, etc.

Ubi causa rationabilis, puta negotiorum gestio vel recepta consuetudo, id postulat, nihil obstat quominus coenula sumatur intra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero hora quarta vel quinta pomeridiana. (S. Poenit. 10 Jan. 1834) Imo, ob similem causam, posset mane sumi collatiuncula, meridie prandium, vespere frustulum. (D'Annib. III. n. 134, nota 34) Attamen si quis (quod raro continget) sciret se tantum hoc inverso ordine, non autem ordine solito, jejunare posse, non putamus eum in rigore ad jejunandum teneri : nam, licet iste modus hodie toleretur, manet tamen extraordinarius et quasi privilegium, quo nemo uti tenetur. Idem sentire videntur plures AA. citati a Busemb. (ap. S. Alph. n. 1031), qui ponunt quasi generale principium : " nemo tenetur pervertere ordinem refectionum. „

439. IV. Unicae refectionis legi non obstat quod prandium protrahatur etiam per duas horas vel, ubi consuetudo viget, per tres vel quatuor, si post duas circiter horas, apponantur sola bellaria vel cibi leviores et vespere omittatur refectiuncula. Priorem hujus asserti partem S. Alph. (n. 1020) censet probabilem ; posteriorem nec approbat, nec reprobat.

Neque eidem legi obstat quod prandium interrumpatur ob negotium incidens, vel etiam sine causa, dummodo interruptio non sit notabilis seu non excedat multum semi-horam ; quodsi ob negotium interruptio facta est, semper, etiam post plures horas, ad mensam redire licet, quia " Ecclesia numquam intendit obligare ad diem transigendum sine sufficienti refectione. „ (S. Alph. l. c.) Manet quoque moraliter una refectio si quis, ob justam causam, aliquid praegustat, uti apud religiosos faciunt ministri et lectores mensae, vel si quis, postquam a mensa surrexit animo non amplius comedendi, brevi post redit, ex. gr. quia apponitur aliud ferculum quod apponendum ignorabat.

V. Extra refectionem et duplicem refectiunculam diebus jejunii permissas (I), non licet sumere ea quae **cibi** rationem habent : cibus autem censetur quidquid principaliter inservit nutritioni, sive solidum sit, sive liquidum. Ideo prohibentur fructus, lac, mel, oleum, saccharum (nisi, in parva quantitate, liquido immisceatur).

At lege jejunii hodie non prohibetur **potus**, seu quidquid sumi solet principaliter ad juvandam nutritionem et digestionem, ut vinum, cerevisia, cafaeum, thea, liquor confectus ex aqua mixta saccharo et succo cinnamoni vel mali citrei (limonade, sorbet), etiam si liquor iste conge-

latus est. (S. Alph. n. 1022) In hoc tantum sensu verum est adagium : *Liquidum non frangit jejunium.* Neque obstat quod talia sumantur ad famem depellendam : nam finis legis non cadit sub lege ; vel quod e mera gula adhibeantur : alia enim est lex jejunii, alia temperantiae.

Neque jejunii legem infringit qui electuaria (pastilles, pâte de jujube etc.) sumit in parva quantitate, ut fieri solet, ad digestionem juvandam, tollendum oris foetorem, conservandam vocem et similia. Peccaret tamen qui talia in magna quantitate per modum cibi sumeret in fraudem legis. (2. 2. q. 147. a. 6. ad 3. ; S. Alph. n. 1019)

Tandem licet, saltem semel vel bis in die, aliquid cibi sumere ante potum, ne potus noceat ; id tamen non licet *toties quoties* ne jejunium prorsus inane fiat. (S. Alph. n. 1018 ; H. A. tr. 12. n. 11)

440. VI. Laesio jejunii certe est **ex genere suo gravis.** At non ita liquet quid requiratur ut laesio illa sit manifeste gravis. Plerumque in praxi id clarum erit, puta si quis more solito jentat coenatque ; de casibus vero dubiis, haec, inter multas et obscuras AA. opiniones, animadvertisse juvabit :

1° Multae refectiunculae, eadem die sumptae praeter eas quae licent, in unum coalescunt, utpote ad eamdem nutritionem tendentes. Quare ab Alex. VII damnata est prop. 29ª : " In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. „

2° Ubi aliquid illicitum sumitur, non videtur referre utrum coenulae vel frustulo addatur an extra illas refectiunculas sumatur.

3° Duas uncias esse materiam levem communiter tenent AA. (S. Alph. n. 1025) ; probabile quoque videtur eam non futuram gravem nisi (quatuor uncias attingat. (Gury, I. n. 494) (1) Reapse illam quantitatem notabilem mathematice definire, impossibile est, deficiente norma cui innitamur. Ex opinione autem quam supra ut probabilem admisimus, satis patet plerumque leviter peccare qui in collatiunculis modum paululum excedunt vel extra illas, sine ulla causa excusante, quaedam leviora manducant, ut fructus, bellaria et similia.

441. VII. Qui **duplicem refectionem** in die jejunii, sive culpabiliter, sive inadvertenter, sumpsit, probabilius jam non peccat contra jejunii

(1) Adhuc benignius sentire videtur Billuart (Tract. de abstin. Dissert. de jej. a. 5. § 2), dum ad peccatum grave requirit quantitatem aequivalentem levi jentaculo vel collationi vel tertiae parti refectionis. Sed valde dubium est quid praecise intenderit, siquidem non determinat quantitatem quae in coenula sumi possit, sed eam determinandam relinquit consuetudini loci et necessitati jejunantis (l. c. § 4)

legem si iterum manducat. Nam praecepti hujus essentia in unica refectione diurna consistit; hac igitur essentia destructa, jam lex servari nequit. Neque videtur admittendum has ulteriores refectiones esse peccata levia contra hoc praeceptum, ut censet S. Alph. (n. 1030), eo quod sunt contra finem legis, i. e. mortificationem carnis. Nam finis legis sub legem non cadit. (Ball. P. n. 4)

Qui inadvertenter jentaverit, si jentaculum notabiliter frustulum licitum superat et fere coenulae aequivalet, tenebitur, quatenus id sine gravi incommodo facere poterit, vespere minuere collatiunculam ita ut non multum excedat frustulum, vel alia ratione, pro adjunctis, rem componere ut essentiam jejunii, quae mansit intacta, servet. (Lessius, l. c. n. 19; Gury. I. n. 496) Attamen, ut opinantur Navarrus, Paludanus etc. quorum sententiam probabilem censet Lessius (l. c.), posset etiam servare jejunium eo modo quo alii solent, perinde ac si nihil sumpsisset ac proinde prandio ac coenula uti. Rationem afferunt: priorem illam comestionem, cum fuerit prorsus involuntaria, respectu violationis jejunii non computari. Addi potest: eum, juxta regulam supra (n. 438) datam, non teneri ad invertendum ordinem refectionum.

§ 2. DE ABSTINENTIA.

442. I. Lege abstinentiae, sub peccato ex genere suo gravi, prohibetur **esus carnium** et eorum quae a carnibus originem ducunt, puta offae carne conditae, jusculi, medullae. Juxta S. Alph. (n. 1010), prohibentur quoque, seclusa consuetudine contraria, laridum et sagimen seu adeps animalium igne liquefactus: saepe tamen vel solum sagimen, ut in Belgio, vel etiam laridum, ut in quibusdam partibus Italiae (Ber. Prax. Conf. n. 2953), annuis Indultis permitti solet. Hodie, ex resp. S. Inqu. 1 Maii 1889 (N. R. T. t. 27. p. 257), constat condimenta ex adipe his Indultis concessa non restringi ad adipem suinum, ut multi opinati sunt, sed comprehendere adipem cujuslibet animalis. In eadem concessione comprehendi facultatem utendi butyro per modum condimenti, indulsit Leo XIII 15 Maii 1896. (Act. S. S. t. 29. p. 247)

Non videntur inquietandi qui, loco butyri e lacte confecti, manducant butyrum e pinguedine artificiose confectum (margarine): hoc enim ab illo aegre discerni potest; deinde utrumque fere aeque a carne proprie dicta distat. (Aertnys, t. I. De Praec. Eccl. n. 7) Idem censemus de manducantibus substantiam quae gallice " peptone „ audit. Nam, quamvis ista vim carnis nutritivam praebeat, tamen caret ea delectatione ob quam homines carnes appetere solent et potius inter medicinas quam inter cibos locum vindicat: quare non est collocanda inter eas carnes quas

prohibet lex ecclesiastica, quae potius externam speciem et gustum quam originem attendit.

Cum autem animalia, relate ad legem abstinentiae, dividantur in **carnem** et **piscem**, breviter hic dicendum quaenam ad priorem classem pertineant, ut extensio prohibitionis cognoscatur. Nempe :

1° Summa regula est ut attendatur communis aestimatio fidelium in singulis regionibus : nam in materia abstinentiae, deficientibus legibus scriptis, summum imperium habet consuetudo, nisi forte merus abusus sit contrarius legi abstinentiae prout ubique observatur. (S. Alph. n. 1011)

2° Si in aliqua regione deesset consuetudo ex. gr. quoad animalia rariora, sequenda esset regula quam suppeditat S. Th. (2. 2. q. 147. a. 8) : carnem censeri animalia in terra quiescentia et respirantia, seu quae diu extra aquam vivere soleant. (S. Alph. l. c.) Amphibia accenseri solent iis animalibus quibuscum majorem similitudinem habent. Si igitur eorum caro magnam similitudinem habet cum carne illorum animalium quae certe et ubique prohibentur, et ipsa censenda sunt prohibita. (Bened. XIV, de Syn. dioec. l. 11. c. 5. n. 12)

3° Si dubium probabile manet vel de consuetudine vel de natura carnium alicujus animalis, licebit eas comedere, donec decretum S. Sedis vel accuratius examen certam prohibitionem fecerit.

Ob rationes intrinsecas vel receptas consuetudines, piscibus accenseri solent ranae, limaces (escargots), testudines (tortues), ostrea (huitres), cammari (homards), lutrae (loutres), castores : juxta quosdam " viperae, quae similes sunt anguillis. „ (S. Alph. l. c.) Aves vero generatim carni accensentur, licet aliquae in aquis nutriantur, ex. gr. mergi (plongeons), anates (canards), querquedulae, (sarcelles). Fulicas (foulques) quidam certe prohiberi putant (ex. gr. Berardi, n. 2951) eo quod Ordini Minimorum, perpetuam abstinentiam professo, tantum *ex gratia* concessum est (22 Febr. 1804) iis vesci. Alii (ex. gr. Ball. P. n. 13) rectius censent tali dispensatione, quae ob multas causas dari potuit, non dirimi quaestionem theoreticam. Ideo has ceterasque aves aquaticas adhuc comedere licet, ubi viget consuetudo.

443. II. Praeceptum abstinentiae complectitur prohibitionem manducandi **ova** et **lacticinia** (caseum, butyrum) omnibus diebus Quadragesimae, etiam Dominicis, seclusa dispensatione, quae hodie in nostris regionibus quotannis dari solet. Haec tamen prohibitio non spectat ad ceteros dies jejunii vel abstinentiae per annum, nisi consuetudo specialis eam extensionem induxerit. (2. 2. q. 147. a. 8. ad 3)

Hinc, tempore Quadragesimae, per se non licet manducare panes ovis confectos ; consuetudo tamen id saepe licitum facit.

III. Si praeceptum abstinentiae laeditur manducando carnem proprie dictam, probabile est non committi **peccatum grave** nisi manducentur duae unciae. (Stoz, Tribun. Poenit. l. 1. p. 3. n. 528 ; Lehmk. I. n. 1207 ; Ball. P. n. 108) Plerique opinantur quantitatem multo minorem ad peccatum mortale sufficere. Ita S. Alph. (n. 1029), nulla tamen ratione allegata, rejicit sententiam quae mediam unciam carnis habet ut materiam levem, asserit vero gravem fore ex quo superat octavam unciae partem. Sed tantus rigor non videtur requiri natura hujus praecepti, cujus observatio non infringitur notabiliter tam exiguae quantitatis comestione.

Major quantitas ad peccatum grave requiritur, si manducantur ea quae a carne proveniunt vel lacticinia : haec enim minus principaliter prohibentur. Probabiliter duplicari potest quantitas quae in comestione carnis proprie dictae censetur gravis : igitur, in sententia nostra, quatuor unciae requiruntur. Sic graviter peccaret qui duo ova gallinacea manducaret, quando haec prohibentur : duo enim ova quatuor fere unciis aequivalent. Qui vero ordinariam portionem leguminum sagimine conditorum vel offae carnibus confectae manducaret, a gravi peccato immunis esset. (Gousset, Th. Mor. I. n. 301)

444. IV. Multiplicantur peccata contra legem abstinentiae quotiescumque, vicibus moraliter distinctis, cibi prohibiti manducantur. Videlicet hic nequaquam obtinet ratio pro lege jejunii allegata (n. 441) : nam objectum praecepti manet semper possibile.

V. Toto tempore Quadragesimali, etiam diebus Dominicis, ceterisque diebus jejunii per annum, quicumque, *vi dispensationis*, carnibus vescuntur, prohibentur in eadem comestione **pisces cum carnibus manducare**. Hanc prohibitionem edidit pluribusque documentis declaravit Bened. XIV, praesertim Litt. Ap. " *In suprema* „ d. d. 22 Aug. 1741. (Coll. P. F. n. 2051) Hanc legem suam ex genere suo sub gravi obligare declaravit idem Pontifex litt. 8 Jul. 1744 ad Archiep. Compostell. (Coll. P. F. n. 2053)

Nomine piscium veniunt hic ea omnia animalia quae diebus abstinentiae licite comeduntur, etiam testacea marina, ut ostreae et cancri. (S. Poenit. 16 Jan. 1834) Non tamen censemus hanc legem infringere eos qui cum carnibus miscent aves illas aquaticas quas diebus abstinentiae forsan tamquam cibos esuriales manducant. Haec enim mere probabilis et consuetudine potius quam rei natura nitens facultas neminem adstringit ut hujusmodi aves jugiter piscibus accenseat. Carnium autem nomine generatim ea veniunt quae supra (n. 442) declarata sunt, non tamen videntur hic comprehendi quae tantum e carne originem ducunt.

Etenim 8 Febr. 1828 S. Poenit. respondit dispensatos a lege abstinentiae a carnibus posse, diebus quibus urget jejunii obligatio, valetudinis causa, vesci jure tantum carnibus condito, et de cetero cibos esuriales edere, sicut ceteri qui pisces edere queunt.

Cum haec prohibitio fiat *per modum conditionis* adjectae dispensationi quae datur ad carnes comedendas, non complectitur eos qui per se, puta ratione gravis morbi, sine dispensatione, a lege abstinentiae immunes sunt. (Ball. P. n. 26) Ex declaratione autem S. Poenit. d. d. 15 Febr. 1834 (Coll. P. F. n. 2068), non attingit eos qui, vi dispensationis, carnes edunt diebus Veneris et Sabbati in quibus non est jejunandum. At eidem subjacent diebus jejunii ii qui, ratione aetatis, laboris aliusve causae rationabilis, a lege unicae comestionis immunes sunt : nam et hi, ratione dispensationis, carnem manducant, et in hunc sensum respondit S. Inqu. 23 Jun. 1875. (Coll. P. F. n. 2076)

§ 3. DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

445. I. Impotentia morali, seu magno incommodo extrinsecus adveniente, excusantur :

1° Qui nondum complevere annum 21^{um}, etiamsi robustissimi sint : nam consuetudo eos, per modum regulae generalis, eximit. Probabile autem est eos qui, decurrente aliqua die jejunii, hanc aetatem complent, non teneri ad jejunandum ista die : nam praeceptum respicit totam diem, et, in parte antecedente horam qua 21 annos complent, licet iis manducare quoties volunt. Contrarium S. Alph. (n. 1035) probabilius opinatur.

2° Qui jam inchoavere annum 60^{um}, etiamsi viribus robusti permanserint : nam hi solent egere cibo frequentiori. (S. Alph. n. 1036) Quidam etiam, duce Sanchez (Cons. Mor. l. 5. c. 1. dub. 4. n. 6), idem tenent de mulieribus 50^{um} annum inchoantibus. Hanc opinionem S. Alph. (n. 1037) neque improbare, neque probabilem dicere audet ; eidem favent Ball. P. (n. 84), Sabetti (n. 337), Buccer. (t. I. de 5° et 6° Praec. Eccl. n. 49). Quare saltem extrinseca probabilitas huic sententiae tribuenda est. Reapse tamen parum solidum est fundamentum cui praecipue innituntur ejusdem fautores : mulieres citius quam viros senescere, ita ut quinquagenariae jam generare nequeant. Nam, quando circa hanc aetatem menstruus fluxus desinit, saepe mulieres quasi novas vires assumere videntur. Cfr. Eschbach, Disp. physiol. theol. p. 51 seqq.

3° Debiles, infirmi, convalescentes. His accensendi sunt ii qui ex vacuitate stomachi *notabilem* capitis dolorem vel vertiginem patiuntur, vel per magnam noctis partem dormire nequeunt (S. Alph. n. 1034) ;

item qui non possunt una vice alimentum sufficiens sumere. Imo satis est ut quis sibi persuadeat, ex experientia vel ex probabili ratione, jejunium graviter nociturum esse. (S. Alph. n. 1033) Evidenter multo facilius tale detrimentum timeri poterit ubi de jejunio quadragesimali quam ubi de jejuniis per annum occurrentibus agitur.

4° Mulieres lactantes et praegnantes, etiamsi ob vires robustas jejunio ferendo pares videantur : numquam enim certae esse possunt periculum ex jejunio abfuturum esse tum sibi, tum foetui vel proli lactandae. (Ball. P. n. 74) Idem medici (Capellm. p. 93) extendendum putant ad tempus menstruationis.

5° Pauperes qui non habent plenam et sufficientem refectionem, puta si nihil haberent nisi panem et legumina : nam hi nequeunt se talibus cibis sustentare, nisi eos pluries singulis diebus sumant. (S. Alph. l. c.)

446. II. Ratione laboris excusantur qui exercent artem valde molestam, etiamsi forte adeo robusti essent ut absque gravi incommodo jejunare possent : nam consuetudo excusat omnes qui tali arti vacant. S. Alph. (n. 1043) censet probabilius speculative non excusari tam robustos, sed in praxi vix unum reperiri qui ex hujusmodi labore non graviter relaxetur : quod practice in idem recidit. Ratio generalis est : non esse Ecclesiae mentem quod homines a suis consuetis occupationibus cessent propter jejunium, cum ita impedirentur res magis necessariae et communi bono utiliores. Quare neque artifices divites, qui solent exercere artes laboriosas, peccant si, die jejunii, laborem assumunt. (S. Alph. n. 1042) Neque tenetur jejunare qui uno alterove die a labore solito quiescunt ad vires reficiendas.

Hinc excusantur fossores, agricolae, lapidicinae, figuli, aurigae, fabri lignarii, ferrarii et murarii, coqui plures dapes et multis personis praeparantes, typographi proelum versantes, non vero typos componentes, famuli qui vehementer toto die majoribus laboribus incumbunt, non vero ancillae levia servitia domus exhibentes, etc. (S. Alph. n. 1041)

Insuper qui occupationem habent minus laboriosam ideoque per se non excusantem, saepe excusantur eo quod ob personae debilitatem vel aliam peculiarem circumstantiam, nequeunt, sine magno incommodo, jejunare simulque artem exercere. Tales sunt barbitonsores, sartores, pictores, scribae, etc. (S. Alph. l. c.) Notandum hodie, propter debilitatem multorum, saltem oppidanorum, valetudinem acrioremque laborem, latius applicari posse rationes excusantes quas veteres DD. admittebant.

Similiter quoad eos qui *ex officio* iter instituere debent, sive pedibus, sive equo, sive via ferrea, nequit regula generalis statui ; sed concrete inspicienda sunt adjuncta personae et itineris, ut pateat num inde oriatur incommodum par illi propter quod communis sententia DD. a jejunio excusat.

Probabile est non peccare eum qui assumit laborem inusitatum et cum jejunii observantia incompossibilem, dummodo aliquam veram seriamque utilitatem prosequatur, ex. gr. ad faciendum lucrum extraordinarium, ne, labore in alium diem translato, tempus amittatur, etc. Peccaret vero si nullam aliam rationem haberet quam delectationem ex. gr. itinerandi vel venandi : nam vult aliquid quocum novit observationem legis fore impossibilem ideoque reapse non vult legem servare ; neque omissio alicujus delectationis censetur sufficiens incommodum ut quis a lege jejunii excusetur. Attamen probabiliter opinantur Sanchez (Cons. Mor. l. 5. c. 1. dub. 7. n. 18), Ball. P. (n. 93), Berardi (Prax. Conf. n. 3025) id interdum licere etiam ob solam delectationem, dummodo raro fiat. " Ipsa enim aequitas naturalis dictare videtur quod non fuit intentio legislatoris prohibere haec exercitia honesta et licita propter jejunium, et eadem dictat non fuisse intentionem excusare, si frequenter fiant. „ (Sanch. l. c)

447. III. Ratione majoris boni excusantur qui opera caritatis corporalis vel spiritualis exercent quae cum jejunio componi nequeant, vel absolute, vel saltem sine gravi incommodo. Nec refert utrum haec obeantur ex officio an sponte, utrum pacta mercede an gratis. Ratio est quod jejunium majora bona impedire non debet (2. 2. q. 147. a. 4. ad 3) : haec autem caritatis opera jejunio praestant. Ideo :

1° Excusantur concionatores qui quotidie in Quadragesima concionem habent. Quodsi ter vel quater tantum in hebdomada concionantur, excusantur vel obligantur, prout adest vel abest notabile incommodum in jejunio servando : quod dijudicandum erit e natura concionis vel praeparationis, e valetudine concionaturi, etc. (S. Alph. n. 1049: Ball. P. n. 100)

2° Excusantur lectores scientiarum qui magno studio et labore indigent, non vero qui dictant lectiones jam prius ordinatas et saepius repetitas (S. Alph. l. c.) ; magistri scholarum inferiorum qui quotidie per plures horas cum magna defatigatione docent. (Lehmk. I. n. 1218; Ball. P. n. 101)

3° Qui studiis arduis et quotidie per multas horas protractis vacant, ut studentes in Universitate, advocati, judices similibusque artibus liberalibus addicti, licet per se non excusentur, facile rationem excusantem habebunt eo quod, ob valetudinem minus firmam, impossibilitatem refectionis hora solita sumendae, etc. labores illos sine magno incommodo vel aegritudinis periculo ferre nequeant.

4° Confessarii non excusantur, nisi poenitentibus satisfacere simulque jejunare nequeant sine gravi incommodo : quod continget tantum si confessiones audiant fere per totam diem, puta per septem vel octo horas. (S. Alph. l. c.)

448. IV. Ubi dubitatur num causa per se sufficiens sit ad excusandum a jejunio, vel ubi per se solam minime sufficit, recurri potest ad eum qui habet facultatem dispensandi et qui tunc supplere poterit quidquid illi causae desit. (n. 121) Jamvero in lege jejunii dispensare possunt :

1° Romanus Pontifex *pro universa Ecclesia*. Ejus dispensatio semper est valida et, si justa subest causa, etiam licita.

2° Episcopi, ob justam causam, *cum subditis singulis*. Insuper, ex perpetua concessione ipsis facta a Leone XIII per decretum S. Inqu. 5 Dec. 1894 (Act. S. S. t. 27. p. 512), habent " facultatem anticipandi die sibi benevisa atque, ob gravissimas causas, etiam dispensandi super lege jejunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum jejunio consecratis ; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur. „ Ex declarationibus autem ab eadem S. Inqu. 18 Mart. 1896 datis (Act. S. S. t. 28. p. 572) constat hanc facultatem extendi etiam ad solemnitates in quibus utrumque praeceptum non sit servandum, ex. gr. in centenariis, peregrinationibus, etc. sufficere magnum concursum civitatis aut loci ; — periculum *generale* quod abstinentia anticipanda non observetur sufficere ad dispensandum ; — tandem posse episcopum ex rationabili causa committere parochis ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia.

3° Superior Regularis cum subditis suis singillatim sumptis, non autem cum integra communitate.

4° Parochus cum singulis parochianis.

Verum, ubi causa excusationis solide probabilis est, non est necessario ad Superiorem recurrendum ; laudandi certe qui etiam tunc recurrunt.

§ 4. DE CAUSIS AB ABSTINENTIA EXCUSANTIBUS.

449. I. Ratione *aetatis* ab hac lege nullus christianus excusatur, nisi qui legibus ecclesiasticis in genere subditus non sit, utpote septennio minor vel perpetuo amens. Reliqui vero ab eadem excusantur, ubi eam *sine morali impotentia* seu *magno incommodo* observare nequeunt. Speciatim afferuntur sequentia exempla, a quibus norma ad similes casus solvendos desumi potest :

1° Infirmi qui, ob manifestam necessitatem vel medici consilium, carnibus indigent. His accedunt mulieres praegnantes vel lactantes, ita

saltem ut, propter vividam carnis appetentiam, facilius cum ipsis dispensetur. (Lehmk. I. n. 1028) Idem censemus de iis qui, propter stomachi debilitatem, cibos esuriales absque gravi incommodo sumere nequeant. (Berardi, Prax. Conf. n. 2963)

2° Pauperes mendicantes, si quando carnem in eleemosynam recipiunt. (Gury, I. n. 487) Quod merito extendi potest ad eos qui in tanta miseria vivunt ut, nisi pudore prohiberentur, mendicaturi essent. Neque necesse est ut alio cibo hac die careant. Nam praesumi potest Ecclesiam, tam benignam in pauperes, non esse invitam quominus isti hoc insolito commodo sibi obtingente fruantur. (Ber. Prax. Conf. n. 2965)

3° Pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam vel lactucas condiendas. (Gury, l. c.)

4° Operarii quibusdam laboribus adeo arduis addicti ut aliis cibis satis ali nequeant vel eorum etiam nauseam experiantur. Tales sunt qui labores molestiores exercent in fodinis metallicis vel carbonariis aut in officinis vitreis vel ferreis. (Gury, l. c.)

5° Iter agentes qui cibos licitos ad congruam refectionem reperire nequeant. Sin autem illos, absque magna difficultate, habere possunt (ut plerumque, in regionibus saltem catholicis, contingit), a lege abstinentiae ratione solius itineris non excusantur.

6° Personae omnes, ut uxor, filii, famuli, quae sunt in potestate patrisfamilias, quando iste vult ut, diebus abstinentiae, solae carnes apponantur : nam versantur in morali impotentia servandi praeceptum. Ex responsis S. Poenit. liquet indultum vescendi carnibus, concessum vel patrifamilias vel alii familiae membro, non esse per se rationem sufficientem ut familiae universae carnes apponantur. Nam 29 Dec. 1862 interrogata S. Poenit. : " An ratio propter quam filiifamilias uti possunt cibis vetitis, a patrefamilias exhibitis, sit eorum impotentia physica sive moralis observandi praeceptum, seu potius indultum quo gaudet paterfamilias, „ respondit : " Ratio permissionis de qua in quaesito proposito sermo, non est indultum patrisfamilias, sed impotentia in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum. „ (Coll. P. F. n. 2067) Famuli et ancillae, in hoc casu, *speculative* quidem tenentur alium famulatum inire, si absque magno incommodo id possint. Sed saepe haec obligatio, praesertim pro ancillis, urgenda non est, si reliqua religionis officia rite obire sinuntur et periculum castitatis abest : nam valde timendum est ne alibi deteriora inveniant. (Ber. Prax. Conf. n. 2967)

Numquam tamen liceret manducare carnes si eae apponerentur in contemptum religionis, et in iis adjunctis in quibus talis comestio in religionis contemptum cederet. Sed plerumque hoc posterius vitari poterit, si manducans declarat se omnino abhorrere a prava intentione apponentis et manducare tantum ob necessitatem in qua versatur.

7° Hospes qui, praeter exspectationem, prandium carnibus paratum invenit, neque alias epulas obtinere vel discedere, sine gravi incommodo, potest. Nam " discedere aut toti prandio assistere, nihil aut solum panem comedendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, et ex alia, notabilem turbationem, imo, ut plurimum, inimicitiam provocaret. „ (Ber. Prax. Conf. n. 2977) Non liceret tamen comedere carnes, si facile aliae epulae obtineri possent, ut solet fieri quando quis per plures dies versatur inter consanguineos vel amicissimos qui legem abstinentiae non servant.

8° Milites, saltem ii qui expensis gubernii aluntur; imo plerumque ex consuetudine ab episcopis probata vel tolerata, milites quilibet, etiam officiales eorumque familia. (Gousset, Th. M. I. n. 313) In Belgio, iis omnibus conceditur quotannis facultas vescendi carnibus per totum annum, excepta feria sexta Parasceves. Hac generali dispensatione data, jam videntur carnibus vesci posse milites qui, ad breve tempus, domum redire permittuntur vel etiam habitualiter extra contubernia manducant : nam indultum datur universe iis omnibus qui *actu* inter milites recensentur, neque requirit moralem impossibilitatem, quae pro officialibus eorumque familia adesse non solet. Contrarium dicendum esset, cum Berardi (op. cit. n. 2974), si nullum indultum concessum esset. Tandem, ubi datur dispensatio toti officialium familiae, censemus eam, ex intentione dispensantis, complecti etiam eos qui in eadem hospitantur, minime vero eos qui ad eludendam abstinentiae legem se eidem familiae conjungerent.

9° Si bona fide adhibita fuerint condimenta vetita, ex. gr. jus carneum leguminibus immixtum, et error tantum instante prandio detegatur, ratio sufficiens aderit ut cibus ita praeparatus sumatur : nam a re sub levi prohibita excusat causa rationabilis. Quodsi *integrum* prandium carnibus paratum est, videndum erit num in eo relinquendo notabile adsit incommodum : quodsi adest, sumere licebit. Tale autem incommodum sat crebro occurret, praesertim si jam deest tempus ad aliam convenientem refectionem parandam, eo quod familia numerosa est, vel locus remotus, si timentur irae et contentiones, etc. (Berardi, op. cit. n. 2978 seq.)

450. II. Quando occurrit ratio quae certo vel probabiliter per se solam non sufficit ad excusandum a lege abstinentiae, recurri poterit ad dispensationem proprie dictam. Facultatem ordinariam dispensandi habent iidem qui enumerati sunt n. 448, ubi de lege jejunii. Nemo tamen, praeter Rom. Pontificem, ordinariam facultatem habet dispensandi in prohibitione permiscendi carnes cum piscibus.

Ubi episcopus, generali Indulto, vi facultatis a S. Sede obtentae, concedit ut, certis quibusdam Quadragesimae diebus, carnibus vesci liceat, hac concessione uti possunt, *quoties edunt*, fideles qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur. (S. Poenit. 24 Febr. 1819 ; Coll. P. F. n. 2063) Nihilominus, si episcopus diserte Indulto apponit hanc restrictionem ut etiam ii qui jejunio non teneantur, semel tantum in die carnibus vescantur, id omnino servandum est. (S. Poenit. 27 Maii 1863, ap. Gury. I. n. 514) Attamen, teste Sabetti (Theol. Mor. n. 334). S. Poenit. Episcopo Buffalensi respondit " non expedire „ ut hanc limitationem poneret.

Quodsi (ut fit in Belgio) huic dispensationi adjungitur praeceptum certas preces recitandi singulis diebus quibus fideles ea utuntur, praeceptum istud sub levi tantum obligat, et, elapso die, penitus cessat. Similiter sub levi obligat eleemosyna qua quis se ab onere precum illarum liberare potest.

III. In urgenda vel relaxanda lege abstinentiae, confessarius haec prae oculis habeat :

1° Saepe causa principalis, quae per se ad excusandum non sufficit, causis secundariis completur. Sic, licet paupertas non excuset per se a lege abstinentiae, rationem sufficientem carnes comedendi quandoque habebit operarius qui, ob exiguum stipendium, nequeat sibi procurare illa alimenta licita quibus indigeret ad ferendum laborem satis arduum. praesertim si insuper nonnihil debilis est.

2° Plurimum attendendum est ad conditionem personarum et ad rationem qua lex abstinentiae in tali loco *communiter* servatur. Ita multa erunt permittenda vel prudenter dissimulanda cum operariis industrialibus qui, cum saepius carne vesci soleant, molestiam majorem in abstinentia reperiunt, et plerumque in legibus Ecclesiae servandis remissiores sunt. Strictius agi poterit cum multis agricolis qui, minus assueti carnibus manducandis, facilius cibos esuriales concoquunt et leges ecclesiasticas fidelius servant.

3° Cavendum est ne, sine spe successus, perturbetur bona fides eorum qui sibi licita existiment quae, spectatis regulis theologicis, non licerent. Hoc non raro hodie contingit ob laxatam quamplurimum abstinentiae observantiam, vel quia medici, etiam catholici, ob causas leviores carnem permittunt aut praescribunt. Praesertim prudenter agendum cum iis qui, ob importunam confessarii severitatem, facile a sacramentis omnino recederent. Ex altera tamen parte invigilandum ne, istorum exemplis, alii a servanda abstinentia deterreantur.

CAPUT III.

DE LIBRORUM PROHIBITIONE.

451. De lege naturali prohibente ne scripta prava legantur, emantur etc., jam supra (n. 240) dictum est. Superest ut agamus de lege positiva quam Ecclesia sapienter tulit ne fideles inscitia vel temeritate sua incurrerent plurima damna fidei vel morum, quae e lectionibus pravis oriri pronum est. Hanc legem urgere, etiam quando cessat in casu particulari perversionis periculum, diximus n. 127.

Hodie universus hujus legis tenor desumendus est e Const. *Officiorum ac munerum*, quam Leo XIII 25 Januarii 1897 promulgavit, abrogatis Regulis Tridentinae Synodi jussu confectis et variis Observationibus, Decretis, etc. quae a pluribus RR. PP. de eodem argumento edita fuerant. (1) Ex his vigorem quidem suum retinet Const. Benedicti XIV *Sollicita et provida* : hic tamen nihil de ea dicendum erit, cum tota versetur in definienda methodo quam in examine et proscriptione librorum servare debeant sacrae Cong. Indicis et S. Officii. Jamvero in cit. Const. Leonis XIII dantur Decreta generalia de prohibitione et censura librorum, quibus plurimae librorum classes reprobatae declarantur ; insuper eodem documento edicit R. P. a se exiisse mandatum ut Index, quo libri prohibiti singillatim recensentur, diligentissime recognoscatur et subinde, maturum cum fuerit, ita recognitus vulgetur. Interim, donec novus Index in lucem prodeat, non dubitamus quin observandus maneat Index pristinus, iis tantum libris exceptis de quibus constet eos in eumdem repositos esse unice propter regulam aliquam generalem modo abolitam.

Praeter hanc duplicem librorum seriem, nulli alii in universa Ecclesia prohibentur. Sed singuli Ordinarii libros pro suis dioecesanis, iisque tantum, prohibere possunt et, si qui plurimum nocent, etiam tenentur. Jubet enim cit. Const. a. 28 : " Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant. „ Igitur, juxta sensum quem Canonistae communiter tribuunt verbis *etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus*, episcopus in hac proscriptione

(1) Jam multi scriptores erudite interpretati sunt hanc Leonis XIII Constitutionem. Potissimum consuluimus, in hoc brevi conspectu concinnando, A. Vermeersch, S. J. (3ª editio, 1899) ; Jos. Hollweck (2ª editio, 1897) ; Périès (1898) ; C. Van Coillie (1899) ; M. C. Gennari, in ephemeridibus *Il Monitore Ecclesiastico* (t. 30) et Jos. Pennacchi apud Acta S. Sedis (t. 30).

procedere potest, sive auctoritate sua ordinaria, sive tamquam Sanctae Sedis delegatus. Haec clausula addita fuit: " Ne quis praetextu defectus jurisdictionis aut alio quaesito colore Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere vel pro non latis habere praesumat. „ (S. Inqu. Litt. circul. 24 Aug. 1864; Coll. P. F. n. 1889) Neque impeditur Ordinarius quominus proscribat librum in aliena dioecesi editum et approbatum, sed in propria dioecesi *diffusum* et *noxium*: quamquam sane optandum est ut periculum talis discrepantiae inter Ordinarios, diligenti censurae praeviae cura, removeatur. Poterit quoque Ordinarius prohibere suis libros a Regularibus aliisve exemptis editos. Verum non videntur prohibitiones legendi, retinendi, etc. quaelibet scripta, ab Ordinario factae, cadere in Regulares. Qui enim AA. accurate enumerant casus omnes in quibus episcopis subdantur Regulares, commemorant solam approbationem librorum edendorum (Piat. Prael. J. Reg. II. p. 320), sicut et in hac Const. (a. 36) sancitum est. Quoad lectionem ergo, retentionem, etc. scriptorum quae nulla universali lege vetantur, Regulares a praelatis tantum suis pendere opinamur.

Prohibitiones librorum ab Ecclesia factas, ubi non de consilio dando, sed de obligatione imponenda quaeritur, stricte interpretandas ducimus: siquidem libertatem restringunt in materia quae natura sua haud modicum gravamen affert, saltem ob effrenatam licentiam quidlibet typis edendi et difficultatem servandi legem quam tam multi, etiam e catholicis, transgrediuntur. (n. 112) Neque dicendum cum quibusdam (Suarez, de Fide, disp. 12. sect. 2. n. 10), eas late interpretandas esse, utpote factas in favorem fidei et pro defensione fidelium: sic enim omnes leges latae interpretationis essent, cum omnes in favorem fidei aliarumve virtutum conditae sint. Hanc sententiam nostram ducimus confirmari benigna indole praesentis Const. Leonis XIII: qui declarat suam mentem fuisse pristinas Regulas Tridentinas " incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. „ Etenim interpretatio accommodanda est menti legislatoris, quae legis anima est. Spectatis autem adjunctis, in quibus non una vel altera dioecesis, sed maxima catholici orbis pars hodie versatur, non erit levis facilisque legis observatio, prout optat Leo XIII, nisi ejus dispositiones benigne interpretemur. Neque periculum est ne hac benigna interpretatione legis vim enervemus, modo verbis hujus Constitutionis servemus sensum suum proprium: quod profecto etiam in benigniore interpretatione faciendum est. Ceterum solutiones practicae illorum interpretum qui, numero longe pauciores, late interpretandas esse ducunt praesentis legis prohibitiones (ex. gr. Van Coillie, p. 22 seqq.) sat raro discre-

pant ab iis quas proponunt reliqui interpretes, nobiscum in hac interpretationis regula consentientes, quales sunt Vermeersch (n. 7), Hollweck (p. 20), Pennacchi (n. 34) et Périès (p. 55).

Duo praesertim ad praxim confessariorum declarentur oportet : 1° Quae scripta sint Decretis Generalibus prohibita ; 2° quaenam officia fidelibus ex illa prohibitione oriantur. His pauca adjungemus de censura cui scripta publicanda subjiciantur oportet.

§ 1. QUI LIBRI SINT PROHIBITI.

452. Claritatis gratia, distinguemus scripta quae absolute omnibus prohibentur et ea quae non prohibentur nisi cum aliquo temperamento : vid. quia quibusdam personis sub certis conditionibus permittuntur vel unice ob defectum legitimae approbationis vetantur.

I. Scripta **absolute prohibita** praesertim sequentibus regulis determinantur :

1° " Libri omnes, quos ante annum 1600 aut RR. PP. aut Concilia Oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habentur, sicut olim damnati fuerunt ; iis exceptis qui per haec Decreta generalia permittuntur.„ Exceptio ista potissimum videtur referri ad mitigationem a. 4 hujus Const. inductam quoad scripta acatholicorum qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt. Hi ergo, licet ante annum 1600 damnati fuerint, nunc permittuntur.

Insuper opinamur licite legi scripta antiquorum haereticorum, ut Tertulliani, Origenis, etc. quorum errores jam penitus obsoleverunt. Id enim ante hanc Const. licitum reputabant plures egregii AA., ut Lugo (de Fide, disp. 21. n. 29), ob multiplicem utilitatem in studiis ecclesiasticis oriundam ; neque videtur scopus benignus hujus Const. poscere ut usus prorsus innocuus et tantum in scholis theologicis vigens tollatur.

2° " Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes. „ (a. 2)

Hac regula prohibentur : *a)* Libri a quibuscumque auctoribus, etiam catholicis, conscripti, in quibus propugnatur haeresis vel schisma. Quid sit haeresis, in foro externo Ecclesiae, prout hic sumitur, dictum est n. 203. Schisma vero est discessio ab unitate Ecclesiae, quatenus haec est corpus mysticum, ex universis fidelibus tamquam membris et R. P. tamquam capite constans (Schmalzgr. in Decr. l. 5. t. 8. n. 1), minime vero rebellio adversus Ordinarium vel contemptus alicujus particularis

praecepti a R. P. dati. Ut autem haeresim vel schisma *propugnet* liber, non sufficit ut auctor eadem enuntiet vel nonnisi obiter, paucis et quasi aliud agens defendat, sed ut alterutrum aperte rationibus suadere conetur. Cfr. Vol. II. n. 587.— *b)* Libri qui *utcumque*, seu seriis impugnationibus, seu jocis et irrisionibus, evertunt religionis fundamenta: eas videlicet veritates quae revelationi necessario substernuntur, ut puta existentiam Dei, animae spiritualitatem, etc. Igitur prohibentur libri quibus adstruuntur scepticismus, materialismus et similia systemata sophistica quibuscum vera religio stare nequeat. Sed adverte jam hic nullam specialem prohibitionem ferri contra haeresiarchas, quorum libri *omnes* Reg. 2ª veteris Indicis proscribebantur. Quare jam legi queunt eorum libri catholice conscripti, ex. gr. quos Doellinger praeclare edidit antequam neo-protestantium dux fieret.

3º " Acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri. „ (a. 3) Acatholici, in sensu latiore, vocantur quicumque penitus extra Ecclesiam catholicam versantur; hic autem hac voce non videntur designari, qui omnino increduli sunt, sed ii tantum qui ad aliquam christianam sectam pertinent, cum ab incredulis sperari nequeat ut, de religione ex professo tractantes, nihil contra fidem catholicam efferant. (Penn. n. 41) Ut autem liber censeatur ex professo de religione tractare, non sufficit ut obiter quaedam de ea proponat, sed requiritur ut auctor, vel in toto libro, vel in notabili ejus parte, incumbat in tractandum argumentum religiosum, sive dogma, sive moralem, sive historiam ecclesiasticam, imo et philosophiam, quatenus ab haereticis ad debilitanda dogmata adhibeatur. (Arndt, de libris prohib. comment. p. 123) Ex hac regula patet jam licite legi libros acatholicorum, etiamsi ex professo de religione tractant, ubi constat nihil in eis contra fidem catholicam contineri; quibus addendi sunt, ex a. 4, eorumdem auctorum libri qui obiter tantum fidei veritates attingunt, etiamsi aliquem errorem contra fidem continent, nisi speciali decreto proscripti fuerint.

4º " Libri qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant, aut docent. „ (a. 9) Verba *ex professo tractare* etc. eodem modo intelligenda sunt ac supra (ad 3um) de similibus dictum est. Igitur, ad prohibitionem incurrendam requiritur et sufficit ut auctor in notabili saltem libri parte et data opera tractet, narret vel doceat graviter turpia, etiamsi lascivitas non est praecipuum totius libri argumentum. Tales sunt omnes libri qui ad litteras " pornographicas „ pertinent, puta opera sallem pleraque Aem. Zola. Verum positivam prohibitionem effugiunt multi libri romanenses quibus impuri amores narrantur: qui, licet saepe lege naturali vetentur, praesertim juvenibus, ob proximum perversionis periculum, vere dici nequeunt ex professo obscoeni. Cfr. S. Alph. Dissert. de

prohib. librorum, c. 1. n. 9. Multo minus hac regula vetantur libri qui obscoena modo scientifico tractant vel narrant, puta ad medicinam excolendam : modo ne, sub scientiae praetextu, ad alendam nefariam curiositatem conscripti appareant.

Aliquam exceptionem in absoluta librorum obscoenorum prohibitione statuit a. 10 : " Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos *classicos* vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat : nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt. „ Qui dicendi sint libri classici antiquorum, usu scholarum humaniorum patet ; sic pariter libri *classici* recentiorum ii sunt qui in singulis linguis vernaculis a litterarum magistris vel scriptoribus tamquam exempla adhibentur. Hi ergo usu privato adhiberi poterunt, prout jacent, a viris qui iisdem indigent ob officium quod gerunt, puta scriptoris vel critici, aut magisterium quod exercent ; iidem tamen vetantur eos praelegere aut tradere pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgatos : quod praeceptum videtur protendi ad quaslibet praelectiones, etiam in Universitatibus, cum duplex vox *pueris vel adolescentibus* clare indicet mentem legislatoris complectendi quoslibet infra virilem aetatem positos. Nota nullam hic dari licentiam legendi libros classicos qui non propter lasciviam, sed propter errores religioni adversantes, sub haec Decreta generalia cadunt vel nominatim in Indicem relati sunt.

Si quis ratione officii quod gerit, puta judicis, advocati, redactoris ephemeridum etc., occasione litis vel controversiae motae de libro ex professo obscoeno, in morali necessitate versaretur talem librum legendi, merito censet Hollweck (p. 32) id ipsi licitum fore, secluso periculo proximo consensus in turpia : quamvis enim licentiam generalem tales libros legendi Ecclesia dare non soleat, non videtur velle ut sua prohibitio servetur cum tanto incommodo ; imo in tali casu lex positive noxia evaderet dum viri catholici publicis muneribus fungi vel etiam fidei adversarios convenienter confutare non possent. Cfr. n. 128.

5° " Damnantur libri, in quibus Deo, aut B. M. V. vel Sanctis, aut catholicae Ecclesiae ejusque cultui, vel sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt. „ (a. 11) Manifeste triplex librorum series hic prohibetur. Prima, eorum qui Deo, B. M. V. etc. *detrahunt* seu, secundum nativam vim hujus verbi (Vol. I. n. 418), ea continent quae apta sint ad minuendam bonam exis-

timationem quam de Deo rebusque sacris supra enumeratis legentes habeant. Huic malo patrando non sufficiunt per se contumeliae quaedam paucis verbis prolatae : ac proinde non censemus hac nova prohibitione comprehendi nisi eos libros in quibus detractio aliquatenus evolvatur. Accedit ratio : ne ista nova prohibitio nimis extendatur, contra benignum hujus Constitutionis spiritum. Attamen, cum hic non apponantur verba *data opera*, non requiritur ad prohibitionem ut detractio hujusmodi partem notabilem libri occupet, vel appareat mens scribentis fuisse ut eam detractionem tamquam finem prosequeretur. Altera series bipartita complectitur opera in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervertitur *aut* ejus extensio nimis coarctatur, puta ad sola loca quae de religione vel moribus tractant. Quae sint haec opera, colliges potissimum ex Encycl. Litt. Leonis XIII, de Studiis Scripturae Sacrae, 18 Nov. 1893. Tandem in tertia serie verba *data opera* clare indicant requiri ut e probris continuatis appareat intentio scribentis deprimendi ecclesiasticam Hierarchiam vel ipsum statum clericalem vel religiosum, non tantum aliquem R. P. vel episcopum, certum quemdam ordinem religiosum, etc.

6° Libri " in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque hujus generis superstitiones docentur vel commendantur. „ (a. 12) Sortilegii vox, cum hic ceteris superstitionibus opponatur, designat peccatum indagantium ope sortium futura vel occulta. Ceteras voces explicatas habes n. 262 seqq. : e quo loco etiam patebit quandonam libri docentes vel commendantes tabulas rotantes, aut hypnotismum, superstitionis labe inficiantur ac proinde edi, legi vel retineri nequeant. Adverte ad prohibitionem non sufficere ut narrentur superstitiosa, sed requiri ut ***doceantur*** vel ***commendentur.***

7° " Libri qui duellum, suicidium vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Ap. Sede proscriptos tuentur. „ (a. 14) Hic prohibentur tres librorum classes : *a)* eorum qui statuunt licere duellum, suicidium vel divortium, seu matrimonii dissolutionem quoad vinculum extra casus jure divino vel ecclesiastico statutos ; — *b)* eorum qui nituntur demonstrare sectam Massonicam vel quamlibet ejusdem generis societatem (Vol. II. n. 596) non esse perniciosam vel etiam utilem esse Ecclesiae et Statui; — *c)* eorum qui *errores* ab Ap. Sede proscriptos allatis argumentis tuentur. Ad prohibitionem ergo requiritur ut propugnetur doctrina quae a R. P. vel per se immediate vel per organon alicujus Congregationis Romanae, potissimum S. Officii, saltem ut erronea, reprobata fuerit. Cfr. Vol. II. n. 593. Ut autem liber sub hanc regulam cadat, necessarium est ut unum e tribus argumentis supradictis non tantum obiter attingat, sed in parte non modica propugnet. Id enim requiritur ut *liber* sensu proprio

dicatur haec statuere, contendere, etc. Hanc interpretationem manifeste comprobavit S. C. Indicis, dum interrogata : " An opera (quae permulta sunt) erroribus infecta, a Syllabo damnatis, verbis art. 14 prohibita censeantur, quatenus errores ab Ap. Sede damnatos continentia „, 23 Maii 1898 respondit : " Affirmative, si hos errores tueantur seu propugnent. „ (Act. S. S. t. 30. p. 698)

8° Editiones Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani aliorumque librorum liturgicorum a S. Sede Apostolica approbatorum, si quidquam in iis mutatum sit quo ab authenticis editionibus discrepent. (a. 18)

9° Prohibentur non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure " diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt. „ (a. 21) Triplex scriptorum species hic distinguitur : diaria (journaux quotidiens), folia periodica i. e quae crebro, non tamen singulis diebus prodeunt, libelli periodici (revues).

Data opera religionem aut bonos mores impetere censemus ea diaria vel periodica, quorum scriptores impiarum vel turpium rerum copia et frequentia manifestam faciunt intentionem suam aggrediendi religionem aut mores ; minime vero ea in quibus hinc inde, et quasi aliud agendo, quaedam minus recta prodeunt, puta dicteria contra religionem, turpes narratiunculae, etc. Neque censemus sub hanc legem cadere diarium vel periodicum in quo semel aut iterum, absque ulla consuetudine, religio vel boni mores oppugnentur : praesens enim articulus videtur has publicationes spectare, quatenus assidue edi pergunt, ac proinde referri ad habitualem earum indolem.

Religionem hic alii aliter intelligunt. Quidam (Vermeersch, n. 18) interpretantur religionem naturalem, ac proinde prohibitioni subducunt ea diaria vel periodica quae solam religionem revelatam, et praesertim Ecclesiam catholicam, oppugnant. Nituntur potissimum stylo curiae : quem deducunt ex interpretatione Romae recepta (Zitelli, Appar. J. Eccl. p. 540 ; Konings, Comment. in fac. apost. n. 157) pro similibus verbis in formula facultatum episcopalium prostantibus. Plerique (Hollweck p. 37 ; Van Coillie, p. 65) interpretantur religionem unice veram, ac proinde existimant hic prohiberi quaelibet folia vel periodica quibus religio catholica universe sumpta oppugnatur. Hanc posteriorem interpretationem censemus probabiliorem. Hic enim est sensus obvius vocis " religionis „, ubi non abstracte consideratur religio, sed qualis reapse existit et quam a periculo pravorum scriptorum incolumem servare intendit S. Sedes. Finis autem legis nimis imperfecte obtineretur si non essent prohibita diaria et scripta periodica quae jugiter et aperte religionem catholicam impugnant, modo revereantur nescio quam religionem naturalem. Attamen, quamdiu nulla intercesserit S. Sedis declaratio, etiam benigniorem sententiam in praxim deduci posse arbitramur.

Bonos mores intelligimus illam vivendi normam quae conformis sit christianae honestatis legibus, praesertim de castitate. Quare hic prohibentur praecipue diaria, etc, quae crebro et notabiliter narrant, docent vel commendant turpia, ita ut assidue legentium castitati grave periculum creent.

453. II. Scripta **cum aliquo temperamento prohibita** sunt praecipue sequentia :

1° Regulariter prohibentur editiones textus originalis, et antiquarum versionum catholicarum S. Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant ; item aliae versiones ss. Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae, demum versiones omnes ss. Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim quae per Societates Biblicas divulgantur. Verum triplex ista librorum classis permittitur iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur, in prolegomenis aut adnotationibus, catholicae fidei dogmata. (aa. 5, 6 et 8) Igitur, ut iidem libri sint penitus et omnibus prohibiti, necesse est ut in iis *impugnentur*, seu allatis rationibus impetantur veritates quae fide catholica proponuntur, ac proinde manet licentia mox enuntiata, etiamsi dogmata catholica obiter negentur vel si impugnentur aliae veritates theologice certae. Studiis autem theologicis vel biblicis operam dare dicendi sunt quicumque habitualiter, non autem actu mere transeunte, sive in scholis, sive privatim, haec studia excolunt. Huic interpretationi consonat responsum a S. C. Indicis datum 23 Maii 1898. Etenim interrogata : " Utrum haec verba art. 5. *qui studiis theologicis aut biblicis dant operam*, intelligenda sint tantum de doctis viris, iis scientiis deditis, an extendi valeant ad universos s. Theologiae studiosos „, respondit : " Negative ad primam partem, affirmative ad secundam „ (1).

2° Prohibentur versiones ss. Bibliorum in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, nisi fuerint ab Ap. Sede approbatae, aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus. (a. 7) Versionibus

(1) In altera parte hujus responsi negavit S. C. Indicis fas esse episcopo, sine speciali S. Sedis facultate," permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos legant et vertant, dummodo non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus talium librorum catholicae fidei dogmata. „ Cum P. Vermeersch (n. 16) opinamur id denegatum fuisse ab hac S. C. ne ansa daretur deserendi in scholis theologicis textum Vulgatae, quam in iisdem tamquam authenticam adhiberi jussit Trid. Sess. 4. Dec. de edit. et usu ss. librorum.

cum adnotationibus assimilandae videntur versiones paraphrasticae : prudens enim paraphrasis perinde ac notae, periculum erroris removet.

Sed versiones sine notis vel paraphrasi approbare ad solam S. Sedem pertinet. Attamen, ex usu in nostris regionibus recepto, videtur licitum Ordinariis approbare hujusmodi versiones pro iis partibus ss. Bibliorum quae alendae fidelium devotioni aptiores sunt, puta Psalterio, Epistolis et Evangeliis anni liturgici, etc. Verum per se requireretur approbatio S. Sedis, ut 27 Martii 1855 responderat S. C. Indicis. (Coll. P. F. n. 1885) Hodie versiones ss. Bibliorum a S. Sede vel, sub debita conditione, ab episcopo loci in quo eduntur approbatas legere, unicuique fidelium licet, nec jam ulla est *obligatio* petendi consilii a parocho vel confessario, sicut 4ª veteris Indicis regula praescribebatur. Quodsi alicui versioni adduntur notae ab AA. acatholicis desumptae, opus prohibetur si ejusmodi notae doctrinam fidei et morum respiciant. At si aliud argumentum tractant ejusmodi notae, ex. gr. ethnographicum, geographicum etc., versio non videtur prohibita, siquidem nihil aliud voluisse censendus est Leo XIII nisi ut servetur regula Tridentina (Sess. IV. De edit. et usu ss. lib.) qua vituperatur nimia licentia interpretandi s. Scripturam *in rebus fidei et morum*.

3° " Libri aut scripta quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur. „ (a. 13) Hoc articulo omnes fideles prohibentur legere duplicem classem scriptorum quae publici juris facta sint absque approbatione Ordinarii vel, si argumentum id postulaverit, S. Sedis. Prior classis complectitur ea scripta quae narrant novas apparitiones, revelationes etc., i. e. eas quae nondum probatae sint legitimae auctoritatis ecclesiasticae judicio, sive expresso, puta dum conceditur officium in memoriam apparitionis vel miraculi recitandum, sive implicito, puta dum, probantibus Superioribus ecclesiasticis, laudari solent aliquae revelationes Servis Dei factae. Ut autem locus sit huic proscriptioni, censemus requiri ut liber scriptumve hujusmodi narrationem vel unice tractet vel saltem sat fuse, et rem tamquam manifeste supernaturalem proponat, seu ut vere in his novitatibus spargendis versetur : quod malum Ecclesia hac nova proscriptione cavere voluit. Quare non putamus fideles prohiberi a legendo libro in quo auctor, dum narrat vitam alicujus viri cum fama sanctitatis defuncti, quaedam obiter de miraculis vel visionibus quae eidem contigisse ferantur interserat, praesertim si declaret se referre tantum quae vera putet, de indole vero portentosa harum rerum nolle firmum judicium proferre. Multo minus prohibentur legi diaria in quibus narrentur miracula nondum Ecclesiae auctoritate probata, ex. gr. quae in aliqua peregrinatione

contigerint : tum quia mos talia in diariis narrandi ubique sine Superiorum ecclesiasticorum protestatione invaluit, tum quia hic non videntur vetari nisi scripta quorum argumentum principale sit narrare apparitiones etc. (Penn. n. 51) Neque praeter approbationem Ordinarii, principio vel fini operis imprimendam, videtur hodie requiri formalis protestatio quam. juxta Urbani VIII decreta (Bened. XIV, de Beat. et Can. Sanct. l. 2. c. 11. n. 8), hucusque solebant libris suis praemittere qui facta mirabilia servorum Dei nondum beatificatorum conscribebant : hoc enim praeceptum silentio praesentis articuli tacite aboleri videtur cum reliquis antiquioribus regulis de librorum editione. (Vermeersch, n. 14) Posterior classis complectitur scripta quae novas inducunt seu fidelibus suadere nituntur devotiones, etiamsi eaedem proponuntur privato tantum cultu exercendae. *Novae* autem censendae erunt devotiones quae notabiliter, sive in objecto cultus, sive in ratione cultus exercendi, discrepant ab iis quas Ecclesia probavit. Exemplo sint, inter plura decreta quibus periculosus iste novitatum pruritus retundendus fuit, prohibitiones factae a S. Inqu. (4 Maii 1892) *specialis distinctique* cultus Vultui Redemptoris tribuendi, prout a Presbyteris a Vultu Sancto dictis propagabatur.

4° Prohibentur libri aut libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique hujusmodi, si praeter legitimae auctoritatis licentiam publicati fuerint, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur. (a. 20) Ut patet ex hujus articuli tenore *(ad fovendam populi christiani pietatem)* et e titulo capitis cui idem inseritur *(De libris liturgicis et precatoriis)*, hic agitur tantum de scriptis quorum argumentum ad populi christiani institutionem in fide et moribus spectat, minime vero de iis quae doctrinam moralem, asceticam etc. speculative proponunt. Talia sunt quae dici solent : *livres et opuscules de piété.* Neque censenda sunt prohibita scripta hujusmodi quae sine licentia prodierint ante editam hanc Constitutionem : idem dic de iis quae cadunt sub aa. 13, 17, 20. Ratio est : nullibi tribui huic legi vim in praeterita. (Hollweck, p. 17)

454. QUAER. I. Num praefatae prohibitiones extendantur ad manuscripta, lithographica et similia.

RESP. Probabilius haec manuscripta non prohibentur *lege positiva.* Etenim, jam sub antiquo Indice, plures, ex. gr. D'Annib. III. n. 114, idem sentiebant, quia, usu jam recepto cum Regulae Indicis editae sunt, *libri* nomine in iisdem adhiberi solito non veniebat nisi typis impressum. Hodie autem de usu isto ambigi nequit. Jamvero in his novis Decretis Generalibus regulariter sermo fit de solis *libris.*

Manuscriptis autem accensenda putamus exemplaria lithographica, polygraphica, etc. Haec enim solent tantum adhiberi ut privatae scripti ɔni, puta auditorum alicujus professoris, suppleant, nec stricto sensu librorum nomine veniunt. Excipe casum quo magno numero multiplicata publice, libri instar, venalia prostent.

In prioribus editionibus opinati sumus manuscripta non prohiberi lege positiva, etiam a. 10, in quo legislator commemorat *scripta*. Nunc, re melius perpensa, contrariam sententiam amplectimur, moti consensu interpretum in eodem articulo explicando. Ratio praecipua est, proprium hujus vocis sensum complecti quaelibet scripta. Accedit decretum a S. C. Indicis datum 17 Apr. 1896, quo declaravit, damnato a S. Off. cultu privato divinarum manuum Salvatoris nostri, prohiberi " omnia scripta, sive typis edita, sive non. „ (Act. S. S. t. 28. p. 640)

QUAER. II. Num eaedem prohibitiones extendantur ad scripta non periodica, quae typis quidem mandata, sed valde exigua sint (brochures, feuilles volantes).

RESP. Probabilius hujusmodi scripta minuta, non prohibentur lege positiva nisi diserte commemorentur. Ita plures, tum veteres quos enumerat et videtur sequi S. Alph. (Append. de proh. libr. c. 5. n. 8), tum recentes, ut D'Annib. (l. c.), Sabetti (Theol. Mor. n. 979), Berardi (de Recid. t. II. n. 214 seqq.), Penn. (n. 38), etc. Etenim cum lex ista stricte interpretanda sit (n. 451), vox *libri*, ubi sola prostat, nequit extendi ad ea scripta exigua quae, usu communi, numquam proprie hoc nomine vocantur. Neque alia ratio apparet ob quam in quibusdam regulis scripta minoris molis explicite enumerentur, puta " libri aut scripta „ (a. 13), " Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia „ (a. 17), " libros aut libellos precum „ (a. 20). Quaenam moles ad librum veri nominis requiratur, potius ex usu recepto quam determinato foliorum numero definiendum ducimus.

§ 2. OFFICIA EX HAC PROHIBITIONE ORIUNDA.

455. Prohibitiones his novis Decretis Generalibus editae, necnon singulorum librorum proscriptiones a S. Sede factae, omnes fideles ubique gentium adstringunt. Diserte enim edicit Leo XIII : " Decreta Generalia statuimus... quibus catholici homines toto orbe religiose pareant. „ Atque a. 45 : " Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur et in quodcumque vertantur idioma. „ (1) Tandem, in fine

(1) S. C. Indicis 23 Maii 1898 interrogata : " Utrum dicta Constitutio vim obli-

harum Litterarum, jubet R. P. quaecumque in iis habentur inviolabiliter ab omnibus observari, contrariis non obstantibus quibuscumque. Ob has tam urgentes praecipiendi formulas, existimamus neminem posse se tueri a servandis praesentis Constitutionis legibus, ope consuetudinis contrariae : quamquam, ob benignum ejusdem spiritum, videtur licitum illos usus retinere qui veteribus regulis hodie servatis quaedam temperamenta adjecerant, ut supra diximus de scriptis veterum haereticorum et de quibusdam partibus ss. Bibliorum edendis absque notis. Haec enim leges novas explicant potius quam tollunt.

Proscriptione cujuslibet scripti vetantur quatuor, quae breviter singillatim explicabimus : lectio, retentio, impressio, defensio. Cfr. a. 47. Quae censurae ob violatas hujusmodi prohibitiones incurrantur, dicetur Vol. II. nn. 587 et 611. Pauca addemus de licentia legendi et retinendi libros prohibitos.

I. Lectio prohibita intelligenda est formalis, qua legens simul intelligat quae scripta sunt, non mere materialis, qua characteres tantum oculo perspiciat. (D'Annib. III. n. 142) Illa enim sola *lectio* proprio sensu dicitur, nec quidquam amplius requirit finis legis. Hinc legem positivam non violat qui legentem audit, quamvis iste ipsius jussu legat (Lugo, de Fide, disp. 21. n. 75), neque qui legit librum scriptum lingua quam ignorat.

Extenditur prohibitio ad partes etiam accessorias libri damnati, puta ad prologum, indicem, etc. Si in opere quod pluribus tomis constat, error ob quem opus reprobatur, in uno tantum continetur, reliqui tomi non sunt censendi prohibiti, nisi argumentum tale sit ut nullam divisionem recipiat. (Lugo, l. c. n. 60; D'Annib. III. n. 141. nota 10) Probabiliter " cessat prohibitio si eam partem quae prohibitioni causam dedit, detraxeris, vel deleveris, vel induxeris ut amplius legi nequeat, dumne liber proscriptus fuerit... in odium auctoris. „ (D'Annib. l. c.)

Certum est lectionem lege vetitam *admittere parvitatem materiae.* Ita numquam mortale peccatum committet qui leget librum qui prohibetur tantum quia sine requisita licentia editus est, quales sunt libelli devotionis sine approbatione editi (n. 453, 4º). In iis vero qui propter doctrinam vel turpitudinem reprobantur, mensura gravis peccati, minus e numero linearum quae percurruntur quam e fine legis sumenda est. Si quis etiam paucas lineas legit in quibus advertit contineri quae directe

gatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur „, respondit : " Affirmative. „ Attamen episcopis Angliae amplas facultates a S. Sede concessas esse ut permitterent fideles sibi commissos pergere in consuetudinibus quae huic Constitutioni contrariae sint, refert periodicum *The Tablet* 18 Dec. 1897.

fidei vel bonis moribus adversentur, graviter peccabit cum in his perversionis periculum esse possit. Ubi vero nihil tam pravum occurrit, communiter censent (S. Alph. l. 7. n. 284) unam paginam, quidam (Hollweck, p. 23; Vermeersch, n. 28) non improbabiliter, fere sex legi posse sine culpa gravi. Haec mensura gravis reatus applicanda erit etiam publicationibus periodicis in fasciculos ligatis: hae enim etiam quoad censuras libris assimilantur. (Vol. II. n. 587)

At pro diariis et foliis periodicis, paulo benignius de culpa legentium judicandum arbitramur, ne in destructionem potius quam in aedificationem cedat eorum proscriptio. Profecto grave erit ea legere habitualiter, vel scienter in singulis foliis legere tractum notabilem quo religio aut boni mores impugnentur : id enim, saltem e rei natura et abstrahendo a peculiaribus legentis dispositionibus (quae in regula pro omnibus posita non videntur attendendae), constituet hominem in proximo periculo gravis damni pro fide vel moribus, quod praesertim avertere voluit Ecclesia, ut e tenore a. 21 liquet. Ob rationem contrariam, non censemus graviter peccare eum qui, absque consuetudine, legit tantum in singulis foliis ea quae nullam vel brevem religionis morumve oppugnationem continent. Accedit ratio : in diariis multo facilius quam in libris caveri posse a locis pravis, cum certae eorum partes, puta quae nuntiis politicis vel negotiatoriis destinantur, de fide vel moribus prorsus tacere soleant. Practice, cum iis qui habitualiter prava diaria legunt severum se praebere debet confessarius, antequam constiterit nullum periculum proximum ex hujusmodi lectione oriri, etiamsi de iis diariis ageretur quae neque sub hanc Pontificiam prohibitionem, neque sub specialem proscriptionem Ordinarii cadant : habitualis enim eorum lectio fere semper sensim sine sensu fidem vel mores corrumpet. (1) Verum, ubi poenitens aut non ita assidue prava diaria legit aut, ob quamlibet rationem, experientia dignoscitur a periculo proximo immunis esse (n. 240), saepe prudentis confessarii erit positivam prohibitionem reticere vel parum urgere, ne quid deterius contingat. Tandem non videtur peccare contra prohibitionem legis ecclesiasticae qui in casu singulari, justa causa urgente, legit diarium proscriptum, ubi e lectione nullum periculum vel scandalum timendum est, nec commode peti potest licentia legendi : nam a levi prohibitione positiva excusat causa rationabilis, quae praesertim pro diariis non ita raro occurrit, puta ad nova scienda dum nullum bonum diarium praesto est.

(1) Praeclare de hoc argumento agunt Episcopi Belgii Epistola ad fideles suos data 5 Aug. 1843 et Em. Dechamps, Archiep. Mechliniensis epistola data 19 Sept. 1869. Cfr. Stat. Syn. Mechl. Append. XXVII.

456. II. Retentio libri in hoc sita est quod quis penes se servat librum vel proprium vel alienum, puta depositum vel locatum. Ut autem retentio sit peccatum mortale, necesse est ut liber servetur per tempus notabile : quare levis videtur retentio per biduum vel triduum, imo etiam diuturnior si quis exspectaret legendi veniam. (D'Annib. III. n. 142. nota 18) Hinc excusari poterunt qui libris compingendis vitam alunt, si quando pravos aliquamdiu retinere debeant : ab hac enim retentione per se levi excusat notabile incommodum quod artifices isti in recusando officio suo paterentur, et favet usus cui nihil in praesenti Constitutione diserte adversatur. (Arndt, op. cit. p. 235)

Cum prohibitione retinendi libros pravos connectitur prohibitio eosdem vendendi. Hanc pro bibliopolis expressit praesens Constitutio : quae a fortiori ceteris fidelibus servanda sunt, quippe qui nulla artificii ratione excusantur. Nempe statuit a. 46 : " Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscoenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant : ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a S. Indicis Congr. veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti. „ In priore parte hujus articuli, procul dubio habenda est ratio exceptionis quae a. 10 (n. 452) facta est pro libris classicis turpia ex professo tractantibus. Clare indicat altera pars articuli sub qua conditione tantum liceat bibliopolis venales habere libros prohibitos, seu eos exponant publice, seu occulte retineant. Ad prudentem existimationem, quae ibidem requiritur ut singulis vendantur, satis esse videtur ut, spectata natura libri et conditione ementis, hic rationabiliter praesumi possit debita facultate vel ratione instructus, nec tenentur bibliopolae emptorem specialiter de hac licentia vel ratione interrogare : quod onus gravissimum foret. (Marc, Th. Mor. I. n. 524) Idem sufficere censemus ut procurent petenti librum quem in officina sua non habeant.

Non videtur hoc a. 46 prohiberi quominus libros vetitos, sed non ex professo obscoenos, vendat qui solet libros licitatione vendere : hic enim non tam *venales habet* libros quam vendenti operam suam praestat. Haec autem cooperatio ex ejus conditione honestatur : denegari enim generatim non posset sine magno damno, saltem quando pauci libri pravi inter multos bonos vendendi committantur et facillime alius qui venderet reperiretur. (Heymans, De eccles. librorum prohibitione, n. 356) Sed articulo praefato subjacere ducimus licitationem qua bibliopola proprio nomine vendat libros undique coemptos, cum sic illos proprio nomine venales habeat. Imo, cum libri in tali venditione necessario cedant plus offerenti, necesse erit ut, ex eorum natura et conditione emptorum qui concurrere solent, prudenter praesumi possit eos legitime emptum iri.

In hac nova Const. jam non praecipitur ut libri pravi Ordinariis locorum vel Inquisitoribus tradantur, prout antea praecipi solebat. Sufficit ergo eos vel destruere vel ei qui retinendi facultatem habeat tradere. Idem per se praestandum erit si liber pertinet ad alium facultate carentem : licebit tamen librum reddere domino, si aliter vitari nequit notabile incommodum, ex. gr. si dominus ob omissam restitutionem amicitiam rumperet, gravem tristitiam pateretur, etc. (Berardi, de Recid. II. p. 248)

III. Impressio principaliter fit ab editore, typographiae domino et auctore, si auctoris cura liber editur. His quidam cooperantur proxime, quidam remote. (n. 240) Priores tantum proprie *imprimentes* dici merentur, ideoque culpam ex genere suo gravem admittunt, quamvis mere materialiter cooperentur. Posteriores, ob rationem contrariam, sub legem positivam non cadunt, puta corrector (qui tamen legem violabit, impressa legendo). Cfr. D'Annib. l. c. nota 19. Quatenus autem vel proxime vel remote cooperantes ratione gravis incommodi excusari possint, satis patebit ex iis quae de prohibitione juris naturalis dicta sunt n. 240.

Huc facit a. 31 : " Libros ab Ap. Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere : quodsi, ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiet, nisi obtenta prius S. Indicis Congr. licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.„ Haec prohibitio probabilius non pertinet nisi ad libros nominatim a S. Sede proscriptos : qui enim tantum sub regulas generales cadunt minus proprie dicerentur *a S. Sede proscripti*. Igitur nominatim proscriptos iterum edere graviter illicitum est, etiamsi errores corrigantur vel notis additis refellantur. Cfr. Arndt, op. c. p. 124. Verum hac lege, quae quoad substantiam nova non est, non videtur prohiberi quominus edantur miscellanea litteraria (chrestomathies) similesve libri in quibus recuduntur, cum aliis multis, loca excerpta e libris prohibitis, dummodo ea loca non sint tam multa tamque ampla ut moraliter iterum edatur opus proscriptum : sic enim et usus dudum habet, et non raro necessarium est ad litteras docendas vel discendas, ad errores refellendos, etc. Si agitur de edendo iterum libro auctoris classici e professo obscoeno, cfr. dicta n. 452.

457. IV. Defensio libri prohibiti fit ab eo qui commendat doctrinam libro contentam vel ipsum librum injuste damnatum esse contendit, minime vero ab eo qui laudat tantum styli elegantiam aliasve bonas operis dotes. (Lugo, l. c. n. 94) Alii (S. Alph. l. 7. n. 285) etiam illum comprehendi censent qui facto librum defendat, puta impediendo ne destruatur. Sed, cum Penn. (n. 38) existimamus eum non violare praesentem prohibitionem, quamquam aliunde peccare potest. Ratio potis-

sima desumitur e Const. Bened. XIV *Sollicita* § 10, ubi defensio de solis verbis explicatur.

V. Licentiam legendi quoscumque libros prohibitos concedere possunt tum S. C. Indicis, tum S. C. Inquisitionis, tum. pro regionibus sibi subjectis, etiam S. C. de Prop. Fide. (a. 24) Episcopi vero aliique praelati jurisdictione quasi-episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valent. (a. 25) His praelatis accensendi sunt Superiores Regularium exemptorum, non tantum generales et provinciales, sed, juxta communem sententiam, etiam locales (Piat. Prael. J. Reg. I. p. 493) : qui tamen singuli sunt in singulis domibus. Praeter hanc facultatem ordinariam ideoque delegabilem, sed magis restrictam, solent episcopi et quandoque praelati Regulares habere ampliorem facultatem a S. Sede ad tempus concessam : quatenus haec subdelegari possit, dictum est n. 119.

De extensione hujus licentiae monet a. 26 : " Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a *quibuscumque* damnatos. „ Hinc patet habenti facultatem legendi *libros* a quibuscumque damnatos implicite permitti *ephemerides* ab Ordinario proscriptas, ac proinde in generali facultate legendi libros prohibitos contineri etiam licentiam legendi ea diaria et folia periodica, quae a S. Sede prohibentur. Verum eadem licentia non continetur in facultate generali quae in quibusdam dioecesibus fit omnibus parochis et confessariis permittendi, ob justam causam, diariorum pravorum lectionem. (Stat. Syn. Mechl. n. 170) Haec igitur facultas valebit tantum pro diariis quae Ordinarius proscripserit, praeter ea quae sub a. 21 cadunt : nisi forte licentiam a S. Sede obtentam sacerdotibus suis Ordinarius communicaret.

Si quis obtinuit facultatem legendi libros prohibitos, meminisse debet ' gravi se praecepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant. „ (a. 26) Quodsi eamdem obtinuit ad unum finem, puta ad errores refellendos vel ad studia promovenda, non peccat contra legem ecclesiasticam, si eosdem legit ob alium finem, puta ob curiositatem. Nam Superior absolute dispensavit, et manet saltem altera ratio dispensationis, scil. quia Superior praesumpsit non imminere periculum legenti. Excipiendus foret casus quo licentia data esset cum limitatione expressa, seu quatenus necessitas vel utilitas lectionem postulat. (Ball. P. App. cit. n. 22) Semper cavendum ne violetur lex naturalis de vitando **proximo peccandi periculo.**

§ 3. DE CENSURA LIBRORUM.

458. I. Praeviae censurae hodie jam non sunt subjiciendi libri quilibet, quemadmodum veteris Indicis regulis praecipiebatur, sed quaedam determinatae classes quae hac nova Const. recensentur. Deinde, cum peterida sit licentia *in lucem edendi, publicandi* (aa. 36, 40), censura non requiritur praecise ut imprimatur, sed ut publici juris fiat liber. Quare non putamus censurae subjicienda esse opera quae ad privatum paucorum usum, autographia vel etiam typis multiplicantur. Neque determinat praesens Constitutio utrum censori exhibenda sint manuscripta,deinde cum libro perfecto comparanda (ut jusserat Clemens VIII), an sola folia jam typis impressa. Quare, modo finis legis attingatur, et praeceptae correctiones fiant, integrum erit eligere eum modum qui aptior videatur. Saepe in praxi exhibentur tantum folia impressa antequam immutabiliter probata typographo tradantur. (Hollweck, p. 58) Hodie censurae subjiciuntur :

1° Versiones omnes ss. Bibliorum in lingua vernacula. (a. 7)

2° Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones. (a. 13)

3° Novae imagines quomodocumque impressae D. N. Jesu Christi, B. M. V., Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur. (a. 15) Igitur non egent approbatione imagines quae longo usu, saltem implicite, probatae, jam nequeunt dici *novae;* egent vero quaecumque, per varias artes hodie inventas, impressione multiplicantur. Manifestum est hic non agi de statuis vel picturis : quibus satis providerat Trid. (Sess. 25. Decr. de... sacris imaginibus) dum statuit " nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit. „ De his etiam conferri potest Const. Bened. XIV, *Sollicitudini.* (1 Oct. 1745)

4° Libri, summaria, libelli, folia etc. in quibus indulgentiarum concessiones continentur. (a. 17) Fideles tamen probabilius non vetantur indebite vulgatos libros, summaria etc. legere vel retinere : cum nulla hujusmodi prohibitio hic apponatur.

5° Litaniae omnes, praeter Litanias omnium Sanctorum, quae in Breviariis, Missalibus etc. continentur, Litanias B. M. V. quae in s. Aede Lauretana decantari solent, et Litanias SS. Nominis Jesu, jam a S. Sede approbatas.(a. 19) His accedunt Litaniae SS. Cordis Jesu,quas Leo XIII Decr. Urbis et Orbis 2 Apr. 1899 indulgentiis 300 dierum auxit atque tum publice tum privatim recitari et decantari permisit.

6° Libri aut libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique hujusmodi. (a. 20)

7° Libri " qui divinas Scripturas, s. Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam Naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit. „ (a. 41) Exemplum disciplinarum quae hic non diserte enumerantur, habes in scientia sociali si ejus argumenta sub respectu morali et religioso, non mere oeconomico vel politico tractantur, puta commentando Litteras Apostolicas de conditione opificum.

Scripta in quibus specialiter intersit religionis et morum, intelligimus ea in quibus nequeunt vulgari errores sine speciali fidei morumve periculo, quales sunt vitae servorum Dei in quibus multa ut supernaturalia narrantur. Cum hic nulla fiat expressa mentio diariorum vel libellorum periodicorum, censemus mentem legislatoris esse ut haec valde generalis locutio : *scripta quaecumque* etc. explicetur pro usu recepto. Jamvero in plerisque regionibus putamus hunc usum vigere ut in foliis et periodicis quae non unice argumentum plane religiosum tractant, edantur, sine praevia censura, etiam articuli qui, ex argumenti natura, revisioni subjacerent; dum censurae subjiciuntur libelli periodici qui toti in argumento prorsus religioso versantur, qualis est theologia dogmatica vel moralis, jus canonicum, ascetica. Alii (Hollweck, p. 45) censent nulla periodica subjacere censurae, quia non nominantur et personae redactoris fidit Ecclesia.

Regulam generalem dat a. 44 : " Noverint typographi et editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere; hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versioni non suffragari. „

459. II. Regulariter approbatio librorum " pertinet ad Ordinarium loci in quo *publici juris fiunt*. „ (a. 35) Igitur, si in diversis dioecesibus commorantur editor et typographus, jam requiritur approbatio episcopi loci in quo commoratur editor, dum antiquae regulae poscebant approbationem episcopi loci in quo liber typis mandandus erat. Pariter penes Ordinarium est concedere facultatem iterum edendi Missale, Breviarium, etc. ut patet e tenore a. 18, nullam S. Sedis approbationem postulantis, et facultatem edendi, ad omnium fidelium usum, libros devotionis in quibus detur versio Ordinis Missae atque ipsius Canonis, ut respondit S. C. R. 4 Aug. 1877. (Coll. P. F. n. 1890) Sed quaedam publicandi licentiae altiori auctoritati reservantur. Nempe :

1° " Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis

auctoritatis licentia.„ (a. 17) Jamvero, juxta resp. S. C. Indicis 7 Aug. 1897, *competens auctoritas* hic non est intelligenda (ut quibusdam interpretibus visum erat) solus Ordinarius, sed ea auctoritas cui hujusmodi publicationes ante hanc Constit. etiam subjiciendae erant. Haec autem est Ordinarius, si agitur de edenda concessione alicujus indulgentiae vel summarii indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est, aut de summario ex auctoritate S. C. Indulg. jam vulgato, dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio ; si vero sermo sit de summario vel antea collecto, sed nunquam approbato, vel nunc primum e diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa S. C. Indulg. licentia. (S. C. Indulg. 22 Jan. 1858 ; Decr. auth. n. 383)

2° Ad edenda quae ad causas Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei utcumque pertinent, requiritur beneplacitum S. C. Rit. (a. 32)

3° Ad edendas collectiones Decretorum singularum Congregationum Romanarum (ex. gr. Collectaneam S. C. Ep. et Reg.) necessaria est licentia Moderatorum uniuscujusque Congregationis. (a. 33)

Obtenta legitima approbatione. publicandi licentia, quam Ordinarius in scriptis et omnino gratis concedere debet, in principio vel in fine operis imprimenda est (a. 40). Huic regulae, nostra sententia, satisfit etiamsi ipsa verba scriptae licentiae non imprimantur, modo clare exprimatur cujus Superioris approbatio obtenta fuerit : nam utroque modo finis regulae plene obtinetur, neque determinat lex licentiae tenorem esse de verbo ad verbum imprimendum. Insuper servandus a. 43 : " Nullus liber censurae ecclesiasticae subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ab causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit. „

Quodsi Ordinarius, peracto examine, censuerit librum non esse probandum ut jacet, esse tamen correctionis et expurgationis capacem, tenetur auctori denegatae licentiae librum publicandi rationes manifestare, prout 1 Sept. 1898 respondit S. C. Indicis.

Omissa debita imprimendi licentia, peccat quidem auctor vel editor, et etiam graviter, nisi de libello aliquo parvi momenti ageretur ; sed opus ipsum legere non prohibentur fideles, nisi sit ex iis pro quibus expresse dicitur, ut in a. 20 : defectu approbationis, induci prohibitionem. Cfr. n. 453.

460. III. Specialia praecepta viris ecclesiasticis imponuntur :

1° " Vicarii et Missionarii Apostolici decreta S. C. Prop. Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent. „ (a. 34) Nempe haec S. C.

decreto 6 Dec. 1655 (Coll. P. F. n. 1869) prohibuit ne ullus Missionarius Apostolicus, cujusvis praeeminentiae vel religionis, aliquod opus proprium vel alienum typis edat absque expressa ejusdem S. C. licentia: a qua lege exceptas tantum declaravit 28 Dec. 1770 (Coll. P. F. n. 1870) parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac preces quae fidelium usui quotidiano inserviunt. Lex ista ad illos tantum pertinet Missionarios qui a S. C. de Prop. Fide pendent et in locis missionum versantur. Solet etiam iis concedi sequens facultas: "Edendi libros sermone patrio Vicariatus praedicti, ita tamen ut S. Congregationi eorum librorum quos typis edet, exemplaria transmittat. „

2° " Regulares, praeter episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato cui subjacent obtinere. Utraque autem concessio in principio aut in fine operis imprimatur. „ Vid. Trid. (Sess. 4. Decr. de edit. et usu librorum) loquitur de solis libris s. Scripturae vel eorum commentariis, sed jampridem Clemens VIII (Instr. de impressione librorum, § 2) necessitatem utriusque facultatis ad quoslibet libros edendos extenderat. Licet enim ad decretum Tridentini appellet, defectus cujuslibet restrictionis in tenore hujus paragraphi et connexio cum § 1, in qua manifeste de omni libro edendo agitur, satis indicant Pontificem illum de quolibet libro agere voluisse. Nunc autem profecto Regulares utraque facultate indigent pro iis tantum libris ad quos edendos ceteris solius episcopi facultas necessaria est; in libris de argumento mere profano satis erit Regularibus sui Ordinis statuta servare, ut habet jampridem recepta consuetudo. Qui sint Regulares vid. Vol. II. n. 74.

3° " Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant. Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant. „ (a. 42) In priore parte hujus articuli, quae mere directiva videtur, non commendatur formalis approbationis petitio, sed operis conscribendi vel conscripti notitia Ordinario data ad ipsius consilium exquirendum. In posteriore parte, stricte prohibetur ne, absque praevia Ordinariorum venia, clericus moderandum suscipiat folium quodlibet sive quotidianum, sive periodicum. Hanc prohibitionem censemus non protendi ad moderandos libellos periodicos (revues), qui hic proprio nomine non recensentur, sed complecti etiam illum clericum qui reapse diarium moderaretur, licet alius moderatoris (rédacteur) titulum gereret.

TRACTATUS VIII.

DE JUSTITIA ET JURE.

SECTIO I. - DE NOTIONIBUS JUSTITIAE ET JURIS ET SPECIEBUS JURIS IN RE.

CAPUT I.

NOTIONES GENERALES JUSTITIAE ET JURIS.

461. DEFINITIO. Justitia *latius sumpta* multas habet significationes quas hic enumerare supervacaneum foret. Ita designat collectionem omnium virtutum (Matth. V, 6), statum gratiae (Rom. V, 17), actum vel habitum honestum (Matth. III, 15 ; Prov. VIII, 20), etc.

Justitia *sensu presso* definitur a S. Thoma (2. 2. q. 58. a. 1) : " Habitus secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum cuique tribuit. „ Hujus definitionis verba breviter explicabimus.

Voluntas illa dicitur *perpetua*, quia homo hac virtute praeditus, gerit propositum perpetuo justitiam conservandi ; *constans*, quia idem in hoc proposito firmiter perseverat. (S. Th. l. c.)

Verbum *cuique* indicat justitiae proprium esse " ut ordinet hominem in his quae sunt ad alterum. „ (2. 2. q. 57. a. 1) Et rationem addit S. Thomas : " Importat enim aequalitatem quamdam, ut ipsum nomen demonstrat ; dicuntur enim vulgariter ea quae adaequantur justari : aequalitas autem ad alterum est. „ Nititur ergo justitia distinctione unius hominis ab altero, dum caritas fundatur in conjunctione hominum inter se, seu illius qui diligit cum eo qui diligitur. Ideo nequit justitiae proprie dictae debitum intercedere inter filium et patrem, si considerantur pater et filius qua tales sunt : sic enim filius est aliquid patris. (S. Th. l. c. a. 4) Sed justitia proprie dicta inter eos intercedere potest si spectantur ut proximi seu duo homines.

Paulo fusius explicandum quid sibi velit illa vox **jus** quae. in data definitione, justitiae objectum designat.

Jus *latiori sensu* multipliciter accipitur. Praecipui sensus sunt : quidquid quovis modo bonum est et aequum ; — quidquid legi cuicumque conforme est ; — ipsa lex seu collectio legum : sic distinguitur jus naturale, civile, ecclesiasticum, etc. sensu explicato in tr. de Legibus c. VI. de lege naturali, civili, ecclesiastica, etc. ; — titulus quo res aliqua alii debetur, ex. gr. jus in patre ad filii obedientiam. (Ball. P. n. 15)

Sensus proprius juris duplex est : activus et passivus, quorum unus alteri est correlativus.

Jus *passive sumptum* designat id quod alteri debetur, ex. gr. domus, servitus, reditus. Ita in definitione justitiae adhibetur.

Jus *active sumptum* est moralis potestas ad aliquid habendum vel faciendum in commodum suum, nemine rationabiliter refragante. Hic praesertim attendenda verba haec : *in commodum suum ;* his enim discriminatur jus stricte dictum a quocumque alio jure latius sumpto. Ad quae intelligenda adverte cum Lugo (de Just. et Jure, disp. 1. n. 6) : " non quamcumque praelationem in ordine ad aliquam rem esse jus illud quod respicit justitia commutativa, sed praelationem qua in usu talis rei debet hic homo aliis praeferri, quia scil. propter peculiarem connexionem quam res habet cum eo, tota debet ad ejus utilitatem referri et ordinari : quae quidem ordinatio potissimum indicatur quando aliquid dicitur meum vel tuum. „ Discrimen clare patet exemplo servi et subditi. Ad actiones prioris herus habet jus stricte dictum, quia de his disponere potest, fere ut de pecunia vel cibo, in proprium commodum ; ad actiones autem posterioris princeps non habet jus illud quod fundat debitum justitiae stricte talis, quia subditi obedientia per se non ad utilitatem praecipientis, sed ad bonum subditi tendere debet.

Verba *nemine rationabiliter refragante* significant rem quae sit objectum juris ita esse mecum connexam ut, in ejus usu, reliquis omnibus praeferri debeam. Hinc etiam oritur facultas *coactiva* : nam parum me juvaret jus, nisi simul haberem facultatem arcendi eos qui quod meum est laedere conentur.

Jus igitur, ut bene scribit Van Gestel (de Just. et lege civ. p. 14), tria includit : « 1° Aliquid materiae instar quod utilitati habentis potest inservire. 2° Vinculum aliquod morale quo cum habente ita connectitur ut licite ipso uti possit. 3° Quum totum hoc sit objectum virtutis justitiae, quae est virtus ad alterum, hoc vinculum ad alios relatum in ipsis officium constituit quo vetantur vel rem illam destruere, vel imminuere, vel impedire quominus re pacifice frui possit ille cui jus est ad illam. „

Jus *active spectatum* distinguitur duplex : jus ad rem et jus in re.

Ut habeatur *jus ad rem* (quod etiam inchoatum vocatur), requiritur et sufficit justus titulus, vi cujus exigi possit rei possessio. Tale est jus ad solutionem debiti, jus ortum e testamento vel successione ab intes-

tato ante haeredis acceptationem. Hoc jus non tribuit actionem in rem, sed in personam quae debet rem dare vel non impedire quominus detur. 7 Per *jus in re*, quod et plenum nuncupatur, ipsa res nobis obligatur. Ad hoc autem semper requiruntur duae conditiones : prior, ut res existat ; sic nequit haberi jus in re quoad fructus nondum exstantes ; posterior, ut habeatur titulus legitimus, ex. gr. emptio, donatio ; sic jus in re minime habet qui rem alienam bona vel mala fide possidet. Plerumque etiam requiritur tertia conditio, nempe rei traditio. Haec tamen interdum a lege suppletur, ut in haereditatibus in quas jus in re per solam acceptationem acquiritur. (Ball. P. n. 50 seq.)

462. DIVISIO. Triplex distingui solet justitia cui competat data definitio, non tamen cum eadem perfectione : generalis seu legalis, distributiva et commutativa.

1° Justitia **generalis**, inclinat hominem ad reddenda communitati ea quae ipsi debentur, ex motivo boni communis procurandi. Haec dicitur generalis, non quatenus essentialiter idem esset cum omnibus virtutibus quae in bonum commune redundent, sed quatenus per influxum suum potest ordinare et imperare actus omnium virtutum ad bonum commune : eo modo quo caritas vocari potest virtus generalis in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum. Vocatur etiam *legalis*, quia per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune. Est autem " in principe principaliter et quasi architectonice, in subditis autem secundario et quasi administrative. „ (2. 2. q. 58. a. 6) Nempe legislatorem obligat ad leges ferendas quibus commune bonum procuretur, subditos ad easdem servandas. Igitur objectum ejus materiale sunt ea quae in commune bonum cedunt : objectum formale est honestas procurandi commune bonum. Solet autem haec virtus restringi ad procurandum bonum societatis perfectae : nam, licet detur virtus valde affinis qua inclinatur homo ad procurandum bonum societatis minoris, puta civitatis cujus pars sit, haec tamen justitiae generalis nomine designari non solet. (Lugo, de Just. et J. disp. 1. n. 66)

2° Justitia **distributiva** dividit commoda et onera communia debita proportione inter membra communitatis. Haec formaliter residet in Superiore ad quem solum pertinet commoda et onera communia distribuere. De proportione autem debita haec notat S. Th. (l. c. a. 2) : „ In justitia distributiva non accipitur medium secundum aequalitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas ; ut scil. sicut una persona excedit aliam, ita etiam res, quae datur uni personae, excedat rem quae datur alii. Et ideo dicit Philosophus, quod tale medium est secundum geometricam proportionalitatem, in qua attenditur aequale non secundum quantitatem, sed secundum proportionem.„

3° Justitia **commutativa** inclinat hominem privatum ad reddendum alteri privato, cum aequalitate arithmetica seu rei ad rem, id quod ipsi stricte debetur. Haec ordinat privatum ad privatum, sicut legalis ordinat privatos ad communitatem et distributiva communitatem ad privatos. Potest tamen nonnumquam intercedere justitia commutativa inter privatum et communitatem, sed tantum ubi communitas se habet ad instar privati hominis, ex. gr. possidendo aedificia, contractus ineundo, etc. Haec sola, in sensu stricto, nomine justitiae venit et in hoc tractatu simpliciter eodem vocabulo designatur. Ambae enim praecedentes species a notione justitiae stricte talis deficiunt : justitia quidem legalis, quia ejus termini non sunt ita distincti ut unus non sit aliquid alterius : civis enim, quamdiu in communitate manet, est vere ejusdem pars, ac proinde quod confertur in communitatem confertur etiam in eumdem civem ; justitia autem distributiva, quia jus quod respicit non est proprium et rigorosum : antequam enim distribuantur bona, datur in singulis tantum dignitas quaedam ad talem partem bonorum communium accipiendam, quae valde diversa est a jure stricto dominii quod quisque in rem suam habet.

N. B. Plures ponunt, quasi quartam justitiae speciem *vindicativam*, quae sontes propter commune bonum poenis congruis plectat. Rectius tamen haec ad unam e supradictis revocatur : ad legalem, quatenus quis talem punitionem, intuitu boni communis, procurat ; ad distributivam, quatenus servatur debita proportio inter scelus et poenam ; ad commutativam, quatenus judex ex officio ad hanc punitionem stricte obligatur.

Justitia *socialis*, quae saepe hodie allegatur, eodem sensu usurpari solet quo definita est justitia legalis. Attamen quandoque tam lato sensu adhibetur ut ea etiam officia complectatur quae ad distributivam justitiam referri solent, puta commoda et onera communia, juxta aequitatis normam, inter cives partiri.

463. Justitiae legali *regulariter* satisfit a privato qui bono communi non nocet legesque in bonum commune latas servat : plerumque enim commune bonum ab eo efficaciter procurari nequit nisi is qui communitatis perfectae curam habet omnium conatus, ope legis, in eumdem finem direxerit. Ad eamdem tamen virtutem pertinent actus quidam qui directe in utilitatem totius societatis sint exercendi, puta suffragatio ad designandos legislatores. (n. 359) Idem censemus de officiis quae commune bonum societatis imponit uni classi civium, puta heris, erga aliam, puta operarios. (n. 647)

Justitiae distributivae satisfit a Superiore, modo in distribuendis tum bonis, tum oneribus communibus, debitam proportionem inter personas

servet. Haec, perinde ac legalis, per se sub gravi obligat cum utriusque transgressio gravem inordinationem in societatem inducere queat. Eidem adversatur *acceptio personarum*, quae in eo est quod in distributione bonorum communium non attenditur ad eam conditionem quae personam reddat dignam bono quod distribuendum sit, sed ad alias personae qualitates quae ad illam dignitatem nihil conferant, puta amicitiam Superioris. Verum attende non fieri acceptionem personarum a privato qui bona sua confert indignis vel minus dignis, quia bona privata non debentur ex ordine justitiae dignioribus, ideoque nulla his fieret injuria. (Ball. P. n. 46) Quandonam in iniqua bonorum communium distributione laedatur justitia commutativa, dicetur n. 515. Eadem in distribuendis oneribus publicis, puta tributis, laeditur quoties subdito majus onus imponitur quam oportet, quia subditus jus strictum habet ne sibi auferantur bona propria nisi ea proportione quae bono communi requiritur. Cfr. n. 573. Non explicabimus hic singillatim quae officia implenda sint in distribuendis muneribus sive civilibus, sive ecclesiasticis, cum hujusmodi argumentum ad Jus civile vel ecclesiasticum magis quam ad theologiam moralem pertineat. Cfr. Lugo, disp. 34 seqq.

De justitia commutativa seu stricte dicta jugiter in toto hoc tractatu agemus.

464. QUAER. Quanta sit efficacia et obligatio legis civilis in materia justitiae.

RESP. 1° Jus Romanum jam in plerisque regionibus abolitum est ideoque omnem vim per se obligandi amisit. Plurimum tamen prodest ejus cognitio, tum ad intelligendum Jus civile hodiernum, quod saepe ex illo derivatum est, tum ad interpretandum Jus canonicum, quod se in multis dispositionibus ad Jus Romanum refert. Insuper theologo morali aliqua Juris Romani cognitio utilis, imo et necessaria est ad intelligendos AA. saeculo nostro antiquiores : quippe qui in materia justitiae quaestiones plurimas e Jure tunc vigente solverunt. Cavendum quoque ne nostris temporibus applicemus eorum solutiones quae unice innitantur positivis Juris Romani dispositionibus, jam omni vi obligante carentibus.

2° Ubi desunt Juris Canonici dispositiones, nostro tempore vigentes, recurrendum est ad legem civilem quae uniuscujusque regionis propria est. Ita in Belgio standum est Codici civili, qui, a Napoleone I conditus, saepe ab AA. *Jus Gallicum* vocatur. Attamen attendendum non paucos articulos per leges Belgicas correctos vel additos esse. In Stat. Foed. Americae multae leges pro variis Statibus variae sunt.

3° Ut determinetur quousque hodiernae leges civiles in materia justi-

tiae conscientiam obligent, distinguendum est inter leges quae proprietatem directe determinant et leges latas de actibus quibus proprietas ab uno cive in alium transfertur.

Priores leges *obligant in conscientia ante judicis sententiam.* Nam juste, pro utilitate communi, ab auctoritate competente feruntur, neque ulla sufficiens ratio apparet ob quam illarum termini non sumantur in sensu proprio, sed explicentur, cum paucis quibusdam AA., de jure quod servandum sit ubi judex appellatur. Hoc principium supponunt omnes AA. qui admittunt dimidiam partem thesauri in fundo alieno inventi dandam esse fundi domino, etiam ante judicis sententiam : quales sunt Molina, Lugo, Lessius, Ballerini, Lehmkuhl aliique plurimi allegati a P. Van Gestel. (op. cit. p. 156 seq.) Excipe :

a) Si qua lex civilis contraria esset legi naturali vel legi ecclesiasticae in materia de qua Ecclesia disponit jure proprio, non autem e mera concessione principum quam hodie jam non urgeat. Prius raro, posterius crebro contingit, cum soleant jura civilia hodierna nullatenus de sanctissimis Ecclesiae juribus curare.

b) Si constaret quamdam legem esse mere poenalem. Constare id potest vel ipsius argumenti natura, ex. gr. ubi lex thesaurum, in fundo alieno ex industria quaesitum, totum tribuit fundi domino (n. 484), vel e communi virorum timoratorum persuasione, qui talem legem tamquam mere poenalem habent. (n. 141)

De legibus regentibus actus quibus transfertur proprietas, dicetur n. 594.

CAPUT II.

DE DOMINIO.

§ 1. NOTIO ET DIVISIO.

465. DEFINITIO. Dominium, ut hic sumitur pro specie juris in re, definiri potest : Jus disponendi pro arbitrio de aliqua re tamquam propria, nisi aliunde dominus ab aliqua dispositione facienda prohibeatur.

Jus intelligitur proprie dictum, eo sensu qui explicatus est n. 461.

Disponere pro arbitrio significat : domino, *quantum ad justitiam commutativam pertinet*, integrum esse ut de re sua disponat prout placuerit, eam vendendo, donando, destruendo, etc. Attamen haec dispositio

saepe aliis virtutibus adversari poterit, puta caritati, pietati vel etiam justitiae legali. Neque umquam licitus esse potest usus dominii contrarius fini ob quem res temporales hominum usibus a Deo concessae sunt: is tamen abusus, puta per insanam prodigalitatem, *per se* levem culpam constituit.

Additur: *de re tamquam propria*, ut discriminetur dominium a *possessione* etiam legitima, quae tamen non dat jus disponendi de re tamquam sua, ex. gr. de equo conducto.

Tandem verba: *nisi aliunde ab aliqua dispositione facienda prohibeatur*, indicant plenam illam facultatem de re disponendi posse impediri ita ut dispositio sit illicita vel quandoque invalida. Id fieri potest per conventionem, testatoris voluntatem et praesertim per legem civilem. Plures restrictiones in usu dominii privati legibus civilibus factae in tract. de Justitia et Jure necnon in tract. de Contract. occurrent. Exemplo sit prohibitio minoribus facta alienandi bona sua sine quibusdam solemnitatibus jure statutis. Hi tamen plenum dominium servant: nam nullus alius habet in res minorum jus aliquod quo illorum dominium minuatur. (Lugo, disp. 2. n. 5) Facultas tales restrictiones apponendi Statui competit, eo quod exercitium juris civium ad privatum dominium ita moderari debet ut in communem utilitatem cedat. Philosophis Moralibus et Oeconomistis relinquimus curam determinandi intra quos limites haec facultas sit exercenda. (1)

Ab hac definitione non differt substantialiter ea quam in Jure Romano reperimus: " Dominium est jus utendi et abutendi re sua, quatenus juris ratio patitur. „ (L. 21. Cod. mandat.) Nam, ut communiter interpretantur Jurisperiti, *abuti* hic suam primariam significationem habet consumendi ipsam rei substantiam: quod elucet ex ejus oppositione ad vocem *uti* quae juridice sonat usum rei, salva ejusdem substantia. Cfr. Gousset, *Code civil comm.* ad art. 544. Idem intendit Codex civilis noster quando art. cit. jus proprietatis ita definit: " Jus fruendi et disponendi de rebus modo maxime absoluto, dummodo nullus usus fiat legibus vel statutis prohibitus. „ Quodsi hanc vocem *abutendi* cum quibusdam Jurisperitis intelligeremus de usu irrationabili, non magnum inde sequeretur incommodum. Nam, in Codice civili, jus intelligitur de facultate quam Status civibus concedit et contra aliorum usurpationem tuetur potius quam de facultate aliquid agendi, illaeso ordine morali. Jamvero Status officium non est impedire illos usus irrationabiles rei propriae qui neque privatis, neque bono communi *notabiliter* nocent, qualis solet esse usus rerum propriarum intemperans vel prodigus.

(1) Videsis artic. P. V. Pesch, in periodico *Stimmen aus Maria-Laach* (1 Jul. 1895) de officiis et limitibus juris proprietatis.

Tales igitur abusus lex civilis proprietario permittit, nulla poena vel impedimento apposito. Neque aliquid amplius a lege nostra intendi satis patet ex ultimis verbis quibus a dominii jure excipit usum legibus vel statutis prohibitum.

466. DIVISIO. I. Praecipue attendenda divisio in dominium *perfectum* et *imperfectum*. Perfectum est illud quod tum proprietatem seu substantiam rei, tum usum rei complectitur : imperfectum, quo dominium vel ad nudam proprietatem vel ad solum usum restringitur, et quod consequenter subdividitur in *directum* (nudam proprietatem) et *indirectum* (solum usum). Hinc manifestum est in his divisionibus, excepto tantum dominio perfecto, non reperiri nisi imminutas rationes dominii supra definiti.

II. Quidam AA. distinguunt dominium *humile*, quod privatis competat, et *altum*, quod competat Statui in bona privatorum. Attamen haec divisio apta est ad jura Status praeter veritatem augenda. Reapse auctoritati civili nullum dominium proprie dictum in bona privatorum competit, sed tantum facultas eas restrictiones exercitio juris proprietatis apponendi quas boni communis necessitas exigit. (n. 465) Hujus facultatis exercitium interdum usque eo progredi potest ut privati cogantur ad dominium rerum suarum in communem utilitatem abdicandum (expropriation forcée). In hoc casu, ne jura privatorum laedantur, servanda sunt sequentia :

1° Oportet ut hanc coactam cessionem dominii postulet *manifesta* necessitas, vel saltem utilitas publica.

2° Non licet hujus necessitatis vel utilitatis limites transire, ex. gr. cogendo privatos ad vendenda quae fini intento minime necessaria sint et quae deinde, cum lucro Status, municipii etc., iterum vendantur.

3° Praecipue damnum privatis illatum non tantum ex parte, sed, quantum fieri potest, *perfecte* compensandum est : id enim postulat aequalitas justitiae commutativae propria. Sic quando aedes, invito domino, emuntur, non sufficit ipsius aedificii pretium solvere, si dominus per illam coactam domicilii mutationem commercio lucrativo privatur. Cfr. Van Gestel, op cit. p. 121 seqq.

§ 2. DOMINII OBJECTUM ET SUBJECTUM.

467. Proprium dominii **objectum** constituunt ea quae dicuntur **bona fortunae** et sunt " illae res quae, extra hominem constitutae, humano usui inservire possunt atque ita illius potestati subjici ut alienam occupationem excludant. „ (Marres, de Just. l. 1. n. 11) Haec dividuntur :

1° In res *corporales* et res *incorporales*. Priores sunt quae sensibus percipiuntur ; posteriores quae intellectu tantum percipi possunt, ex. gr. hypothecae. Haec proprie *jura* nuncupantur.

2° In res *mobiles* et *immobiles*. Hujus divisionis sensum solent accurate tradere Codices civiles, quorum dispositiones omnino in conscientia servandae sunt, si quando hae voces in contractu vel in testamento occurrunt.

Juxta C. C. (a. 517), bona sunt immobilia vel *natura sua* vel *destinatione* vel *objecto cui applicantur*. Sic immobiles sunt natura sua, agri et segetes quae solo adhaerent (aa. 518, 520), destinatione, animalia fundo colendo addicta (a. 524), objecto cui applicantur, ususfructus rerum immobilium. (a. 526) Mobiles autem sunt vel *natura sua* ex. gr. animalia, scamna (a. 528), vel *legis determinatione* ex. gr. census perpetui vel temporanei. (a. 529) Hae subdividuntur in *fungibiles* seu quae usu consumuntur, ut triticum, pecunia etc. et *non fungibiles*, quae usu non consumuntur, ut libri, census.

Supponimus hic e Philosophia morali probatum : jus esse homini a natura datum ut possideat privatim tamquam suas res non tantum mobiles, sed et immobiles, quin et ipsum solum. Haec luculente contra Socialistarum commenta demonstrantur in Encycl. Leonis XIII de conditione opificum.

Similiter, juxta communiorem sententiam, homo perfectum dominium in famam suam habet. Quatenus peccare possit eam prodigendo, jam dictum est n. 424.

In seipsum autem, i. e. in animae facultates et corporis membra, homo dominium perfectum non habet, ut liquet ex iis quae de quinto Decal. praecepto dicta sunt nn. 361 seqq.

In alios autem homines pariter hoc dominio caret ; non repugnat tamen juri naturae unum in alterum habere dominium utile. Nihil enim inhonesti per se cernitur in eo quod unus jus habeat ad alterius operas, sive ad tempus, sive etiam in perpetuum. Nihilominus servitus perpetua innumeris malis et abusibus viam sternit : quare hodie, adnitente Ecclesia, in omnibus regionibus christianis abolita est. Semper vero illicitum fuit liberos homines sine justa causa, qualis esset belli necessitas vel sceleris punitio, invitos in servitutem redigere, ut fieri solet in commercio Nigritarum, quod plures RR. PP. acriter reprehenderunt.

468. Subjectum dominii proprie dicti capax est sola natura rationalis : unde prorsus incapacia sunt bruta vel alia entia inferiora.

Capacitas autem illa ad omnes homines extendenda videtur, etiam ad infantes vel perpetuo amentes. Quod postremum difficultate theoretica non caret, quia neutri possunt habere voluntatem accipiendi bona

vel de iis disponendi. Attamen communissime admittunt AA., etiam solo jure naturae spectato, utrosque esse dominii capaces, eo quod iis inest natura humana cum suis exigentiis et radicalibus facultatibus. Quodsi hae facultates per accidens ab exercitio suo prohibentur, id probat tantum necessarium esse ut huic defectui per curatores suppleatur. Ceterum omnium gentium juribus dominii capacitas ipsis agnoscitur.

Postquam ita generatim de dominio dictum est, in sequentibus paragraphis agetur de iis dominii speciebus quae praesertim quaestionibus moralibus locum praebent.

§ 3. DE DOMINIO FILIORUMFAMILIAS.

469. Filiifamilias, proprio sensu, intelliguntur ii qui vel legitimi sunt vel per subsequens matrimonium legitimati (C. C. aa. 331-333) et nondum sunt emancipati vel majores. (a. 372)

Emancipati sunt, juxta nostrum codicem, quicumque matrimonium contraxerunt (a. 476) vel qui, completis annis 15, a patre vel, hoc deficiente, a matre emancipantur (a. 477) ; similiter orphani, 18 annos nati, a consilio familiae emancipari possunt. (a. 478)

Minores sunt ad annum 21^{um} completum. (a. 388)

470. DISPOSITIONES JURIS.

Bona filiorumfamilias, ex Jure vigente, in duplicem classem dividuntur. Prior complectitur ea quae filii labore vel industria separata acquirunt aut quae ipsis legantur cum hac expressa conditione quod parentes eorum usumfructum non habebunt. (C. C. a. 387) In posteriore classe sunt omnia reliqua bona quae filius acquirit, puta legatis, donationibus, etc. (1)

Jamvero de horum bonorum dominio ita disponit Jus nostrum :

I. Bonorum prioris generis habet filiusfamilias tum dominium, tum usumfructum (a. 387) ; administratio tamen penes parentes vel tutorem est, donec ipse fiat major vel emancipatus. (aa. 389, 481)

(1) Ut intelligantur termini apud veteres AA. occurrentes, hic subjicimus distinctionem quae, e Jure Romano, inter bona filiorumfamilias vigebat. Vid. distinguebantur : castrensia, seu occasione militiae acquisita ; quasi-castrensia, seu e munere aliquo, puta medici, provenientia ; adventitia, quae scil. filio donata erant, non tamen intuitu patris, vel quae filius aliunde quam e bonis paternis lucratus erat ; profectitia, quae filio, intuitu patris, donata erant vel e bonis paternis proveniebant, ex. gr. ope negotiationis.

II. Bonorum posterioris generis filius habet quidem dominium, sed ususfructus cedit patri, vel, hoc deficiente, matri, donec ipse expleverit annos 18, nisi antea emancipetur. (a. 384)

471. QUAER. I. Quodnam jus filiisfamilias competat in laboris sui lucrum.

RESP. 1° Si filius aliquid lucratur sua tantum industria et labore, agendo ex. gr. fabrum lignarium, scriptorem, pictorem, etc., lucrum in ejus dominio est, sed debet :

a) Ex justitia, resarcire patri expensas quas in ipso alendo facit : pater enim non tenetur alere filium, propria bona habentem. Excipe si filius sit talis conditionis ut pater talem laborem rationabiliter ab eo exigere nequeat.

b) Ex pietate, subvenire gravi parentum vel fratrum ac sororum necessitati. (n. 352)

Propter hanc duplicem obligationem, plerique juniores opifices integrum salarium parentibus suis tradere debent. Excipe tamen, si quando majus stipendium quam plerique solent lucrarentur vel laborem aliquem plane extraordinarium assumerent, puta laborando ultra horas consuetas, die Dominica nuntios deferendo, etc., aut si parentes ultro consentirent ut liberi aliquam salarii sui partem sibi reservarent : quod tamen raro contingit ubi parentes tenuis sunt conditionis.

2° Quando filius negotiatur ex bonis paternis et patris nomine, lucrum ad patrem pertinet. Nam opera quam impendit in hac negotiatione est aliquid pertinens ad patrem, qui res suas per filios quos in potestate habet administrare potest. Verum ad filium spectat lucrum quod faciat labore prorsus extraordinario et indebito, vel negotiatione quam proprio nomine et periculo faciat cum bonis paternis, sibi concessis vel clam ablatis.

3° Probabilis videtur sententia quam, inter alios, tuetur Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 12. n. 81) : filium, qui gerit negotia patris, posse, deductis expensis quas pater facit in eo alendo, pro suo labore et industria, tantumdem accipere, quantum daretur extraneo, nisi intenderit gratis hanc operam suam dare.

Tres conditiones ibidem requirit Lessius : primo, ut filius protestetur se velle lucrari, quod tamen non est necessarium si forsan ob reverentiam patris id facere non audeat ; deinde, ut constet parentem non facturum esse per se, vel non inventurum esse qui gratis vel minoris id faciat ; tandem, ut usumfructum illius lucri non sibi vindicet ante suam emancipationem vel patris mortem. Haec sententia praesertim applicanda venit quando unus e filiis vel filiabus pro parentibus laborat, reliquis otiantibus vel industria separata sibi consulentibus ; aequitati enim

prorsus repugnat talem prolem optime merentem teneri ad carendum omni stipendio.

Caute tamen confessario agendum esse cum filiis qui occulte se compensare voluerint, monent DD. Ideo curandum ut, ubi id fieri poterit, aperta conventione cum parentibus sibi provideant. Post factam compensationem, facilius a restitutione facienda excusandi erunt.

De hac satis difficili quaestione cfr. Lugo, de Just. et J. disp. 5. sect. 2; Laymann, l. 3. tr. 4. c. 8. n. 12 ; Ball. P. n. 103 seqq. ; S. Alph. nn. 488 et 544 ; Lehmkuhl, I. n. 889 seq.

472. QUAER. II. Num peccent contra justitiam commutativam filii qui res sibi a parentibus concessas in usus vanos et inutiles adhibeant, ex. gr. recreationibus immodicis impendendo pecuniam sibi tributam ad alimenta comparanda vel studia peragenda.

RESP. Solutio pendet ab intentione parentum manifestata vel rationabiliter praesumpta. Si illi intenderunt dominium illarum rerum absolute in filios transferre, injuncto tamen mandato ut eas in talem usum honestum adhibeant filii, hi peccant tantum contra obedientiam. Si vero intenderunt parentes tales res unice ad hunc honestum usum concedere, neque ampliorem facultatem filiis facere, isti peccant etiam contra justitiam. Haec posterior hypothesis plerumque verificatur de pecunia, libris, vestibus. Ideo ad restitutionem per se tenentur filii quotiescumque per illas vanas expensas cogunt parentes ad plus in sui favorem expendendum. Saepe tamen, ut notat Lessius (l. c.), a restitutione excusantur, quia praesumere possunt parentes facile condonaturos esse, si filii rogare auderent.

Ubi vero ab aliis quam a parentibus quaedam tribuuntur, plerumque donatio fit absolute : quare si munera contra donatorum intentionem in usus vanos consumantur, prodigalitas committitur, non injustitia. Haec tamen admitteretur in casu satis raro quo donatio facta esset sub expressa vel tacita conditione ut munera unice ad aliquem determinatum finem adhiberentur.

§ 4. DE DOMINIO UXORUM.

473. DISPOSITIONES JURIS.

1° Societas conjugalis quoad bona sua regitur eo pacto quod a conjugibus initum est, antequam matrimonium contraherent ; lex supplet tantum defectum pacti privati. (C. C. a. 1387)

2° Si nullus specialis contractus initus est, vel si conjuges declarant

tantum se velle conjungi sub **regimine communitatis**, ipsorum bona reguntur regulis *communitatis legalis*, quas exponit C. C. aa. 1401-1497. Ex his praecipuas tantum hic recensebimus.

Bona communia constant : 1° E mobilibus quae conjuges possidebant cum matrimonium inierunt vel quae ipsis, durante matrimonio, obtingunt per successionem vel donationem, nisi donator contrarium expresserit. — 2° E fructibus et reditibus cujuscumque sint naturae quae, durante matrimonio, proveniunt vel percipiuntur e bonis quae ad conjuges pertinebant quando matrimonium celebratum est, vel quae ad ipsos, durante matrimonio, devolvuntur. — 3° E bonis immobilibus quae, durante matrimonio, acquiruntur, non tamen per donationem vel successionem. (C. C. a. 1401 seq.)

Maritus solus bona communia administrat ; ea vendere, alienare et in hypothecam tradere, sine uxoris interventu, potest. (a. 1421) Nequit tamen gratuito donare bona immobilia communia vel omnia mobilia aut partem eorum aliquotam, puta dimidiam. (a. 1422) Uxor vero de bonis communibus disponere nequit, nisi cum consensu mariti, vel, hoc absente, cum judicis venia. (a. 1426 seq.)

Quando communitas dissoluta est, morte, divortio etc., uxor vel qui ei succedunt habent jus eam acceptandi vel eidem renuntiandi. (a. 1453) Si communitatem acceptant, tum bona, tum debita inter maritum et uxorem dividuntur ea ratione quam explicat C. C. aa. 1467-1491. Si eidem renuntiant, omnia jura sua in bona communia amittunt, sed regulariter etiam debitis satisfacere non tenentur. (aa. 1492-1495)

Possunt conjuges varias moderationes huic regimini afferre, quod tunc *conventionalis communitatis* nomen prae se fert. (C. C. a. 1497) Saepe in praxi contrahunt conjuges ea conditione ut bona quaelibet quae hucusque possident, maneant singulorum propria, communitatem vero constituant bona quae acquirunt durante matrimonio e reditibus suis, labore vel titulo quolibet oneroso *(communauté d'acquêts)*. Cfr. C. C. a. 1498 seq.

Regimini communitatis favet codex noster, utpote magis conformi illi fiduciae quae inter conjuges vigere debet.

3° Duae sunt clausulae quibus conjuges possunt communitatem excludere, quin tamen se sub regimine dotali ponant. Prior est : se matrimonium inire *sine communitate*. Hujus vim declarat C. C. aa. 1530-1535. Posterior : se fore *quoad bona separatos*, quam clausulam explicat C. C. aa. 1536-1539.

4° Habetur praeterea **regimen dotale** cui codex noster minus favet et quod raro in Belgio initur. Huic subsunt tantum illi conjuges qui diserte in contractu matrimonii declarant velle se sub hoc regimine vivere ; ideo, ut eidem subsint, minime sufficit aliquam dotem esse ab

uxore ejusve parentibus constitutam, ut solet fieri sub quolibet regimine matrimoniali, per annuam pensionem aliamve donationem. (C. C. a. 1392)

Dotem constituunt quaecumque bona uxor marito suo affert ad onera matrimonii ferenda. (a. 1540) In regimine dotali, eam constituere poterit mulier ex omnibus bonis suis vel ex parte tantum, prout voluerit. (a. 1542) Horum bonorum dotalium administrationem et usumfructum solus maritus habet, durante matrimonio. (a. 1549) Exceptis quibusdam casibus lege determinatis, bona dotalia immobilia nequeunt alienari vel hypothecae subjici neque a marito, neque ab uxore, neque ex utriusque consensu. (a. 1554)

Paraphernalia censentur quaecumque bona uxoris non fuerint in dotem constituta. (a. 1574) Horum administrationem et usum habet uxor; sed nequit ea alienare vel eorum ratione in judicio se sistere sine mariti consensu aut, eo recusante, sine judicis licentia. (a. 1576) (1)

474. REGULAE PRACTICAE.

1° Uxor, sub quocumque regimine vivit, jus habet ad honestam sustentationem pro conditione sua. Etiamsi nulla bona marito suo attulit, iste censendus est, per contractum matrimonialem, onus alendae uxoris suae in se assumpsisse. (Lehmk. I. n. 895) Sustentationem autem ingrediuntur non tantum necessaria ad victum et vestitum, sed etiam moderatae eleemosynae, munera et recreationes. Cavendum tamen ne haec jura extendantur ultra ea quae mulieres timoratae ejusdem conditionis facere solent.

2° Quae ad suam familiaeque suae sustentationem necessaria sunt, non tenetur uxor semper diserte a marito postulare, cum non sit serva, sed socia, ideoque aliquam partem in administratione rei oeconomicae sibi vindicare possit. Ideo, si maritus irrationabiliter quaedam necessaria recusat vel justam petitionem moleste laturus praevidetur, poterit uxor ea etiam clam subducere. A fortiori, id posset facere de usufructu bonorum quae non sint ipsi cum marito communia, sed ipsius propria, ut sunt immobilia quae communitatem non ingrediuntur.

(1) Sub Jure Romano triplicis speciei erant bona uxoris: dotalia, quae scilicet in potestate mariti constituebantur ad alendam familiam; — paraphernalia, quae uxor praeter dotem sibi servabat; — communia, quae aliqua ratione ad virum simul et ad uxorem pertinebant. In dotalia uxor habebat solum dominium directum; in communia, una cum marito, proprietatem et usumfructum; in paraphernalia, sola plenam potestatem, etiam administrandi, habebat. Hinc quae DD. sub Jure Romano scribentes, tradunt de bonis paraphernalibus, applicanda sunt bonis quorum dominium plenum et administrationem uxor habet; quae de dotalibus docent, conveniunt bonis quorum solum dominium directum habet uxor; quae de communibus, referantur ad bona quae ad conjugalem communitatem pertineant.

3° Uxor potest bona quaedam abscondere quibus sibi et proli provideat, si maritus prodigus bona communia dilapidat. Posset etiam occulte supplere ea quae maritus negligit in debita familiae administratione, ex. gr. pecuniam transmittere ad filium qui, ex voluntate patris, studeret vel laboraret extra paternam domum, neque sufficientem summam ad convenientem sustentationem a patre acciperet. (Lugo, de Just. et J. disp. 16. n. 68)

4° Non raro occurrunt dubia de facultate quae competat uxori succurrendi parentibus suis vel filiis e praecedente matrimonio susceptis et in gravi necessitate constitutis, seu misere secundum statum suum viventibus. Quae fusius de hoc argumento tradit Lugo (disp. cit.), compendio exhibet Lehmkuhl. (I. n. 896) Nempe :

a) Si mulier habet bona quorum administratio libere ad eam pertineat, nequit, sine consensu mariti, ampliores donationes facere e bonis communibus quam consuetas eleemosynas.

b) Si talia bona non habet, potest ex aliis bonis communibus vel mariti sui illorum necessitati subvenire. Cum enim socia sit mariti sui, videtur ipsi jus esse ut maritus hoc onus commune e bonis suis ferat, sicut ferre deberet si ipsius parentes aut filii prioris matrimonii indigerent. In hoc tamen casu ab aliis eleemosynis faciendis abstinere debet conjux.

c) Generatim non videtur uxor, defuncto marito, teneri ad computandas eleemosynas, e bonis communibus factas, in partem dotis recuperandae vel bonorum communium quae ipsi obtingunt. Ad id tamen teneretur , si donationes multum excederent consuetas eleemosynas ; siquidem ad talia subsidia extraordinaria, e bonis suis danda, maritus non videtur obligari posse quando uxor bona quaedam, saltem quoad nudum dominium, possidet.

Quod autem hic de succurrendis parentibus et filiis dicitur, plures probabiliter ad fratres et sorores extendunt (S. Alph. n. 542), neque abhorret Lugo. (l. c. n. 72)

5° Maritus procul dubio laedit justitiam commutativam si dissipat bona uxoris paraphernalia vel ipsius dotem, aut si bona communia ea ratione alienat quae ei a lege civili prohibeatur,ex.gr. si immobilia titulo gratuito donat. Si autem aliis modis eadem bona communia dissipat, omnes quidem consentiunt eum peccare contra caritatem et officium quod habet ea bona in utilitatem communitatis adhibendi. Sed non omnino convenit inter AA. num insuper laedat justitiam commutativam.

Aliqui, ut Carrière (de Just. I. n. 276) et Gury (I. n. 556), saltem probabilem existimant sententiam negativam. Ratio eorum est quod, durante matrimonio, maritus lege civili constituitur bonorum communium dominus, ita ut, quibusdam casibus exceptis, ea etiam alienare possit ; uxori vero conceditur tantum jus petendi communitatis dissolu-

tionem, ut se a mariti prodigalitate tueatur. Plerique tamen sententiam affirmativam omnino tenendam esse opinantur, ex. gr. Baller. (nota in l. c. Gury), Waffelaert (de Just. t. I p. 101). Rationem afferunt valde stringentem : clare in ipso codice civili bona haec dici *communitatis* (a. 1421), quorum maritus solus administrationem habeat. Uxor ergo, etiam durante matrimonio, jus proprietatis in bona communia servat : quare maritus, ea dissipando, laedit ejus jus strictum et consequenter justitiam commutativam. Nihil autem in contrarium concludi potest ex eo quod lex civilis denegat actionem uxori contra maritum qui ita bona communia dissipaverit. Nam multae sunt obligationes in conscientia quibus lex actionem coram tribunalibus denegat ne lites, cum damno familiarum, multiplicentur : quod in praesenti argumento facile contingeret. Huic posteriori sententiae astipulamur.

§ 5. DE DOMINIO CLERICORUM.

475. NOTIONES. Solent AA. bona clericorum in quadruplicem speciem distinguere :

1° *Patrimonialia*, quae clericus tamquam persona privata, quocumque titulo possidet, ex. gr. ex haereditate paterna, e munere profano quod gerit.

2° *Ecclesiastica*, quae ipsi e reditibus beneficii ecclesiastici dantur.

3° *Quasi-patrimonialia* (quasi-ecclesiastica, casualia), quae ipsi, occasione sacrarum functionum, ex. gr. Missae vel concionis, tribuuntur in stipendium seu eleemosynam.

4° *Parcimonialia*, quae clericus, parcius vivendo, retinet e reditibus beneficii quos rationabiliter in sustentationem suam impendere potuisset.

Jamvero de omnibus his bonis, exceptis iis quae stricte ecclesiastica sunt, clericus liberrime, sicut quivis alius civis, disponere potest. Si qui peculiares limites ipsi apponuntur, id unice oritur ex obligatione scandali vitandi vel modestiae clericalis, juxta sacros canones, servandae. Sed nulla lex ecclesiastica affertur quae directe hunc liberum usum impediat. Quae igitur dominio clericorum peculiaria sunt, unice respiciunt bona ecclesiastica. Hodie autem in multis regionibus, ut Belgio et Gallia, bona ecclesiastica, quae beneficiatis alendis reditus suppetebant, a gubernio vel privatis directa sunt. Quare merito dubitari poterat num clerici in iis locis hujusmodi bona ecclesiastica ad suam sustentationem haberent : quippe qui e pensione quam gubernium tribuit et e bonis casualibus vitam sustentare soleant. Nihilominus S. Poenit.(19 Jan. 1819 et 19 Aug. 1821) respondit pensionem quae parochis et canonicis a

gubernio Belgico vel Gallico solvitur, induere rationem beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum. Non videtur tamen idem dicendum de supplemento quod interdum sacerdotibus a parochiis seu municipiis datur, neque de pensione quae parochorum adjutoribus tribuitur. Nam, deficiente quavis declaratione S. Sedis, haec potius secundum naturam suam dijudicanda sunt. Jamvero supplementum istud a gubernio tantum dari *permittitur* : quare non stricte locum tenet beneficii, sicut pensiones proprie dictae. Parochorum autem coadjutores antiquitus per se non habebant beneficium, sed a parocho cui auxilium praestabant remunerandi erant : quare eorum pensiones hodiernae nequeunt haberi quasi beneficii locum tenentes. Tandem nullatenus inter bona ecclesiastica computandae sunt spontaneae fidelium oblationes, neque probabilius pensio annua quae detur e locatione scamnorum vel aliquo fundo ecclesiae adjacente, ut fit quandoque in Stat. Foed. Amer. (Sabetti, n. 362) : nam in neutro casu reditus e vero beneficio ecclesiastico hauriuntur.

476. ASSERTA. I. Clerici e bonis suis proprie ecclesiasticis sumere possunt quidquid ad honestam sustentationem requiritur. Hoc autem *sustentationis* nomine venit quidquid moraliter necessarium est ad victum, vestitum, recreationes et convivia moderata ipsorum clericorum, ad stipendium famulorum vel famularum, etc. In his determinandis, ratio habenda est variae dignitatis clericorum et rationis qua, in singulis regionibus, clerici paris conditionis et timoratae conscientiae expensas suas moderari solent. Cfr. Laymann, l. 4. tr. 2. c. 3. n. 2. Hoc autem jus ad sustentationem e bonis ecclesiasticis hodierna disciplina certo agnoscit etiam iis clericis quibus opulentum suppetit patrimonium. (Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 2. n. 2)

II. Clerici sub gravi tenentur in pauperes aliave opera pia erogare quae sibi e bonis ecclesiasticis, detracta honesta sustentatione, supersint. Haec obligatio multis canonibus (Decret. Gratiani, causa 12. q. 1. et Conc. Trid. Sess. 25. de ref. c. 1) edicitur et a nemine in controversiam vocatur. (Bened. XIV, l. c. n. 5) Attamen, ut graviter contra illam legem peccetur, requiritur quantitas multo major quam in furto. (S. Alph. l. 4. n. 491)

Plurimum autem inter DD. controvertitur num haec obligatio oriatur e justitia commutativa et consequenter num teneantur ad restitutionem clerici qui eam violaverint. Affirmantem tenent plerique, praesertim antiquiores, innixi canonibus qui bona ecclesiastica vocant *patrimonium Christi, patrimonium pauperum*, quorum proinde clerici sint meri administratores, et textibus Patrum qui *furti* et *rapinae* reos faciunt

clericos expendentes reditus ecclesiasticos in profanos usus. Negantem vero propugnant multi et magni nominis AA. ut Lugo, Lessius, Sylvius, Molina, etc. Hi argumentum ducunt e Trid. Sess. 23. de ref. c. 1, ubi decernitur beneficiarios, qui e loco beneficii sine legitima causa diu absunt, suorum beneficiorum fructus "non facere suos.„ Hinc, argumento quod *a contrario* dicitur, deducunt beneficiarios qui residentiae leges servant facere fructus suos, quod idem est ac verum eorum dominium acquirere. Locutiones autem Patrum vel canonum quibus malus usus redituum ecclesiasticorum injustitiae arguitur, non improbabiliter comparant similibus reprehensionibus quae ab iisdem in divites male utentes superfluis proferuntur: quas oratoriae exaggerationi tribuendas et de injustitia late dicta explicandas esse certo constat. Ideo, in praxi, obligatio restituendi urgeri nequiret ; nec facile de peccato gravi arguendi essent qui bona ecclesiastica a clericis dono acciperent. (Lugo, de Just. et J. disp. 4. n. 48 seqq.) Insuper, cum ista obligatio probabilius non sit realis, nihil ex ea transit ad haeredes qui forte a clerico bona ecclesiastica acceperint. Ceteroquin, ubi tam exigua sunt bona ecclesiastica, ut quae, in regione nostra, parochis et canonicis tamquam pensio solvuntur, jam vix ad praxim facit praedicta lex canonica.

§ 6. DE DOMINIO AUCTORUM.

477. Auctoris nomine venit imprimis qui librum conscripsit ; deinde etiam alii qui aliquid ingeniose composuerunt, ut rythmum musicum, picturam, machinam operi cuidam peragendo aptam.

Quaestio de auctorum juribus tractari potest, tum de jure naturae tantum, tum (quod magis practicum est) de jure quoque positivo. Utrumque simul considerabimus.

I. Quamdiu auctor opus suum nulla ratione juris publici fecerit, dubium non est quin, etiam spectato jure naturali tantum, nemo possit sine stricta injustitia illud, invito auctore, publici juris facere, ex. gr. typis edendo opus manuscriptum, secretum fabricationis propalando quod quis tantum e communicatione ab auctore facta vel per fraudem cognoscit. Ratio est, quod homo jus habet in opus ingenii sui et consequenter in fructus qui inde colligi possint. Recte notat Ball. P. (n. 14) duplex jus in auctore violari posse : 1° Jus ne quid vulgetur magis quam ipse velit ; 2° Jus ad lucrum quod e vulgatione sperari possit. In restitutione facienda hoc alterum unice erit attendendum.

Dubium moveri posset num jam censendae sint juris publici lectiones ab aliquo professore traditae, conciones ab oratore habitae et similia.

Videtur autem omnino negandum : quare ab eo qui talia typis vulgaret, invito professore aut concionatore, facienda esset restitutio ea ratione qua supra dictum est. (Ball. P. l. c. ; Lehmk. I. n. 905) Nam per talem communicationem non videtur auctor cedere jure quod habet in foetum proprii ingenii et consequenter in fructus quos per editionem lectionum vel concionum obtinere possit. Excipe, nisi consuetudo vel consensus aliquem ampliorem usum licitum faceret. (1) Haec autem solutio videtur servanda, etiamsi foliis autographicis, ut aiunt, opus jam paucis communicatum est : haec enim folia supplent tantum privatam scriptionem. Quodsi codex autographicus cuilibet venalis prostitit, jam idem dicendum ac si opus typis publicatum esset.

II. Quando auctor aliquod opus suum typis edidit, *saltem e lege positiva* omnium fere gentium excultarum, jus strictum habet ne idem opus suum **in eadem natione** ab alio, sine consensu suo, iterum typis edatur. Neque dubium ullum est quominus hae legis stipulationes in conscientia servandae sint : siquidem jura civium determinant ea ratione quae plene cum aequitate naturali et bono communi conveniat.

Si autem *solum jus naturae* spectatur, duplex datur sententia. Alii (ut Ball. P. n. 115 ; Lehmk. n. 904 seq.) censent manere auctori jus strictum ne opus suum ab alio excudatur, quia, dum istud typis mandavit, unice consensit in usus qui sibi non praejudicent, qualis esset descriptio privata : alii (ut Buccer. de Just. n. 33) arbitrantur laedi tantum aequitatem, minime vero strictam justitiam, quia opus, semel publice editum, fit entis proprietas, ita ut de illo ad quoscumque usus per se licitos disponere possit. Praeplacet prior sententia quando agitur de prima libri editione, ne scil. ullus possit idem opus typis recudere ita ut auctor et bibliopola damnum patiantur in lucro convenienti quod ex hac publicatione rationabiliter sperent. Ultra hos limites videtur non constare de jure stricto, sed omnia legi positivae determinanda relinqui. (2) Ita fere Waffelaert, de Just. t. I. n. 171. Similis solutio applicanda est reproductioni statuarum, imaginum photographicarum et similium, quae auctore inscio vel invito fiat.

478. III. Pariter, *spectato jure naturae tantum,* controvertitur num justitiam commutativam laedat qui opus, in una regione typis manda-

(1) Ita solent statuere etiam leges civiles. Cfr. legem Belgicam 22 Martii 1886, a. 10.

(2) Cfr. legem Belg. cit. a. 2. quo jus opus typis mandandi asseritur auctori per totam vitam et ejus haeredibus per 50 annos ab auctoris obitu.

tum, **in alia regione** iterum typis edat. Attamen, qui pro jure stricto e lege naturali oriundo stant, facilius concedunt non esse faciendam restitutionem quando altera editio, invito auctore, fit in regione valde dissita : quia vix impedietur auctor quominus lucrum conveniens percipiat. Si autem exstant *pacta conventa* inter plures nationes, haec certe in conscientia obligant. Talis conventio inita est 9 Sept. 1886 inter Belgium, Germaniam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Italiam, etc.

IV. Si quis, sine consensu auctoris, ederet **versionem** ipsius operis in alia lingua, magis dubium fit num, spectato jure naturae, justitiam commutativam laedat. Nam minus solet auctori nocere ; lucrum autem quod translator percipiet saepe ipsius tantum labori in translatione facienda respondebit. Solent tamen jus versiones edendi auctori reservare leges civiles : quae certo, utpote aequissimae, in conscientia obligant. (1)

N. B. Leges civiles interdum fructus magis remotos auctori tribuunt. Ita, e lege Belgica (a. 24), si quis in concentu publico rythmum musicum, sine auctoris consensu, exhibeat, pars emolumentorum quae inde percepta fuerint tribuitur auctori *reclamanti*. Tales tamen ordinationes, ex ipso tenore legis et communi civium aestimatione, videntur non obligare in conscientia ante judicis sententiam.

CAPUT III.

DE DOMINII ACQUISITIONE.

479. " Deus generi hominum donavisse terram in communi dicitur, non quod ejus promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. „ (Leo XIII, Const. *Rerum novarum*) Ideo quaerendum est qua ratione res in privatum alicujus dominium veniant. Haec autem ratio seu titulus dominii acquirendi multiplex esse potest. Videntur autem omnes illi tituli ad quatuor reduci posse, quos singillatim considerabimus : 1° ad occupationem ; — 2° ad accessionem ; — 3° ad praescriptionem ; — 4° ad contractum. Hic tamen ultimus titulus ad specialem tractatum remittetur, in quo etiam dicetur de titulis qui aliquam affinitatem cum contractibus habent, nempe de successione haereditaria et testamentis.

(1) Cfr. legem Belg. cit. a. 12.

§ 1. DE OCCUPATIONE.

480. DEFINITIO. Occupatio est apprehensio rei corporalis, quae sub nullius dominio sit, animo eam sibi acquirendi. (Ball. P. n. 118) Requiritur ergo :

1° *Res corporalis* quae scil. dominii objectum esse possit (n. 467) et capax sit proprie dictae apprehensionis, quae cadere nequit in jura incorporalia.

2° Ut illa res *sub nullius dominio* sit. Nam si res jam habet dominum, alius titulus requiritur ut mea fiat. Notandum autem non esse proprie nullius bona quae lex civilis dominio publico addicit, quia privato domino vacant, ex. gr. bona defuncti qui nullum post se haeredem relinquit.

3° *Animus rem faciendi suam.* Ita qui domum derelictam occuparet unice ut ibi pernoctaret, eam tali apprehensione non faceret suam; si vero eam occuparet animo stabilem sedem in ea figendi, apprehensio apta fieret ad dominium acquirendum.

4° *Effectiva rei apprehensio* quae, pro rei occupandae natura, sufficiat ut quis eam rem in suum commodum adhibere possit, puta si quis solum nullius in agrum vel pascua convertat, si animal quod libere vagabatur sub suam potestatem redigat, etc.

Quadruplicem occupationis speciem considerare juvat : occupationem animalium, inventionem thesauri, inventionem rerum amissarum, occupationem bonorum derelictorum seu vacantium.

Punctum I. — De occupatione animalium.

481. Solent Theologi Morales animalia occupanda dividere in tres species : 1° *Silvestria* seu *fera* vocant ea quae natura sua, etiam in praesenti rerum conditione, libere vagantur, quales sunt per se pisces, lepores, aquilae, leones. — 2° *Mansuefacta* dicunt ea quae hominum industria naturalem feritatem exuunt et hominis consortio assuefiunt, quales sunt columbae, apes, simiae, etc. — 3° *Mansueta* dicuntur quae hominum societati ita assuefacta sunt ut, quasi natura sua, domesticis usibus inserviant, ex. gr. equi, canes, gallinae, etc.

ASSERTA. I. Animalia **mansueta** semper manent in dominio illius ad quem pertinent. Ista enim extra hominis dominium vivere non solent; neque abrumpitur vinculum quo cum domino suo constringuntur, solo facto evadendi ipsius custodiam, sicut neque aliae res amis-

sae cessant esse domini. Excipe tantum si, in regionibus silvestribus, facta sint omnino efferata.

Ideo numquam occupari possunt tamquam res nullius, sed per se semper cum fructibus suis domino restituenda sunt.

II. Animalia mansuefacta pertinent ad dominum quamdiu, moraliter saltem, sub ejus potestate manent. Ideo, si ejus custodiam evaserint, vel aberraverint, nequeunt ab alio occupari quamdiu manet domino spes rationabilis ea recuperandi, sive quia sponte ad eum redibunt, sive quia ipse, sine magna difficultate, ea per se vel per alios iterum apprehendere potest. Fiunt autem primi occupantis quando pristinam suam libertatem fuga recuperarunt. (Lugo, de Just. et J. disp. 6. n. 41) Hinc :

1° Columbae, quae ita in alio columbario sedem posuere ut consuetudinem ad pristinum dominum redeundi amiserint, transeunt in dominium illius ad quem columbarium pertinet. Injuste tamen fraudes et artificia ad eas in proprium columbarium alliciendas adhiberentur, nisi consuetudine fieret ut omnes licitum putarent columbas ad se quibusvis artibus allicere. (Lugo, l. c. n. 43) Attamen, quia talis consuetudo raro viget, confessarius debet monere poenitentes ne ullam industriam ad columbas alienas alliciendas adhibeant, cum inde graves dissensiones et odia enasci soleant, ut scite advertit Lehmkuhl. (I. n. 912) Cfr. C. C. a. 564. Columbas autem alienas occidere licet, si graviter agris nocent, nec facile alio medio damnum averti potest. Ratio desumitur non tantum e necessitate damni in futurum cavendi, sed etiam e jure obtinendi compensationem pro damno jam allato : quae plerumque aliter obtineri nequit, cum columbarum dominus vel ignoretur vel de damno illato convinci nequeat, saltem sine magno incommodo. Saepe in lege civili *praesumuntur* columbae graviter nocere tempore sementis et messis.

2° Examen apum nequit ab alio occupari quamdiu in alveario domini manet, vel, etiamsi apes avolaverint, quamdiu manet domino spes probabilis examen recuperandi. Juxta Cod. rur. Belg. (a. 14), proprietarius habet jus examen iterum apprehendendi quamdiu non desiit illud sequi vel repetere; secus fit primi occupantis, vel, hoc deficiente, ejus qui proprietatem vel usum habet illius loci in quo resedit.

482. III. Animalia **silvestria** sunt nullius, ideoque fiunt primi occupantis, donec nativa sua libertate fruuntur vel ubi eamdem recuperaverunt. Recuperasse autem libertatem censenda sunt, cum pristinus dominus jam nequit ea, sine magna difficultate, iterum apprehendere. Sic enim abrumpitur unicum vinculum quo cum ipso connexionem habent.

Hinc deducitur hujusmodi animalia laqueo capta illius esse qui

laqueum posuit; animalia, ita vulnerata vel a cane correpta ut jam aufugere nequeant, esse illius qui ea vulneravit vel canem in eadem immisit; pisces nassa captos esse illius qui nassam posuit. Nam in his tribus casibus res nullius moraliter saltem apprehenditur.

Attamen, si quis instrumentum quodvis ex. gr. laqueum, nassam, in fundo alterius, sine consensu domini collocavit, dominus autem animalia capta extrahit, probabilius eadem ad dominum pertinent : quippe quae inter fortuitos fundi fructus computari possint. (Struggl, tr. 6. q. 2. n. 33) Insuper, non esset improbanda consuetudo quae alicubi vigeret, ut ferae vel pisces censeantur illius qui primus ea *plene* apprehendat. Frustra enim bona fides perturbaretur; deinde, propter consuetudinem, fit quaedam compensatio inter varios casus; nec res ipsa, e jure naturae, est adeo perspicua. (Gousset, Theol. Mor. t. I. n. 700)

483. Praeterea quaedam de **venatione** et **piscatione**, ad forum conscientiae spectantia, statuere expedit. Nempe :

1° Probabilius per se nulla ratione peccat qui venatur aut piscatur contra legis civilis prohibitionem, sive debitam facultatem non coemit, sive tempus aut instrumenta eadem lege prohibentur. (S. Alph. l. 1. n. 145) Non peccat contra justitiam commutativam : siquidem animalia quae capit erant nullius et a nemine realiter apprehensa, ut supponitur. Neque contra obedientiam peccat, cum recepta consuetudo hujusmodi prohibitiones tamquam mere poenales habeat, nec commune bonum strictiorem obligationem requirat. Per accidens peccare possunt praesertim ii qui crebro illicitae venationi operam dant, ob pericula gravis damni cui se et familiam exponunt, vel ob propositum se tuendi, etiam per apertam vim, contra silvarum custodes.

Hoc autem verum manet, etiamsi jus venationis vel piscationis alicui concessum est, ceteris exclusis. Hoc enim jus intelligendum est eadem ratione qua accipitur monopolium pro certis mercibus alicui concessum. Nempe, sicut privilegium exclusivum vendendi certas merces non facit ut negotiatio ab aliis facta adversetur justitiae commutativae, ita nec jus illud exclusivum piscandi aut venandi dat alicui jus strictum ad omnes feras et pisces illius dominii. (Lugo, disp. 6. n. 69) Reparanda tamen foret laesio juris quae fieret per venationem nimis frequentem aut intempestivam, ex. gr. quo tempore ferae prolem procreant, si ita notabiliter minueretur valor juris ad venationem instituendam. Similiter dicendum de piscatione qua pisces notabiliter minuerentur vel penitus tollerentur. (Struggl, l. c. n. 36)

2° Neque peccant per se qui in fundo alieno non clauso venantur aut piscantur. Ratio est, quod animalia quae aufugere possunt, non versantur in potestate domini fundi ideoque, tamquam res nullius, primi occu-

pantis fiunt. Quod verum est, etiamsi ferae vel pisces in silva vel stagno posita sunt a domino : is enim, dum sivit ea pristinam libertatem recuperare, implicite simul dominio suo renuntiavit.

3° Attamen peccant contra justitiam commutativam et ad restitutionem praedae tenentur qui animalia occidunt vel capiunt, jam sub dominio domini illius fundi posita. Patet ratio : haec jam non erant nullius.

Ut autem animalia habenda sint tamquam sub dominio domini alicujus fundi posita, duae conditiones concurrant oportet.

Prior, ut animalia non tantum in loco clauso versentur e quo exire nequeant, sed ut etiam facile a domino capi possint. Ex. gr. ferae quae in silva satis exigua, muro circumdata, continentur vel pisces natantes in piscina quae facile exhauriri possit. Ob rationem contrariam, manent nullius ferae quae vagentur ex. gr. in magna insula ad duas vel tres leucas extensa, pisces in magno lacu natantes ita ut possint facile retia effugere.

Posterior, ut dominus aliquo modo ea apprehenderit. Nam animus acquirendi dominium semper est necessarius. Hic tamen facile habebitur, praesertim ubi non loci natura, sed humana industria, animalia ita inclusa fuerint. Cfr. Lugo, l. c. n. 72 seqq.

Punctum II. — De inventione thesauri.

484. Thesauri nomine in Codice nostro (a. 716) venit omnis res abscondita vel infossa cujus proprietatem nemo sibi vindicare potest et quae plane fortuito invenitur.

Haec ultima verba non exprimunt conditionem essentialem, sed modum ordinarium quo thesaurus invenitur et cui soli lex favere intendit. Duae ergo sunt conditiones omnino requisitae :

1ª Ut res fuerit *hominis manu abscondita*, in re etiam mobili, ut armario, vel terrae infossa. Nullatenus ergo thesauri instar habendae sunt divitiae quae, natura ipsa, in aliquo fundo jacent, ex. gr. venae metallicae vel carbonicae, quae, juxta multos Codices modernos, ad fundi dominum pertinent (C. C. a. 552) ; nec statua vel sculpti lapides terra obruti proprio sensu thesauri sunt.

2ª Ut dominus illius rei *nulla ratione agnosci possit.* Nec refert utrum jam a longo tempore, ut plerumque fit, an nuper res abscondita fuerit.

Invenire thesaurum dicendus est qui primus eum visibilem effecit, sive per se, sive per operarios *ad hunc finem* conductos : non autem qui jam patefactum primus vidit aut manu apprehendit, siquidem neuter eorum sensu presso rem absconditam usibus humanis reddidit, quod

proprie sonant verba *invenire thesaurum*. (Ball. P. n. 193 ; Waffel. de Just. t. I. n. 188) Nulla autem realis apprehensio praeter inventionem, saltem ex jure positivo, videtur requiri : cum lex civilis nullam aliam conditionem praeter inventionem requirat. (Laurent. Cours élém. de Droit civ. t. 2. n. 4)

Spectato tantum jure naturali, videretur thesaurus totus tribuendus esse illi a quo inventus est, cum sit res nullius ideoque primi occupantis. Nihilominus cum aliae rationes, praesertim praesumptio dominii favens proprietario fundi in quo thesaurus reperitur, aliam solutionem suadeant, convenit inter AA. jus esse penes leges civiles hanc quaestionem dirimendi easque leges in conscientia, etiam ante judicis sententiam, obligare, iis exceptis quae in poenam delicti latae sint. (n. 463) Jamvero juxta Codicem civilem nostrum (a. 716) :

1° Totus thesaurus est illius qui eum in proprio fundo invenit.

2° Si *casu* in fundo alieno invenitur, dimidia pars cedit inventori, dimidia proprietario fundi.

Hoc applicandum est non solum quando reperitur in fundis stricte privatis, sed etiam quando reperitur in iis qui ad Ecclesiam vel Statum, ad normam privatae personae possidentem, pertinent, ex. gr. in agro vel aedificio quod in Ecclesiae vel Status dominio sit, nec publicis usibus permittatur. Attamen, juxta probabilem sententiam quam tuentur Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 5. n. 63), Waffelaert (de Just. J. n. 190), etc. thesaurus qui reperiretur in loco omnium usibus patente; ex. gr. in platea vel via publica, in ecclesia ad nullos privatos pertinente, totus cederet inventori. Potiorem hujus sententiae rationem censemus quod, in isto casu, deficit praesumptio in favorem Ecclesiae, Status vel municipii quod istius loci dominium habeat.

3° Si thesaurus *ex industria* in fundo alieno quaesitus et inventus est, totus tribuitur fundi domino. Ita colligitur e verbis legis civilis (a. 716) quae, ut praevaleat jus inventoris supra jus occupantis fundum, requirit ut res abscondita *casu* detegatur. Attamen, cum lex ista videatur lata in poenam illius qui, inscio vel invito domino, in fundo ejus investigationes peregit, poterit inventor, ante judicis sententiam, dimidiam thesauri partem sibi retinere. Si quis autem novit in aliquo agro vel domo latere thesaurum, potest agrum illum vel domum emere pretio communi, nihil dicendo de thesauro qui ibi lateat. Etenim justum rei pretium e *communi* hominum aestimatione desumitur. In hac autem non crescit valor agri vel domus propter thesaurum qui communiter ignoratur. Idem dicendum de vena metalli latente, etc. (Lugo, disp. 6. n. 126)

Punctum III. — De inventione rerum amissarum.

485. 1° Certum est rem amissam manere domini qui eam involuntarie amisit, quamdiu rationabilem spem habet illam recuperandi : sic enim manet moralis connexio inter ipsum et rem suam.

2° Qui invenit rem amissam, ex. gr. crumenam in via jacentem, tenetur *ex caritate* ad curam illius suscipiendam, quando aliter res peritura vel a fure subripienda praevidetur.

3° Postquam rei amissae curam suscepit, inventor *ex justitia* tenetur tum ad rem custodiendam, tum ad dominum inquirendum. Hujus obligationis fundamentum est quasi-contractus quem, rem amissam apprehendens, tacite init cum illius domino, vid. negotium ejus curandi sicut illud curaret ipse dominus. Is enim rationabiliter invitus esset quominus res, sine tali obligatione, apprehenderetur.

Hinc contra justitiam peccant non solum illi qui rem inventam temere destructioni vel ablationi exponunt, sed illi quoque qui eamdem abscondunt ne a domino inveniri possit, vel qui ne mediocrem quidem diligentiam adhibent ut dominum detegant. Quanta debeat adhiberi diligentia, id e rei inventae valore, loci consuetudine, etc. mensurandum est. Generatim satisfactum erit nuntio in publicis ephemeridibus inserto, quando sat magnus rei valor tale medium adhibendum esse suadebit. (Ball. P. n. 150) Acquirit autem inventor strictum jus ut sibi rependantur expensae quaecumque in domino quaerendo factae ; ad ampliorem vero mercedem jus strictum nullum habet, licet eadem ex aequitate, et, facta promissione, etiam ex fidelitate debeatur.

4° Si, facta sufficienti diligentia, non videtur jam possibile ut dominus compareat, inventor probabilius rem sibi retinere potest. Ratio est quod in eo casu evanuit omnino possessio prioris domini : quare res, sine probabili spe recuperandi amissa, recidit in eumdem statum in quo erat antequam ullus eam apprehendisset, Ita Lugo (de Just. et J. disp. 6. n. 104), S. Alph. (l. 4. n. 603), etc. Ideo tamquam merum consilium proponendum est quod quidam AA. in eo casu opinantur, scil. rem inventam in pios usus impendendam esse ut ita, spiritualiter saltem, prosit domino cui jam temporaliter prodesse nequit. Nam, sublato dominii fundamento, non est cur voluntas praesumpta prioris domini attendatur ; insuper merito praesumi posset velle illum ut res a se amissa fiat inventoris in praemium diligentiae adhibitae ad dominum quaerendum. (Struggl, tr. 6. q. 2. n. 24)

5° Quodsi dominus compareret postquam inventor rem aliis tradidisset, distinguendum foret utrum hic eam titulo gratuito an oneroso alienasset. Si enim rem gratis dedit, ex. gr. pecuniam pauperibus distri-

buendo, dominus nihil ab eo repetere potest: siquidem sine culpa talem donationem fecit, bona fide existimans dominum jam non esse compariturum, nec quidquam loco rei alienatae accepit. (S. Alph. l. 4. n. 590) Verum si rem titulo oneroso alienavit, reddere debet domino id quo factus est ditior, cum eam ita aequivalenter adhuc habeat. Videndum tamen num forte per praescriptionem in ejus dominium transierit. E legibus nostris videtur dominus rem suam ab ipso inventore repetere posse per 30 annos. Cfr. n. 492.

Punctum IV. — De bonis derelictis vel vacantibus.

486. Utraque haec bona sunt nullius: priora, quia dominus illa sponte a se abdicavit, puta fructus qui post frugum perceptionem in arboribus relinquuntur; posteriora, quia, moriente domino, nullus habetur haeres vel quia haeres juri suo renuntiavit. Ex Jure nostro (C. C. a. 539), ad fiscum pertinent bona vacantia et eorum qui sine haerede moriuntur vel quorum successioni renuntiatur. Sed haec dispositio, juxta usum receptum et multorum jurisperitorum interpretationem, spectat tantum ad bona immobilia vel ad haereditates vacantes; in reliquis bonis mobilibus salvum manet jus primi occupantis. Cfr. Carrière, de Just. et J. n. 285. Cavendum ne tamquam bona derelicta occupentur merces quae naufragio ad littus appulsae fuerint, saltem quamdiu naufragis aliqua spes manet eas recuperandi.

§ 2. DE ACCESSIONE.

487. Accessionis jus illud est quod dominus alicujus rei, sive mobilis, sive immobilis, acquirit in ea omnia quae hac re producuntur vel eidem, sive natura, sive arte, accessorie uniuntur. (C. C. a. 546) Complectitur ergo varios modos secundarios proprietatem acquirendi. Breviter de singulis.

I. Accessio per rei productionem.

Plenum dominium secum trahit jus ad rei fructus. Quare ad dominum spectant fructus soli tum naturales, seu sponte e terra nati, tum industriales, seu per culturam producti; — fructus civiles, ut pretium locationis domus, foenus pecuniae, etc.; — animalium augmentum et foetus. (C. C. a. 547) Quodsi nascitur animal e coitu animalium quae ad diversos dominos pertinent, foetus cedit domino feminae, ex vetere axiomate, quod cum naturali generationis ordine plane congruit: *Partus sequitur ventrem.*

II. Accessio in bonis immobilibus.

1° Per *aedificationem, plantationem, sationem.* Regula generalis est, dominium soli secum trahere dominium eorum quae in eodem aedificantur, plantantur, seruntur; quae si, spectatis materia et labore, ad alium pertinebant, facienda erit compensatio.

Speciatim de eo qui in suo fundo materia aliena aedificavit, disponit C. C. (a. 554) solvendum esse materiae adhibitae pretium, domino tamen materiae nullum jus esse ad destruendam aedificationem. Si quis vero materia sua in fundo alieno aedificavit, C. C. (a. 555) distinguit utrum mala an bona fide aedificaverit. Qui mala fide in fundo alieno aedificavit, cogi potest a domino fundi ad aedificium suis sumptibus auferendum; quodsi maluerit dominus aedificium sibi retinere, pretium materiae et laboris solvere debet. Qui vero bona fide egit, ad aedificationem tollendam cogi nequit; domino autem fundi optio relinquitur ut pro aedificio quod acquirit solvat vel pretium materiae et laboris, vel valorem augmenti quod ex illa structura fundo accesserit. Similiter distinguendum est, ubi quis plantat vel serit in agro alieno.

2° Per *alluvionem.* Hac ratione domini agrorum fluviis adjacentium acquirunt proprietatem augmenti quod, aquarum recessu vel terra allata, paulatim eorum agris accedit. Si quando, vi subita, magna pars hujusmodi agri avelleretur et cum alio agro conjungeretur, dominus partis avulsae jus suum per annum vindicare posset. (C. C. aa. 556, 559)

488. III. Accessio in bonis mobilibus.

Praecipua regula est ut ad aequitatem naturalem attendatur, quae jubet ut neuter dominus detrimentum patiatur. Ita C. C. (a. 565), qui tamen varias regulas, tamquam exempla, ad omnes casus solvendos proponit. Sunt autem praecipuae:

1° Si duae res ad duos dominos pertinentes unitae sunt ad aliquod totum constituendum, ex. gr. gemma annulo aureo inserta, licet ab invicem separari possint, tota res pertinet ad dominum rei praecipuae; is tamen alterum indemnem facere debet. Sed si res accessoria, ex. gr. gemma annulo inserta, multo majoris pretii est quam principalis et, domino inscio, usurpata fuit, potest dominus exigere ut, a re principali avulsa, sibi reddatur. (C. C. a. 566 seqq.) Haec vocatur *adjunctio.*

2° Si quis materiam alienam adhibuit ad rem alius speciei efficiendam, ex. gr. corium ad calceos conficiendos, dominus materiae jus habet ad rem ita effectam, sed pretium laboris solvere debet. Attamen, si labor valore multum excederet materiae pretium, ex. gr. si quis eximius pictor colores alienos ad tabellam pingendam adhibuisset, artifex rem sibi retinere posset, dummodo materiae pretium domino solveret. (C. C. a. 570 seq.) Haec dicitur *specificatio.*

3° Si qua res effecta est miscendo materias ad plures dominos pertinentes ita ut nulla ex his tamquam principalis spectari possit, commixtae autem ab invicem separari possunt, jus est domino, quo inscio commixtio facta est, ad divisionem petendam. At si jam sine incommodo separari nequeunt materiae mixtae, ambo commune mixtionis dominium habent pro quantitate, qualitate et valore materiae quae ad singulos spectat. Ut autem suum cuique tribuatur, vel publice vendenda est mixtio, vel reddenda materia aut pecunia valore aequivalens rei quae, inscio domino, alteri mixta est. (C. C. a. 573 seqq.) Haec dicitur *mixtio*.

§ 3. DE PRAESCRIPTIONE.

489. Praescriptio est modus acquirendi dominium vel se liberandi ab aliqua obligatione per certum temporis lapsum et sub conditionibus lege determinatis. (C. C. a. 2219)

Hinc distinguuntur praescriptio acquisitiva et praescriptio liberativa : de quibus, cum diversas sequantur regulas, juvabit sejunctim dicere.

Punctum I. — De praescriptione acquisitiva.

490. Ut hac praescriptione dominium in foro conscientiae acquiratur, requiruntur quinque conditiones : res praescriptibilis, possessio, titulus, bona fides, tempus legitimum. De singulis quaedam notabimus.

I. Res praescriptibilis. Talis est quaecumque res pretio aestimabilis, corporalis vel incorporalis, quae dominii privati objectum esse possit. (n. 467) Ideo praescribi nequeunt res vel jura quae ad publicum Status vel municipiorum dominium pertinent, ex. gr. viae et plateae ; praescribi vero possunt bona quae a Statu vel municipiis, privatorum instar, possidentur, ex. gr. agri vel domus quae sint in Status dominio. (C. C. a. 2226 seq.) Similiter a laicis praescribi nequeunt res sacrae, quae solemniter Deo consecratae et usibus sacris addictae sunt, ex. gr. ecclesiae, calices, etc. Eaedem tamen a clericis vel, si exsecratae fuerint, etiam a laicis praescriptione acquiri poterunt, siquidem, in his casibus, legitime possideri possunt. Cfr. Canonistas l. 2. Decr. t. 26 explicantes.

II. Possessio. Haec definitur (a. 2228) : " Detentio vel fruitio rei vel juris quod tenemus vel exercemus per nosmetipsos vel per alium qui nostro nomine rem tenet vel jus exercet. „

Varias autem qualitates possessio illa habere debet ut praescriptioni fundamentum praebeat, vid. ut sit (a. 2229) :

1° *Continua* seu non interrupta. Interrumpitur autem praescriptio vel *naturaliter*, quando possessor diutius quam per annum rei fruitione privatur, vel *civiliter* per citationem coram judice significatam ei quem quis impedire velit ne praescribat. De his plura v. C. C. aa. 2242-2250. Nec confundatur praescriptionis interruptio cum ejusdem suspensione. Quaenam autem causae in jure nostro ejus cursum suspendant, exponit C. C. aa. 2251-2259.

Non interrumpitur autem praescriptio per translationem ejusdem rei ab uno possessore ad alium. Ideo poterit semper simul computari totum tempus per quod plures possessores bona fide rem possedere.

2° *Pacifica*, ita ut nullus alius, qui se proprietarium esse contendat, conetur rem vel jus possessori per vim auferre.

3° *Publica*, i. e. ratione minime clandestina possessionem suam exercendo, sed ita ut quicumque voluerint, eam advertere potuerint.

4° *Non aequivoca*, quales forent actus proprietarii exerciti ab eo qui rem indivisim cum aliis possideret, et postea iis actibus inniteretur ut se solum rei dominum probaret.

5° Cum *animo proprietarii*, seu animo habendi rem ut suam. Ideo numquam praescribere possunt qui rem titulo precario detinent, ut usufructuarii, depositarii, etc.

III. Titulus, seu causa quae de se apta sit ad dominium acquirendum, ex. gr. donatio, emptio, sed occulto vitio laboret ob quod hunc effectum non pariat, ex. gr. quia venditor vel donator non erat rei emptae dominus. Hic titulus dicitur *coloratus* et plerumque requiritur, excepta praescriptione 30 annorum de qua infra.

491. IV. Bona fides. Haec in eo sita est quod " existimatio mentis correspondet animo, ut, sicut habes animum possidendi ut tuum, sic judices illud esse tuum. Mala vero fides e contra est quando discordat judicium mentis ab animo : judicas enim non esse tuum vel non judicas esse tuum, quod vis possidere ut tuum. „ (Lugo, de Just. et J. disp. 7. n. 16) Hujus conditionis necessitas clare apparet ex jure naturali : siquidem qui non existimat rem quam possidet esse suam, nequit eam sine injuria tamquam suam habere, sed tenetur eam noto domino reddere vel ignotum quaerere. Ideo Conc. Lat. IV edixit : " Synodali judicio definimus ut nulla valeat, absque bona fide, praescriptio tam canonica quam civilis. „

Requiritur ergo ad bonam fidem judicium non necessario speculativum, sed saltem practicum, rem utpote nostram, licite a nobis possideri. Quare, si quis sine ullo dubio inchoavit possessionem, postea autem supervenit dubium num res possessa sit aliena, manet in bona fide et

praescribere potest, dummodo diligentiam debitam faciat ad veritatem investigandam, quamvis, facta investigatione, dubium perseveret. Ratio est quod, cum in dubio melior sit conditio possidentis, non debet se propter solum dubium spoliare possessione quam bona fide inchoaverit. At si ab initio dubitatur utrum res sit nostra an aliena, non licet possessionem inchoare, alium possessione sua privando. (Lugo, l. c. n. 18 ; S. Alph. l. 4. n. 504)

QUAER. Num mala fides prioris possessoris impediat ne praescribat qui rem possessam bona fide ab eo acceperit, ex. gr. per haereditatem.

RESP. 1° Profecto non est admittenda illa mala fides in antecessore nisi de ea certo constet : siquidem nemo censetur malus donec probetur.

2° Mala fides prioris possessoris impedit quominus res ab ejus successore praescribatur, quando is ei succedit tamquam haeres seu ex titulo universali. (n. 671) Ratio est, quod haeres ita repraesentat personam defuncti ut in omnes ejus obligationes et onera succedat, consequenter etiam in obligationem restituendi rem vero proprietario et damna ei illata resarciendi. (Lugo, l. c. n. 60) Probabiliter tamen, propter universalissima verba C. C. a. 2262, mala fides antecessoris non impedit quominus exstinguantur omnes ejus obligationes per possessionem haereditatis cum bona fide per 30 annos. (Gury, I. n. 590) Similiter jam non nocet mala fides antecessoris haeredi mediato, utpote qui nulla ratione censeatur personam mediati antecessoris repraesentare, licet multi, ex. gr. S. Alph. (n. 512), contrarium tamquam probabilius tueantur. Ceteroquin, ut advertit Ball. P. (n. 308), in praxi casus vix locum habebit, quia plerumque occurret praescriptio longissimi temporis.

3° Mala fides antecessoris non impedit quominus praescribat successor particularis : quo nomine intelligitur quicumque non succedit ut haeres vel titulo universali, puta per donationem inter vivos, contractum onerosum, legatum particulare. Nam nulla exstat ratio ob quam, cum bona fide et titulo, rei dominium acquirere nequeat, cum nullatenus induat antecessoris personam sicut haeres. (Lugo, l. c. n. 58)

492. V. Tempus legitimum. Scilicet :

1° Omnia bona tum immobilia, tum mobilia, dummodo praescriptibilia sint, acquiri possunt possessione 30 annorum. Ita deducitur ex C. C. a. 2262, qui tamen directe de praescriptione liberativa procedit. Lex, post tantum temporis intervallum, nullum requirit titulum : quod etiam in conscientia servari potest, dummodo adsit bona fides. Titulus nempe ab ipsa lege, ob pacificam tanti temporis possessionem, adfuisse praesumitur. (Gury, I. n. 583)

2° Res immobilis justo titulo acquisita praescribitur 10 annis, si verus proprietarius habitat in illo territorio curiae regiae in quo ipsa res praescribenda sita est ; non praescribitur nisi 20 annis, si idem proprietarius in territorio alius curiae regiae habitat. (C. C. a. 2265 seq.) Hoc autem in Belgio intelligendum deterritorio curiarum appellationis Bruxellensis, Gandavensis et Leodiensis.

3° Res mobilis quam quis bona fide acquisivit ab eo qui non erat illius dominus, sine ullo temporis lapsu fit acquirentis, ex. gr. utensilia apud aliquem deposita et ex errore alii vendita. Ita interpretantur Jurisperiti verba satis obscura C. C. a. 2279 : " In mobilibus possessio est pro titulo. „ Ibidem additur : dominum rei amissae vel furto sublatae posse eam repetere per tres annos ab eo in cujus manibus versatur ; is tunc recurrere poterit contra eum a quo rem accepit. Attamen ab eo qui rem furto sublatam vel amissam emit in nundinis, in licitatione vel a mercatore qui res ejusdem speciei vendere solet, dominus rem suam repetere nequit, nisi soluto pretio quod ipse possessor alii solvit. (a. 2280)

Quae leges ut melius intelligantur, notare juvat sequentes conditiones requiri ad a. 2279 applicandum :

a) Ut possessor titulo non precario, sed proprietatis possideat. Ideo, si res amissa vel furto sublata adhuc id manibus furis vel inventoris versatur, is nequit se hujusce legis beneficio tueri. Actio contra talem possessorem non praescribitur nisi 30 annis.

b) Ut adsit bona fides, quippe cui soli legislator favere intenderit.

c) Ut agatur de mobilibus corporeis, quibus tamen assimilantur credita, quae dicuntur " *effets au porteur* „, quia eadem facilitate ac merces corporeae vendi et emi solent. Cfr. Laurent, Élém. de Droit civil, t. 4. n. 711 seqq.

d) Cum in his legibus nullum temporis spatium requiratur, non agitur in iis de praescriptione proprie dicta, sed de translatione dominii ob difficultates saepe orituras si res mobilis esset, per interventum judicis, pristino possessori reddenda. Minime tamen denegat legislator ei qui injuste laesus fuerit actionem contra laedentem.

Utrum illae dispositiones in foro conscientiae servari possint an unice denegent actionem illi qui rem suam coram judice repetere vellet, controvertitur. Eas acriter aggreditur Ballerini (nota ad Gury, I. n. 586) ; sed probabilius eas etiam in foro conscientiae valere tuentur plerique recentiores, ut Gury (l. c.), Waffelaert (de Just. t. I. n. 249), Van der Moeren (de Just. p. 61), etc. Ratio est, quod legislator civilis videtur potuisse talem translationem dominii facere ad favendum securitati commercii rerum mobilium et stabilitati pactorum, neque ullo argumento stringenti probatur laedi jus prioris domini sine congrua compensatione. Plurimae difficultates evanescunt si non solus textus legis

inspicitur, qui vere obscurus est, sed simul interpretatio quam e doctrina jurisperitorum accepit. (1)

Punctum II. — De praescriptione liberativa.

493. Quae de possessione et titulo dicta sunt inter conditiones praescriptionis acquisitivae, in praescriptione liberativa practice cum bona fide confunduntur, ut notat Waffelaert. (l. c. n. 250) Quare tres tantum conditiones ad hanc alteram praescriptionis speciem requiruntur : debitum praescriptibile, bona fides, tempus legitimum.

I. Debitum praescriptibile. Nempe oportet ut nulla lex civilis (ut a. 328) vel divina aut ecclesiastica obstet quominus debitum exstinguatur.

II. Bona fides. Haec in eo consistit quod debitor credit se nihil debere vel invincibiliter debitum ignorat. Non praescribit vero qui, etiam sine peccato, longo tempore solutionem debiti differt. (Lugo, de Just. et J. disp. 7. n. 49) Practice haec bona fides vix reperiri potest in primo debitore, facilius in eo qui primi obligationibus succedit.

Si quis autem, ex conventione vel poena, tenetur tantum ad pecuniae summam solvendam creditori vel judici poscenti, non autem ad eam sponte offerendam, videtur praescribere, si, per tempus legitimae praescriptioni statutum, nihil ab eo exigatur. Bona autem fides, in hoc casu, consistit in judicio practico quo existimat se non debere solvere antequam exigatur, et interim posse servare pecuniam debitam ut suam. (Lugo, ib. n. 50)

494. III. Tempus legitimum. Scilicet :

1° Omnes actiones, tam reales quam personales, per 30 annos praescribuntur. (C. C. a. 2262)

Hanc praescriptionem, modo cum bona fide conjuncta sit, valere etiam ad debitum in foro conscientiae exstinguendum, nemo ambigit. Si mala fide omissa fuisset tanto tempore debiti solutio, negaretur quidem actio in foro externo, sed maneret obligatio in conscientia. (n. 491)

2° Per quinque annos praescribuntur ea omnia quae singulis annis vel terminis periodicis brevioribus solvi solent, ut foenus pecuniae commodatae et alia quae enumerantur in C. C. a. 2277. Praecipue intendit legis-

(1) Quae a Ballerini opponuntur fuse refutavit Ill. D. Waffelaert, *Étude de Théol. mor. sur l'obligation en conscience des lois civiles*, pp. 241-257.

lator impedire ne praestationes annuae multiplicatae civium facultates exhauriant.

Talis praescriptio probabilius in foro conscientiae valet, dummodo adsit bona fides. Haec autem in primo debitore vix adesse potest. Ideo ejus usus restringitur ad primi successores, etiam titulo universali, ut plures censent. (Waffelaert, l. c. n. 255)

3° Recensentur in C. C. nostro quaedam praescriptiones quae *brevissimi temporis* dici solent. Ita per sex menses praescribitur *actio* magistrorum et institutorum in scientiis vel artibus pro lectionibus quae singulis mensibus compensari solent, hospitum et obsonatorum pro hospitio vel cibo praestito, operariorum pro salario suo. (a. 2271) Per annum praescribitur actio medicorum pro visitationibus suis, chirurgorum pro operationibus, pharmacopolarum pro medicinis, mercatorum pro mercibus quas vendiderint iis qui non sint mercatores, etc. (a. 2272)

Ex ipso tenore legis patet hic non exstingui debitum, sed denegari, ad plurima incommoda vitanda, actionem coram tribunalibus. Quod luculente confirmatur a. 2275, quo edicitur eos quibus tales praescriptiones opponantur, posse deferre opponentibus juramentum quo asserant se reapse debito satisfecisse.

4° Si a viduis vel haeredibus postulatur solutio quorumdam debitorum quae defunctus contraxisse dicatur, judex iis imponere potest ut jurent hoc debitum a se ignorari. (a. 2275) Hoc juramentum iidem praestare possunt dummodo non habeant rationem moraliter certam existimandi hoc debitum fuisse contractum, necdum solutum. Quodsi postea deprehenderint se errasse, quidam (Waffel. I. n. 256) existimant eos in rigore jam non teneri ad solvendum, quia lex verisimiliter nihil aliud postulat ad praescribendum quam tale juramentum bona fide elicitum. Attamen contrarium verius opinamur : siquidem, ut ita exstingueretur debitum naturale, requireretur clara dispositio legis, quae hic certe desideratur; neque etiam apparet quomodo talis exstinctio debiti juste statui posset, cum nulla ratione boni communis honestaretur.

N. B. In liberativa praescriptione applicanda sunt ea quae supra (n. 490) dicta sunt de praescriptionis interruptione vel suspensione.

§ 4. DE USUFRUCTU, USU ET HABITATIONE.

495. Usufructus est jus fruendi rebus, quarum alius dominium habet, eadem ratione ac dominus ipse, sed cum onere earum substantiam servandi. Hoc jus quandoque per legem statuitur, ex. gr. usufructus patris in pleraque bona filiorumfamilias (n. 470) ; quandoque inducitur per voluntatem humanam, puta per donationem, testamentum, etc. (C. C. a. 578 seq.)

Jura usufructuarii determinat C. C. aa. 582-599. Praecipua sunt :

1° Usufructuarius jus habet in omnes fructus, tum naturales, tum industriales et civiles, quos producere potest res cujus usumfructum habet. (a. 582)

2° Fructus qui in arboribus pendent vel solo adhaerent quando incipit ususfructus, ad usufructuarium pertinent : qui vero in eadem conditione versantur quando ususfructus cessat, fiunt proprietarii. (a. 585)

3° Fructus civiles, qualia sunt pretia locationis praedii vel domus, per dies singulos acquiri censentur et ad usufructuarium spectant pro ratione temporis quo ususfructus duravit. (a. 586)

4° Si ususfructus complectitur res quae usu consumuntur, ex. gr. pecuniam, frumentum, liquorem, tenetur usufructuarius ad res ejusdem valoris vel earum pretium, cum cessabit ususfructus. restituendum. Res vero quae paulatim usu vilescunt, ut linteamina, non tenetur reddere nisi in eo statu in quem, per usum legitimum, deciderunt. (aa. 587, 589)

5° Usufructuarius potest jus suum locare, vendere vel titulo gratuito donare. (a. 595)

Obligationes usufructuarii praecipuae sunt (C. C. aa. 600-616) :

1° Usufructuarius tamquam bonus paterfamilias frui debet (a. 601)

2° Tenetur tantum ad eas reparationes quae semper requiruntur ne res pessumdentur (réparations d'entretien) ; quae vero majoris sunt momenti (grosses réparations) a domino solvendae sunt. (a. 650)

3° Usufructuario incumbunt etiam onera annua fundi quo fruitur, qualia sunt tributa et cetera quae, ex consuetudine, censentur onera fructuum. (a. 608)

Cessat vero ususfructus variis modis quos C. C. enumerat a. 617, ex. gr. morte usufructuarii, lapsu temporis pro quo concessus est, interitu totali rei cui adhaeret, etc. Propter abusum, non cessat nisi post sententiam judicis (a. 618)

Eadem ratione oriuntur et cessant jura *usus* et *habitationis*. Horum amplitudo determinatur per titulum quo stabilita sunt. Neque locari, neque alienari possunt nisi in titulo id fuerit concessum. Qui usum fundi habet, nequit ex ejus fructibus sibi vindicare nisi quod ipsius ejusque familiae necessitatibus sufficiat ; similiter ei qui jus habitationis accepit licet tantum occupare quod necessarium est suae ac familiae suae habitationi. Uterque frui debet tamquam bonus paterfamilias. (aa. 625-636)

§ 5. DE SERVITUTE.

496. DEFINITIO. Servitus in Jure nostro (C. C. a. 637) definitur : Onus impositum uni fundo pro usu et utilitate fundi ad alium dominum

spectantis. Haec dicitur servitus *passive sumpta*. Hinc oritur servitus *active sumpta* seu jus quod dominus, ratione fundi sui, habet ad hanc utilitatem ex alieno fundo obtinendam. Nomine autem fundi hic intelligitur quaecumque res corporalis, natura sua immobilis.

DIVISIO.

1° Ratione originis, servitus potest esse *naturalis, legalis* vel *conventionalis*. (a. 639)

Naturales sunt servitutes quae ex ipsa locorum dispositione oriuntur. Ex. gr. fundi situ inferiores debent excipere aquas quae sponte a superioribus defluunt. (a. 640)

Legales sunt eae quas lex propter utilitatem publicam vel privatam imponit. (a. 649) Harum objectum sunt viae quae relinquendae sunt in ripa rivorum quibus naves vehi possunt (chemin de halage), muri vel fossae intermediae et similia.

Conventionales sunt eae quae, e libero consensu dominorum, uni fundo in alterius favorem imponuntur. (a. 686)

2° Ratione modi quo exercentur, distinguuntur :

a) Continuae et *non continuae*. Continuae eae sunt quarum usus est vel esse potest continuus, nullo hominis actu interveniente, ex. gr. aquaeductus, cloaca, prospectus, etc. Non continuae sunt eae quae, ut exerceantur, actuali hominis interventu indigent, qualia sunt jura transeundi, hauriendi aquam, etc. (a. 688)

b) Apparentes et *non apparentes*. Apparentes sunt eae quae operibus exterioribus, ex. gr. fenestra, aquaeductu, manifestae fiunt. Non apparentes, quae nullo exteriori signo manifestantur, ex. gr. prohibitio aedificandi in aliquo fundo vel supra altitudinem determinatam. (a. 689)

3° Ratione rei immobilis in cujus favorem statutae sunt, servitutes distinguuntur in *urbanas*, seu in favorem aedificiorum stabilitas etiam ruri, et *rurales*, seu in favorem praediorum (fonds de terre) stabilitas. (a. 687) Haec tamen distinctio minoris momenti est in Jure nostro.

497. DISPOSITIONES JURIS. De *acquirendis* servitutibus quae non sint legales vel naturales agit C. C. aa. 690-696. His statuitur servitutes continuas simul et apparentes, easque solas, acquiri posse per possessionem 30 annorum absque titulo, ex. gr. servitutem aquaeductus qui per fundum alienum decurrat ; servitutes vero continuas non apparentes vel servitutes discontinuas acquiri solo titulo legitimo, puta donatione, venditione, testamento.

Ut autem definiantur *mutua jura et obligationes* illius qui servitute gaudet et illius qui eam patitur, imprimis attendendum ad generale principium juris naturalis : priorem non posse extendere jus suum cum

detrimento posterioris ; posteriorem vero non posse impedire quominus prior plene jus suum exerceat. Deinde servanda sunt, etiam in conscientia, quae de variis servitutibus lege civili definiuntur : haec enim cum aequitate consentiunt et aptissima sunt ad jurgia praecavenda. Praecipua sunt :

1° In servitute naturali proprietarius fundi inferioris nequit aedificare aggerem quo aquae prohibeantur quominus a fundo superiore per suum defluant : proprietarius autem fundi superioris nihil facere potest quod inferioris onus aggravet. (a. 640) Similiter in servitute conventionali, proprietarius fundi qui patitur servitutem, nihil facere potest quod eam minuat vel ejus usum difficiliorem reddat, ex. gr. transferre aquaeductum in aliam agri partem ; qui autem servitute activa gaudet, nihil in fundo serviente, vel in proprio fundo mutare potest quod prioris conditionem aggravet. (a. 701 seqq.)

2° Qui activa servitute gaudet, jus habet ad facienda, suis tamen expensis, omnia opera necessaria ad usum vel conservationem juris sui. (a. 697 seqq.)

3° Si dividitur fundus pro quo statuta est servitus, haec pro singulis illius partibus debetur, ita tamen ut fundi servientis conditio non aggravetur. Ex. gr. si de jure transeundi agitur, omnes co-proprietarii illud per eamdem viam exercere debebunt. (a. 700)

Exstinguuntur servitutes conventionales defectu usus per 30 annos, unione fundi servientis et fundi cui servitur in dominio ejusdem proprietarii, aliisque modis quos explicat C. C. aa. 703-710.

SECTIO II. — DE LAESIONE JURIS ALIENI.

CAPUT I.

DE INJURIA IN GENERE.

498. Injuria in genere est violatio juris alieni. Intelligitur hic unice jus strictum, eo sensu qui explicatus est n. 461, et complectitur tum bona corporis et animae, tum bona famae et honoris, tum bona fortunae. Hinc patet discrimen *injuriae presse dictae*, et *offensae* per quam laeditur quidem rationabilis alterius voluntas vel beneplacitum, nullum vero jus strictum, ex. gr. si urbane petenti viam indicare nolis. (Ball. P. n. 1) Distinguitur praesertim injuria :

1° *Realis* et *personalis*, prout directe violatur jus vel in bona externa vel in ea quae corpori et animae intrinseca sunt.

2° *Mera* et *damnosa*, prout fit sine vel cum damno illius ad quem jus pertinet. Exemplum prioris est adulterium occultum, nulla prole suscepta ; posterioris, adulterium publicum vel quo proles inter legitimos liberos immittitur.

Divisiones injuriae materialis et formalis, directae et indirectae, gravis et levis, eo sensu sumuntur quo similes divisiones in tr. de Actibus humanis et de Peccatis occurrerunt.

499. Ut habeatur injustum per se et formaliter, necesse est ut is ad quem jus laesum pertinet, sit, *saltem interpretative, invitus*. (S. Th. 2. 2. q. 59. a. 3) Hinc regula 27ª Juris in 6° : " Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus. „ Ne tamen haec regula perperam applicetur, notandum est non quamvis cognitionem, neque quemvis consensum sufficere ut injuria amoveatur. Nempe :

1° Scientia debet esse immunis ab omni errore qui, si agnosceretur, per se a consensu dando deterreret. Sic injuste retineretur pecunia quam quis obtinuisset ab alio cui falso persuasisset magni momenti officium ei a se praestitum esse.

2° Consensus debet esse : *a) Liber*, ita ut a consentiente per nullam injuriam extorqueatur, quemadmodum a latrone pecunia viatori, metu mortis, extorquetur. Similiter libertate debita caret consensus illius qui, urgente necessitate, consentit in rem sibi injuriosam et quam, seclusa hac necessitate, minime admitteret. Ex. gr. operarii, qui, necessitate coacti vel mali pejoris metu permoti, salarium minus accipiunt quam quod jure naturae deberetur. " Istud quidem est subire vim cui justitia reclamat. „ (Leo XIII, Const. *Rerum nonarum*) —*b) Validus*. Nam plura jura, ita disponente lege naturali vel positiva, alienari nequeunt. Ita maritus alteri cedere nequit jus quod in uxoris corpus habet. Cfr. dicta n. 392. Neque privilegia, quae principaliter in favorem alicujus status conceduntur, alienari possunt a singulis hominibus qui in eodem versantur, ex. gr. privilegium canonis a clericis, exemptionis a Regularibus. Multo minus valeret consensus in alienationem eorum quae non versentur sub potestate consentientis. Ita injuriam minime tolleret consensus alicujus in mortem sibi inferendam : siquidem directum dominium in vitam suam homo non habet.

CAPUT II.

DE FURTO.

§ 1. DE NATURA FURTI.

500. Furtum *latiori sensu* complectitur omnes actiones vel omissiones quibus proximus in bonis fortunae laeditur : quo sensu venit in septimo Decalogi praecepto : " Non furtum facies. „

In *sensu proprio* definitur a S. Thoma (2. 2. q. 66. a. 3) : " Occulta acceptio rei alienae „, et a multis recentioribus : " Injusta ablatio rei alienae, domino rationabiliter invito. „ Fusius a Molina (de Just. et J. t. III. disp. 681. n. 16) describitur : acceptio injusta boni externi, absque vi et absque ullo consensu ejus cujus est, saltem quoad legitimam tentionem.

Acceptio discriminat furtum a damno injuste illato, nullo damnificantis emolumento, ex. gr. segetes destruendo, et ab injusta retentione rei quae prius bona fide accepta fuerit.

Injusta, ad excludendam occultam compensationem qua juste rem tuam a debitore moroso recuperes.

Boni externi, ad excludendam usurpationem personae liberae, ex. gr. filiorum patri ereptorum.

Absque vi. Haec verba distinguunt furtum a rapina, quae includit manifestam vim illatam personae domini praesentis et renitentis.

Absque ullo consensu ejus cujus est. Ita discriminatur furtum ab usura in qua solutio pecuniae indebitae non est plene involuntaria. Ut notat Ball. P. (n. 12) : " Ad excusandum a furto non requiritur positiva voluntas domini, sed satis est eum nec esse, nec fore graviter invitum quoad substantiam. Si postea advertas esse invitum quoad substantiam, rem retinere non potes ; quia cessat praesumptio quae excusabat. „

Saltem quoad legitimam tentionem. Haec indicant furtum dari etiam quando res aufertur illi qui, licet ejus proprietatem non habeat, eam tamen legitime detineat. Ita furaretur qui rem auferret quam ipse creditori in pignus dedisset.

Ex his explicationibus sequitur non furari eum qui rem alienam accipiat joco, vel ob bonum aut commodum illius a quo accipit, ac proinde domino nullatenus vel saltem non rationabiliter invito, ex. gr. si

uxor auferat a marito pecunias ne ludis aut comessationibus eas prodigat. (Bus. ap. S. Alph. n. 519)

Duo autem sunt quae dicuntur a furto excusare, seu quae, pressius loquendo, efficiunt ut ablatio rei alienae furti rationem non habeat : scil. necessitas extrema et occulta compensatio. De singulis hic breviter dicendum.

§ 2. DE NECESSITATE QUAE A FURTO EXCUSAT.

501. ASSERTA. I. Homo **in necessitate extrema** positus (n. 222) potest e bonis alienis tantumdem accipere quantum ipsi ad hanc necessitatem evadendam necessarium est.

Ratio est : ex ipso jure naturali et ordine divinae Providentiae, res temporales destinari ut ex iis hominum necessitati subveniatur ; huic autem juri naturali derogari nequit per rerum divisionem et appropriationem, quae ex jure humano procedit. In hoc sensu dicuntur omnia, in necessitate extrema, fieri communia. Si ergo periculum personae imminens aliter averti nequit, licet rem alienam vel occulte vel manifeste arripere. (S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7)

Necessitati extremae, e communi auctorum sententia, assimilatur **quasi-extrema**, ut dictum est n. 222.

Ratio est quod, etiam in ista, agitur de servandis bonis quae natura ex se intendit communia esse omnibus hominibus ; quare pariter videtur jus datum singulis ad media ordinaria quibus hujusmodi bona conservent. (Lugo, disp. 16. n. 155)

502. Quaedam autem explicanda manent de natura et amplitudine hujus juris accipiendi rem alienam in necessitate extrema vel quasi-extrema.

1° Juxta sententiam probabiliorem (Lugo, l. c. n. 143 ; S. Alph. n. 520), qui versatur in necessitate habet jus strictum ut rem sibi necessariam faciat suam aeque ac si nullius esset ; dominus autem rei occupandae tantum ex caritate tenetur ad illam indigenti tribuendam, ex justitia vero ad nullum impedimentum ponendum quominus indigens jure suo utatur. Ideo qui negligit succurrere pauperi in extrema necessitate posito, ad restituendum minime tenetur ; si vero obstaret ne rem sibi necessariam arriperet, ad omnia damna inde secuta reparanda obligaretur.

2° Si res ablata, finita necessitate, non est consumpta, ex. gr. equus ad fugiendos latrones arreptus, domino restituenda est : siquidem jus proprietarii jam non eliditur jure primario alterius ad vitam vel bona

vitae moraliter aequivalentia. Si vero res, durante necessitate, consumpta est, nihil restituendum est ab eo qui, eo momento quo rem arripuit, neque actu, neque in spe probabili habebat unde restitueret : nam, saltem ex aequitate naturali, domini ab hujusmodi plane indigentibus restitutionem exigere nequeunt. Qui vero alibi bona habet vel probabiliter habiturus est, nequit rem alienam auferre nisi cum onere eam, si consumpta fuerit, restituendi. Nihil enim amplius requiritur ut e praesenti necessitate exeat. Nec videtur aliter solvendus casus consumentis in necessitate rem quam antea furto proprie dicto sustulerit. (S. Alph. n. 520)

3° Disputatur inter AA. num haec facultas arripiendi rem alienam complectatur etiam rem magni valoris, puta notabilem pecuniae summam.

Plures id negant, ex. gr. La Croix (l. 3. p. 1. n. 953), ea ratione ducti quod caritas non obligat divitem ad tale subsidium indigenti dandum (cfr. n. 223) ; ideo neque indigenti jus est ad illud arripiendum.

Probabilior tamen est sententia affirmans, quam sequuntur S. Alph. (n. 520) et plerique DD. Ratio est, quod si revera res magni valoris necessaria est ad necessitatem evadendam, eam arripere licet haud secus ac minus pretiosam, cum omnia tunc fiant communia. Falsa autem est ratio adversariorum supra citata, quia regula fundans obligationem dandi indigenti diversa est a regula fundante jus indigentis ad arripiendum. Obligatio enim dandi indigenti innititur praecepto caritatis quod cum gravi incommodo non obligat ; facultas arripiendi nititur jure quod singulis inest utendi rebus communibus, quatenus id necessarium est ad servanda bona quae natura omnibus communia esse voluit. Rectius tamen negatur licere indigenti arripere rem magni valoris quae sit medium omnino extraordinarium et exquisitum ad se ex necessitate liberandum, ex. gr. ingentem vim pecuniae ad recuperandam libertatem vel ad emenda remedia maxime pretiosa. Talia enim media noluit natura omnibus esse communia ; imo etiam neminem obligat ad ea adhibenda ut vitam ipsam sibi conservet. (Lugo, l. c. n. 159)

4° Pauperes peccant mortaliter rem magni momenti surripiendo, quando possunt petendo necessitatem suam evadere : non enim in necessitate extrema versatur qui petendo potest necessaria obtinere. Excipit tamen S. Alph. (H. A. tr. 10. n. 15) virum honoratum qui mallet mori quam mendicare. Si vero pauper re aliqua peculiari extreme indiget, ita ut dominus teneatur omnino eam dare, quia, ipso non dante, pauper periret, tunc iste nullatenus peccat rem non petitam arripiendo. (S. Alph. l. c. n. 140)

5° In casu verae necessitatis, etiam tertio licet surripere aliquid e bonis alienis ut succurrat indigenti. (S. Th. l. c. ad 3)

503. II. Non licet rem alienam auferre **in necessitate simpliciter gravi vel communi.**

Ratio est, quod in his casibus regulariter non agitur de iis bonis quae natura omnibus communia esse voluit, ac proinde nihil est quod elidat jus exclusivum domini in rem suam. Ideo damnata est ab Innoc. XI prop. 36ª : " Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. „

Attamen, si quando in his necessitatibus ageretur de iis bonis quae natura omnibus communia esse voluit, puta de sanitate, quamvis in iis nonnisi leve detrimentum timeretur, videtur licitum pauperi rem exigui valoris quam dominus facillime dare posset, ex. gr. unum panem, auferre, si dominus rogatus dare nollet vel de ejus consensu dubitaretur. Natura enim, ad bona haec minora communia omnibus hominibus tuenda, videtur dedisse jus arripiendi media minora quibus communiter vitantur haec mala,quando haec media se habent ad hunc finem intentum sicut majora bona se habent ad fines majoris momenti. (Lugo. l. c. n. 156) Verum regulariter pauperes talia subsidia petere tenentur, siquidem domini rationabiliter inviti sunt ne sibi insciis auferantur dum, absque gravi incommodo, petendo obtineri potuissent. Quandoque tamen in necessitate gravi posset pauper aliquid exigui valoris surripere, probabiliter judicando opulentum dominum ex pietate non esse invitum, saltem quoad substantiam.

§ 3. DE OCCULTA COMPENSATIONE.

504. Occulta compensatio, in sensu quo a Theologis moralibus adhiberi solet, in eo est quod res aliena occupatur ut propria recuperetur.

ASSERTA. I. Ut occulta compensatio sit licita, requiruntur sequentes **conditiones :**

1ª Ut agatur de debito *e stricta justitia*, non autem e quadam convenientia tantum, qualis est ut consanguineus cum reliquis ejusdem gradus partem in haereditate per testamentum accipiat.

2ª Ut debitum illud sit *certum, saltem moraliter*. Ratio ob quam non licet compensatio occulta, quando debitum est tantum probabile, non ita facile assignatur, et ipse Lugo (de Just. et J. disp. 16, n. 102 seqq.) sat propensus est in eam admittendam. Nihilominus communissima sententia eam licere negat : quod forsan satis demonstrant hallucinationis periculum et crebrae injustitiae ex hujusmodi compensationibus oriturae.

Attamen probabilius potest fieri compensatio occulta quando factum

cui debitum innititur est certum, jus autem quod ex illo facto oritur ita probabile ut judex, non obstante alterius possessione, posset in favorem creditoris sententiam ferre. Tunc enim probabilitas proxime cadit in ipsam actionem auferendi rem alienam : quae propterea fit licita. Ita Lugo (l. c. n. 97 seqq.) et Lehmk. (I. n. 939) : hic tamen scite monet, in casu hoc minus obvio, generatim requiri ut ad prudentem virum vel confessarium recurratur. Sic licitum censent Lugo, Lessius aliique plurimi, diffamatum sibi pecunia compensare famam ablatam a diffamato, cum probabile sit diffamantem teneri ad pecunia compensandam famam ablatam, si nolit vel nequeat famam restituere. Huic opinioni tamquam probabili S. Alph. prius adhaesit ; postea autem eam dimisit. (l. 1. n. 35) Certe talis compensatio numquam esset permittenda ultra id quod tribunalia verisimiliter essent concessura.

3ª Ut id pro quo fit compensatio jam *actu debeatur*. Probabiliter tamen licet creditori anticipare et compensare sibi pro eo quod alter ipsi tantum post certum temporis lapsum debebit, sub hac duplici conditione : prior est, ut caveatur damnum quod debitori ex illa anticipata solutione oriri possit, ex. gr. minus sumendo pro rata damni emergentis vel lucri cessantis ; posterior, ut sit morale periculum ne debitor suo tempore creditori satisfaciat. Ratio est, quod defensio justa est non tantum quando jam actu malum infertur, sed etiam quando moraliter instat. (Lugo, l. c. n. 93)

4ª Ut *non sit alia via debitum recuperandi*. Si enim monendo debitorem vel judicem adeundo potest creditor, sine gravi incommodo, rem suam recuperare, occulta compensatio recto ordini adversari videtur ; non esset tamen grave peccatum, nisi ex occupatione alicujus rei determinatae sequeretur grave damnum debitori. Imo nullum erit peccatum in omissione hujus ordinis si timentur inimicitiae, amissio expensarum litis et similia. (S. Alph. n. 521)

5ª Ut quantum fieri potest *vitetur damnum debitoris*, sive spirituale, sive temporale : spirituale, quatenus existimans nondum exstinctum esse debitum, maneret in mala fide ; temporale, quatenus ipse vel ejus haeredes iterum solverent. Ideo monendus esset de exstinctione debiti, et, si iterata solutio fieret, restituendum esset acceptum. Attamen, ut recte monet Ball. P. (n. 40), in praxi haec monitio et restitutio aegre fieri poterunt, eo quod debitor occultam compensationem factam suspicatus. variis incommodis creditorem, puta famulum, afficeret. Quare, si talia timeantur, haec conditio omitti poterit ; si quod inde damnum debitori obveniat, id iniquitati suae imputare debet.

Huc quoque refertur quod compensatio fiat in eadem specie cum ea quae debebatur : quod tamen intelligendum est, *si commode fieri potest*.

6ª Ut praecaveatur damnum quod *tertio* obvenire possit ex occulta

compensatione, ex. gr. eo quod famulus furti rei ablatae insimularetur. Attamen hoc damnum, per accidens secuturum, permitti posset, si secus compensatio cum notabili incommodo proprio omittenda esset. (n. 14)

II. Licita est occulta compensatio quae fit cum omnibus conditionibus in Asserto I requisitis.

Nihil enim in se continet quod justitiae commutativae repugnet, cum ille qui compensatione utitur sumat quod suum est. Nec repugnat recto ordini, qui obstare nequit ne quis rem suam modo extraordinario recuperet, quando via ordinaria praeclusa est. Res patet e conditionum explicatione.

505. Saepe adhibetur occulta compensatio a **famulis** aliisve qui se alicujus domini servitio pro certa mercede addixerunt, contendunt autem hanc operae suae pretio imparem esse. Hos aliqui AA. universe damnant, quasi omnis occulta compensatio ipsis esset prohibita, ob damnationem ab Innoc. XI factam prop. 37ae : " Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt. „ Sed **plura hic distinguenda veniunt :**

1° Licet famulo, artifici aliisve mercede conductis, occulta compensatio sub iis conditionibus quae supra (Ass. I) explicatae sunt, quando moraliter certum est mercedem seu salarium esse infra pretium infimum ad quod jus haberent. Cfr. dicenda de justo salario operariorum n. 646 seqq. quae magnam partem similis conditionis hominibus applicari possunt. Excipe tamen, si hujusmodi homines omnino sponte in mercedem minorem consensissent, puta ob amicitiam erga dominum, ob spem alius favoris, etc. Sed cavendum ne sponte dicantur consensisse ii qui de iniqua mercede pacti sunt unice quia inopia adigebantur (n. 499) : quod in operariis diurnis saepe contingit.

Nec obstat cit. prop. damnata. Non potuit enim R. P. intendisse ut famuli prohiberentur ab usurpando jure quod iis, sicut ceteris, competit ; sed, teste S. Alph. (n. 524), damnavit propositionem ob suam generalitatem, e qua deduci posset licere famulis arripere quidquid judicarent, etiam cum mera probabilitate, sibi ob labores suos deberi.

2° Profecto suadendum est ut famuli, sicut et reliqui omnes, antequam compensatione utantur, confessarium aliumve virum prudentem consulant. Sed merito opinatur S. Alph. (l. c.) contra La Croix, Viva, etc. hanc non esse strictam obligationem, cum minime repugnet eosdem homines de injuria sibi facta certum judicium ferre. Manifeste autem requiritur ut compensationem facturus non tantum bene norit quid generatim exigi possit pro servitio quale ab eo praestatur, sed etiam

ne, amore proprio obcaecatus, peritiam, industriam et laborem suum ultra modum aestimet.

3° Si famulus *sponte* auget operas suas vel artifex industriam promissam, nihil possunt propter hanc rationem occulte surripere, eo quod nullo contractu expresso vel tacito jus ad mercedem hujus laboris acquirunt; si vero ob voluntatem domini vel clientis expressam aut tacitam ita agunt, jus strictum ad eamdem mercedem acquirunt, ideoque, intra limites statutos, compensatione uti poterunt.

§ 4. DE MATERIA GRAVI IN FURTO.

506. Gravitas materiae in furto desumenda est e gravi detrimento quod, per injustam ablationem rei alienae, infertur fini ob quem rerum externarum dominium incolume servetur oportet. Hic autem finis, ut bene exponit Lehmkuhl (I. n. 931), duplicem habet respectum: unum ad singulos homines, ut inter eos pax et concordia vigeant; alterum, ad universam societatem humanam, ut in ea serventur securitas et necessarium incitamentum ad industriam laboresque sustinendos. Ideo gravitas furto accedere potest ex alterutro respectu.

Ob priorem respectum, grave censebitur furtum rei ob cujus ablationem dominus rationabiliter gravem tristitiam et aversionem a fure concipiat. Manifestum est in hoc casu quantitatem quae grave furtum constituat fore proportionatam domini facultatibus ejusque tristitiam et indignationem rationabiliter crescere cum inopia ipsius; insuper attendendum esse ad subripientis personam, quia erga aliquos, ex. gr. uxorem et filios, minus rationabiliter erit graviter invitus. Ideo ea quantitas quae, ob respectum ad hunc particularem dominum et furem, grave peccatum efficit, dicitur **relative gravis**. Haec attendenda quotiescumque agitur de furto quod fiat uni particulari homini, nisi sit extraordinarie dives. Si quis enim ingentes divitias habet, videri potest eum ex ablatione summae etiam notabilis nullum serium damnum pati, nec rationabiliter gravem tristitiam concipere. Sed in illo casu ulterius investigandum est num forte e respectu ad securitatem et bonum universae societatis humanae gravitas huic rei alienae ablationi accedat.

Jamvero, licet furtum summae satis notabilis non afferret serium damnum hominibus ditissimis vel communitatibus, ac proinde leve tantum peccatum videri posset, securitas tamen societatis humanae postulat ut furtum sat notabilis summae vel valoris numquam non constituat peccatum grave. Si enim sub levi tantum prohiberetur, multiplicarentur quamplurimum hujusmodi furta, puta falsificando merces, fraudando in pondere et mensura etc., ac proinde notabiliter noceretur securitati

et fiduciae commercii humani. (Lugo, disp. 16. n. 29) Ideo statuenda est aliqua summa quam numquam sine gravi peccato a quolibet auferre liceat, et quae propterea quantitas furti **absolute gravis** vocetur.

507. Ad quantitatem relative gravem pressius determinandam, DD. communiter statuunt : ut furtum, quod in unius domini praejudicium fit, peccatum letale constituat, requiri et sufficere illam quantitatem qua dominus, juxta conditionem suam, ad se cum familia sua singulis diebus alendum indigeat : quae regula, ut notat S. Alph. (n. 527), valde obscura est, nec universe pro omnibus valet. Hinc tamen licet concludere, quod clarius est, graviter peccare eum qui operario diurnam mercedem seu salarium furetur, cum, saltem regulariter, salarium aequivaleat diurnae sustentationi operarii cum familia sua.

Ingens vero est auctorum dissensio ubi materiam tum relativam, tum absolutam, certa pecuniae summa determinare volunt. Hinc patet fieri non posse ut talia arithmetice definiantur, sed, exceptis limitibus extremis, multa esse intermedia quae e variis temporum et locorum circumstantiis, judicio prudentis viri, dijudicanda maneant.

Juvabit tamen ad hoc judicium efformandum sequentia prae oculis habere :

1° Non esse attendendum valorem pecuniae *absolutum*, sed *relativum* seu ejus conducibilitatem ad procuranda sibi quae vitae necessaria vel utilia sunt, ut cibos, vestes, etc.

2° Valorem hunc pecuniae a medio aevo plurimum minutum esse, tum ob detecta nova auri argentique metalla, tum ob emissam monetam papyraceam, ideoque hodie majorem summam requiri ad furtum grave constituendum quam saeculis elapsis, imo quam primis saeculi decimi noni decenniis. (1)

3° Nec nostris temporibus idem est pecuniae valor in omnibus regionibus, etiam excultis, ne de remotissimis et barbaris loquamur, in quibus saepe paucis assibus labor et victus diurnus constant. Ita minor est pecuniae valor in America et Australia quam in Europa, in Anglia quam in Belgio, in Belgio quam in Italia, etc. Ideo etiam AA. qui nostro tempore in variis regionibus scribunt, rationabiliter in determinanda furti gravis quantitate ab invicem dissidere possunt.

4° In regione nostra haec videntur teneri posse ad materiam relative gravem determinandam, quantum moraliter fieri potest : erga pauperes, ab 1 ad 2 francos ; erga operarios ordinarios a 2 ad 3, nisi (ut non raro,

(1) Pecuniam ab anno 1790 ad nostra tempora, fere 30 % ad 40 % valoris sui relativi amisisse opinantur peritissimi Oeconomistae. Cfr. P. Leroy-Beaulieu, *Essai sur la répartition des richesses*, p. 104.

praesertim ruri, contingit) multo minus salarium lucrentur; erga homines fortunae mediocris, seu etiam quorum conditio fortunae ignoratur, a 7 ad 10; pro divitibus, non tamen extraordinarie opulentis, a 15 ad 20 fr.

5° Tamquam summam absolute gravem, alii 20 fr. (Lehmkuhl), alii 25 (Haine), alii 30 (D'Annib., Buccer.), alii (Waffelaert) 40 statuunt. (1) Nec videtur haec ultima computatio pro regione nostra modum excedere, si attenditur ingens mutatio quae in valore pecuniae facta est a tempore quo multi AA. quos citat S. Alph. (l. c.) duos vel tres aureos (15 fr.) requirebant. (2)

508. Tres praecipue sunt circumstantiae ob quas ad peccatum grave amplior quantitas requiratur, nempe si fur arcte connectitur cum rei domino, si res pertinet ad plures dominos, si eadem non uno furto, sed pluribus furtulis aufertur.

I. De furtis personarum conjunctarum.

1° Plerumque major quantitas requiritur in furtis quae a consanguineis vel amicis fiunt, quia dominus relate ad substantiam censendus est minus invitus quam ut eadem ab extraneis auferantur.

2° Generatim in furtis uxorum et filiorum requiritur materia duplo major quam in furtis extraneorum. Advertendum hic agi de casu quo auferuntur ea ad quae supradicti nullum jus habent (cfr. dicta de dominio uxorum et filiorumfamilias), et fieri posse ut requiratur etiam major quantitas, ut si auferrentur tantum esculenta, si filius jam adultus patrique operam navans quaedam ad honestos usus subriperet, si pater facilem se exhibere soleret, etc. Ita multi AA. ut Lessius, Sporer, etc. dicunt non peccare graviter eum qui furetur a patre divite 2 vel 3 aureos, qui hodie probabilius 40 fr. aequivalerent. (S. Alph. n. 543; Ball. P. n. 93)

3° Erga famulos qui furentur pecuniam aliasve res quae caute

(1) Pro Stat. Foed. Americae, dimidium dollarium sufficere erga mendicantes opinatur Konings, quartam dollarii partem, Sabetti; erga agricolas et similes operarios 1 doll. (ambo AA. citati); pro mechanicis 2 doll. (Sabetti); relate ad divites, 2 ad 3 doll. (Konings, Sabetti, Lehmkuhl); relate ad omnino divites, 5 doll. quae etiam summa a Lehmkuhl et Sabetti dicitur absolute gravis, dum Konings 10 doll. requirit.

(2) Multo longius progreditur P. Palmieri in editione quam nuper (1898) adornavit Compendii Theologiae Moralis, a P. Gury conscripti. Ibi enim (Vol. I. n. 607) haec scribit: " Audivi alios viros doctos, qui ob valde in dies imminutum pecuniae pretium vellent nunc materiam absolute gravem eam esse, quae centum plus minus francos exaequet, quibus haud aegre assentimus. „ Existimamus tamen doctum scriptorem majorem putasse deminutionem valoris pecuniae quam reapse sit: quare malumus sententiam tenere quae magis ad communem scriptorum coaetaneorum opinionem accedat.

custodiantur, dominus non minus invitus est quam erga extraneos. Imo etiam in Cod. Poen. (a. 464 seqq.) furta domesticorum famulorum severius puniuntur quam furta extraneorum. Attamen minus inviti, saltem rationabiliter, sunt domini ne a famulis subripiantur esculenta vel poculenta. Dummodo haec non sumantur in quantitate vel qualitate extraordinaria neque extraneis donentur, probabiliter numquam devenitur ad peccatum mortale. (S. Alph. n. 545)

4° Saepe pueri aliaeve personae timoratae grave peccatum committunt dum res exigui valoris subripiunt, quas falso sine gravi peccato auferri non posse autumant. Quare prudentis confessarii erit eos, dum ad quaelibet furtula fugienda sedulo excitabit, indirecte monere in iis nullum grave peccatum reperiri, dicendo, ex. gr. " Quamvis haec parva subripere non sit peccatum mortale, tamen... „

509. II. De furtis rerum ad plures pertinentium.

1° Si quis eadem vice summam prorsus notabilem subripit ad diversos dominos pertinentem, graviter peccat, ut patet e ratione data n. 506, licet nulli personae particulari graviter noceat.

2° Si res sublata pertinebat ad plures nullum corpus morale constituentes, ex. gr. pecunia a pluribus collata ad communem finem prosequendum, neque ulli determinatae personae aufertur summa relative gravis, patet ad peccatum mortale requiri materiam absolute gravem.

3° Si res sublata pertinebat ad plures unum corpus morale constituentes, puta societatem commercii vel communitatem religiosam, plerumque ad grave furtum requiretur summa absolute gravis. Etenim minoris summae furtum plerumque nullum grave detrimentum inferet, neque personis physicis in unum morale coeuntibus, neque ipsi enti morali, quatenus singulorum civium instar dominium obtinet, contractus init, etc. Quandoque tamen minor subtractio vel damnificatio grave detrimentum inferre potest vel ipsi communitati qua tali vel etiam singulis qui pauci numero illam constituerent : in hoc casu comparanda erit summa ablata cum bonis quae a communitate possidentur, ut de norma relativa (n. 507) factum est.

4° Si res sublata pertinebat ad opus pium vel ad alium finem ordinabatur ita ut nulla persona physice existens jus strictum ad illam haberet, ad materiam absolute gravem tantum attendendum censemus, cum frustra aliunde quam e securitate humanae societatis gravis obligatio talia furta vitandi quaeratur.

510. III. De furtis minutis.

1° Possunt certe coalescere ad grave peccatum constituendum furta minuta in praejudicium ejusdem domini facta : siquidem notabile dam-

num ei inferre possunt. Cfr. prop. 38am ab Innoc. XI damnatam : " Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. „

2° Similiter dicendum etiamsi a pluribus dominis per plura furtula ablata est summa notabilis, ex. gr. fraudibus in pondere et mensura adhibitis. Patet e dictis n. 506.

3° Si plura furtula committuntur ex animo perveniendi ad summam notabilem, sufficit ad graviter peccandum eadem quantitas quae supra statuta est ; sed videndum utrum uni an pluribus noceat furtum, ut consequenter relativa vel absoluta norma applicetur. Haec varia furtula per intentionem moraliter persistentem conjunguntur in unum peccatum grave in ordine ad confessionem. Cfr. n. 166.

4° Si abest animus determinatus magnam summam per partes surripiendi, nec separantur furtula magno temporis intervallo, probabiliter ad grave peccatum requiritur summa duplo major in iis quibus eidem domino nocetur : quia minus detrimentum e talibus furtulis quam ex ablatione magnae summae sentitur ideoque domini minus censentur inviti. Similiter duplicanda erit summa absolute gravis, si aufertur res ad plures pertinens : quia talia furtula minus nocent bono communi. (S. Alph. n. 530 ; Ball. P. n. 74 seq.)

5° Nullum dubium esse potest de veritate hujus generalis effati : " furta minuta non coalescere ubi magno intervallo separantur „, dummodo absit animus magnam summam per plura furtula coacervandi. Sic enim nullum grave damnum neque privatis, neque reipublicae infertur. At difficillimum est statuere aliquem certum limitem ultra quem numquam coalescant. Sapienter Ball. P. (n. 78) censet non solum temporis intervallum esse attendendum, sed etiam naturam rei quae surripitur et dispositionem animi in eo qui surripit ; tum e communi sensu rem aestimandam esse, et, si gravitas incerta maneat, abstinendum a severiore judicio. S. Alph. (l. c.) probat sententiam Roncaglia opinantis duorum mensium spatium requiri ne coalescant furta quorum quantitas non attingat quidem materiam gravem, sed *ad eam accedat*. Recte autem opinatur Ball. P. (l. c.) sufficere posse interdum spatium unius mensis vel brevius in furto *rerum omnino exiguarum*, ut si quis saepe per agros uvas, ficus, fabas, poma, etc. leviusculis furtis surriperet, etiam per plures annos in hac consuetudine perseverans. Imo unum alterumve pomum, racemum et similia e viridario vel vinea aliena interdum decerpere, probabiliter ab omni culpa vacat. Idem dici potest, ob praesumptum domini consensum, de operariis comedentibus usque ad saturitatem fructus ad quos decerpendos conducti sunt, et similibus. (Lugo, de Just. et J. disp. 16. n. 78)

6° Peccatum grave e pluribus furtis minutis, quae intentione non

uniantur, oritur quando fur advertens jam fere sublatam esse notabilem summam, eam novo furtulo complet vel jam penitus completam retinere statuit. (Lugo, l. c. n. 37 seq.)

7° Qui per plura furta minuta jam ad summam gravem pervenit iterumque ab eodem domino rem levis valoris aufert, peccat leviter si, immemor gravis damni illati, hoc novum furtulum patrat ; si vero hujus gravis damni memor est, novum illud furtum cum prioribus in unum peccatum mortale furti coalescit. (Lugo, l. c. n. 43 seq.)

8° Si plures eidem domino levia quaedam auferant, licet omnia illa furtula simul sumpta quantitatem notabilem efficiant, nullus graviter peccat, etiamsi novit damna ab aliis illata, excepto casu quo ad grave damnum inferendum conspirarunt. (Lugo, l. c. n. 53 seqq.) Ratio est, quod nullus fuit gravis damni causa nec per seipsum, ut liquet, nec per alios : quippe qui supponantur damnum sua sponte intulisse.

9° Ablatio rei quae in se parvi valoris est, sed ad quam proprietarius multum afficitur, ex. gr. floris quem multo amore excoluit, canis quem praediligit, numquam constituit furtum grave. Sed eadem erit peccatum grave contra caritatem, si praevidetur proximum rationabiliter gravem dolorem ex illa ablatione concepturum esse. Imo posset evadere peccatum grave contra justitiam ob damnum quod inde sequatur, ex. gr. si quis furetur operario instrumentum exigui pretii sine quo laborare salariumque mereri non posset.

SECTIO III. — DE RESTITUTIONE.

CAPUT I.

NOTIO ET RADICES RESTITUTIONIS.

511. Restitutio, in sensu stricto quo hic usurpatur, est actus justitiae commutativae quo reparatur laesio juris alieni.

Obligatio igitur restituendi oritur tantum e laesione *justitiae commutativae*, non autem e laesione aliarum virtutum. Ratio hujus differentiae desumitur e diversitate objecti et motivi formalis harum virtutum. Justitia nempe commutativa respicit formaliter bonum aequalitatis, seu ut unusquisque habeat quod suum est jure stricto (cfr. n. 461) et nemo sine rebus suis maneat. Sicut ergo justitia commutativa obligat ne res aliena surripiatur, ita etiam prohibet ne jam subrepta servetur. Ideo res-

tituenda est res ablata, vel saltem illius aequivalens, ut aequalitas iterum vigeat. In ceteris vero virtutibus, peracta laesione, non permanet per se motivum quod talis virtus respiciebat. Ita, si quis tenebatur ex caritate ad succurrendum proximo in extrema necessitate posito, nec succurrit, peccavit quidem, sed non perseverat per se motivum honestatis quod ipsum ad tale auxilium dandum obligabat. Nam, cessante necessitate extrema, proximus jam non indiget, saltem necessario, sublevatione negata. Per accidens quidem potest hoc caritatis officium perdurare una cum necessitate : obligatio vero tunc minime implenda est ratione damni illati et per modum restitutionis, sed eadem ratione ac si nunc primum necessitas inciperet. (Lugo, de Just. et J. disp. 1. n. 52) Quod applicandum est etiam justitiae legali et distributivae : his enim violatis, non urget illa obligatio restituendae aequalitatis, siquidem nullius jus strictum laesum vel res ablata est. Quandoque tamen iniquus distributor officiorum obiter jus strictum laedit et consequenter ad illud restituendum obligatur. Cfr. n. 515.

Praeceptum restitutionis esse grave, dummodo de reparanda notabili juris laesione agatur, per se liquet. Ideo ei qui ad eam faciendam in re notabili obligatur, necessaria ad salutem est voluntas seria et efficax restituendi ablatum. Attamen si, parte quadam restituta, reliquum jam non efficit materiam gravem, obligatio levis evadit. Exemplo sit ille qui operario abstulisset salarium diurnum 3 francorum eique dimidium fr. restitueret.

Duae autem restitutionis radices communiter assignantur, nempe *res accepta* et *injusta acceptio*. Prior radix proprie locum obtinet quando aliquis sine peccato aliquid alienum habet, ex. gr. vestem quam bona fide a fure emit vel pro veste sua abstulit; posterior autem habetur quando aliquis injuste detinet rem quam novit esse alienam vel eadem alium privavit, etiamsi nullum emolumentum inde perceperit, ex. gr. ubi alienam domum incendit. Injusta igitur acceptio late accipitur pro quacumque damnificatione, etiam sine utilitate laedentis. (Lugo, disp. 8. n. 25)

Discrimen magnum viget quoad quantitatem restituendam, prout obligatio ex priore vel ex posteriore radice oritur. Ubi detinetur res aliena sine injusta laesione, aequalitas restituetur dummodo res illa domino suo reddatur. Ubi vero injustum damnum illatum erit, aequalitas restituenda exiget ut injuste laesus recuperet quidquid detrimenti ex illa injuria passus est, saltem quatenus detrimentum hoc illatum est cum iis conditionibus quae Cap. seq. elucidabuntur. Hinc non sufficiet reddere pretium rei ablatae, sed insuper reparanda erunt omnia damna ex hac ablatione secuta et saltem in confuso praevisa, ut declarabitur n. 518.

CAPUT II.

DE RESTITUTIONE OB INJUSTAM ACCEPTIONEM.

512. Ut ex injusta acceptione seu damnificatione oriatur obligatio restituendi, requiruntur tres conditiones : 1ª Ut actio (vel omissio actionis debitae) adversetur justitiae commutativae ; — 2ª ut sit causa efficax damni realiter secuti ; — 3ª ut includat culpam theologicam seu formale peccatum. De singulis his conditionibus agendum est.

§ 1. DE PRIMA CONDITIONE : UT ACTIO SIT INJUSTA.

513. Ratio hujus conditionis liquet ex iis quae supra (n. 511) de restitutionis notione dicta sunt. Oportet igitur : 1° Ut actio spoliet alterum bono ad quod habeat jus strictum in re vel ad rem. — 2° Ut agens non habuerit jus hoc bonum auferendi : nemini enim injuriam facit qui utitur jure suo (Marres, l. 2. n. 50)

QUAER. I. Num contra justitiam commutativam peccet et consequenter ad restitutionem teneatur qui inculpabiliter damni causam posuit, et, cum posset impedire, sequelas damnosas impedire omisit.

RESP. Affirmative. Nam, sicut ex justitia prohibemur ne actione nostra alteri noceamus, ita etiam tenemur prohibere ne actio nostra alteri noceat quamdiu ejus efficacia in nostra potestate remanet. Attamen, quia causae damnificantis positio minus voluntaria est, haec obligatio non est tanta quanta oritur ex actione formaliter injusta, ideoque non urget cum incommodo relative gravi. Quare, si falsum crimen alicui ex inadvertentia vel errore adscripseris, non teneris ad verba retractanda cum gravi propriae existimationis detrimento ; si ferculum venenatum apposueris Caio et is illud Titio prope assidenti tradiderit, non teneris Titium monere si id citra grave periculum facere nequis. (Lugo, disp. 8. n. 86 ; Gury, I. n. 662 ; Lehmk. I. n. 969 ; D'Annib. II. n. 233 ; Ball. P. n. 122)

Hinc patet quid statuendum sit de viatore qui imprudentia non graviter culpabili ignem silvae apposuerit, de pharmacopola qui clienti ex errore venenum pro medicina praebuerit, de possessore rei alienae qui eam ex inadvertentia alteri donaverit, etc. Hi omnes si negligunt, cum sine incommodo relative gravi id possent, damnosas harum actionum

suarum sequelas impedire, tenentur ad compensandum totum damnum quod adhuc impedire potuissent.

514. QUAER. II. Num violet justitiam commutativam et ad restituendum teneatur qui impedit alium a bono quodam consequendo quod nondum possidet, puta munere, haereditate, etc.

RESP. 1° Affirmative, si ille qui ita impeditur *jus strictum* ad illud bonum habeat. In hoc casu parum refert quaenam media adhibeantur : nam injustitia tunc committitur ratione rei in qua vel ad quam jus strictum habetur. Exemplum habes in haerede qui, etiam meris precibus, tabellionem, qui ex officio mandantis negotia gerere debeat, induceret ad testamentum in favorem tertii non conscribendum.

2° Affirmative etiam, quotiescumque *media de se injusta,* ex. gr. metus vel fraudes, efficaciter adhibentur ad impediendum alium ne consequatur bonum ad quod jus sive strictum, sive latum habet. Is enim saltem jus strictum habet ne mediis injustis a consecutione hujus boni impediatur. Ita ad restitutionem teneretur mercator qui alium, litteras ab eo datas intercipiendo, a lucro faciendo impediret. Cfr. n. 530. Excipiendus foret ab illa restituendi obligatione is qui alterum, etiam metu vel fraudibus, impediret a consequendo bono quod dari vel accipi per se sine peccato nequiret. Exemplo sit uxor quae maritum fraudibus a prodiga donatione facienda averteret.

3° Negative, quotiescumque deest tum jus strictum, tum medium de se injustum, ut per se patet, ex. gr. quando quis precibus testatorem ab aliquo haerede conscribendo avertit. Cfr. Lehmk. I. n. 973 seqq.; Marres, l. 2. n. 51 seq.

515. QUAER. III. Num justitiam commutativam violet iniquus officiorum distributor.

RESP. Dupliciter jus strictum laedere potest qui in officiis, beneficiis, muneribus publicis distribuendis, personarum acceptionem committit. Videlicet :

1° Jus strictum quod *societas* habet ne munera indignis conferantur : ad quod jus servandum per quasi-contractum se obligat qui hoc officium distribuendi suscipit. Quare tenebitur ad reparanda damna quae saltem confuse praevidit inferri posse ab indignis quos nominavit, sive communitati qua tali, sive singulis civibus quorum negotia indigni propter munus suum gerere debeant. Ita debet communitati restituere stipendium quod accipit indignus : istud enim communitas censenda est dare nolle nisi iis qui digni sint. (Ball. P. tr. 8. p. 1. n. 47)

2° Jus strictum *dignioris* ad hoc munus consequendum. Hoc autem jus digniori competit tantum, quando candidatis promittitur, sub onerosa conditione, fore ut dignior eligatur. Exemplum habes in concursibus qui instituuntur ea conditione ut qui optimum fecerit librum, statuam, etc.. praemio donetur.

Juxta sententiam communem, quando beneficia ecclesiastica per concursum conferuntur, eligens dignum, omisso digniore, tenetur huic damnum compensare ; non desunt tamen AA. graves qui hanc obligationem compensandi negant, quia non constat de hoc jure stricto quod digniori ad beneficia acquisitum sit, licet certo incumbat episcopo obligatio illud digniori conferendi ad bonum commune Ecclesiae procurandum. Hanc sententiam quam prius probabilem censuerat, S. Alph. in retractat. suis (q. 47) rejicit ; dubius haeret Lehmk. (n. 972 in nota) In nostra regione quaestio practica non est. Nam certum est nullum jus strictum alicui ad determinatum munus acquiri e concursibus generalibus qui, in nostris dioecesibus, instituuntur ad scientiam cleri probandam. Disputatio igitur supradicta unice procedit de iis concursibus qui, juxta legem Tridentinam, pro *singulis* parocciis vacantibus instituendi essent. (Sess. 24. de ref. c. 18)

§ 2. DE SECUNDA CONDITIONE : UT ACTIO SIT CAUSA EFFICAX DAMNI REALITER SECUTI.

516. Manifesta est ratio ob quam illa conditio requiritur : nam si damnum nullum illatum est, nihil est quod reparetur ; si autem deest nexus verae causalitatis inter actionem et damnum, istud agenti imputari nequit, sed potius tribuendum est aliis causis quae ex illa actione occasionem sumpserunt hoc damnum producendi.

Ideo nulla est obligatio restituendi : 1° si voluntas nocendi mere interna fuit, vel prodiit quidem in actum externum, sed qui effectum nullatenus obtinere potuerit, ex. gr. si ille qui obligationes Status furari intendebat, chartam nullius valoris subripuit ; — 2° si nullum damnum ex injuria secutum est, ex. gr. si committitur adulterium occultum e quo nulla proles nascatur ; — 3° si damnum sequitur ex actione tamquam ex causa mere occasionali, seu per accidens. Tales enim causae non sunt ex natura sua aptae ad effectum producendum. Exemplum causae occasionalis habes in homicidio quod, a Petro commissum, Paulo, ob alia jam antea patrata scelera, imputatur : damnum Paulo. ex errore judicis occasione hujus homicidii ortum, Petrus reparare non debet. Excipiendus tamen foret casus quo Petrus de industria eligeret illas circumstantias quae moraliter habiturae essent proximum influxum in

falsam imputationem homicidii, puta si Pauli vestibus indueretur vel armis uteretur ad homicidium patrandum, si easdem vestes sanguine foedatas in Pauli domum projiceret, etc. (S. Alph. n. 635; Gury. I. n. 669) Exemplum causae per accidens praebet furtum exigui valoris quod avaro causa gravis morbi fiat : cum desit probabilis connexio inter furtum leve gravemque morbum, fur hujus aegritudinis damna compensare non tenetur. (Marres, l. c. nn. 53, 55)

Licet de his generalibus principiis satis conveniat, saepe in praxi difficile est discernere quaenam causae *per se*, quaenam *occasionales* aut per accidens dicendae sint. Hinc necesse est quasdam speciales quaestiones examinare.

517. QUAER. I. Num restitutionis obligatio oriatur ex actione quae ex se non habet probabilem connexionem cum damno secuto, sed quae ponitur cum *directa intentione* ut illud sequatur.

RESP. Duplex datur sententia probabilis. Prior obligationem affirmat : ita Lugo (disp. 8. n. 73 seqq.), Ball. P. (n. 115), etc. Rationem afferunt, quod " quando accedit intentio determinata illius effectus, et ex ea intentione ponitur causa ut sequatur ille effectus, haec intentio supplet connexionem, et facit quod effectus sit voluntarius operanti : facit enim quod sit vera causa illius. Ad rationem enim causae multum conducit intentio operantis. „ (Lugo, l. c. n. 75) Posterior negat restituendi obligationem : ita Lessius (l. 2. c. 9. n. 113), S. Alph. (n. 636), Lehmk. (I. n. 979), Marres (l. c. n. 54), etc. Ratione ista nituntur : intentio illa interna nullatenus mutat actionem externam quae manet quod de se est, mera occasio vel causa per accidens damni. Hinc non externe, sed interne tantum peccabitur contra caritatem vel etiam contra justitiam, ex. gr. desiderando alii in bonis vel fama nocere. *Practice* igitur non constat de obligatione reparandi *actionis consectaria* :

1° Si Petrus furtum aliudve scelus committit, diserte intendens ut Paulus propter hoc delictum poena plectatur, nisi (ut supra dictum est) tales circumstantias ex industria elegerit ut judices prudenter Paulum delicti auctorem habere debuerint.

2° Si fur modicam summam avaro eripit, intendens ut propter illam jacturam in gravem morbum incidat.

3° Si quis ponit venenum in angulo cubiculi sui aliove loco per quem rarissime transit ipsius inimicus, cupiens ut, si transeat venenumque sumat, moriatur.

QUAER. II. Num teneatur ad restitutionem qui alium pravo exemplo suo ad damnum inferendum impulit.

RESP. Probabilius ad reparandum damnum quod alii intulerunt non tenetur, dummodo absit conspiratio. Ita S. Alph. n. 537, cum sententia communi. Ratio est: exemplum pravum non tendere per se ad alios excitandos ut damnum simile inferant. Hoc autem, ex dictis ad Quaest. 1^am^, procedit non tantum quando aliquis praevidet mali exempli sui efficaciam, sed etiam quando eam intendit. Quidam tamen, ut Billuart (de Jure et Just. Diss. 8. a. 13. § 3), contradicunt eo quod exemplum pravum dantes, quod praevideant efficax fore, ponant actionem e qua probabiliter secutura sit injusta damnificatio ab aliis exercenda: siquidem experientia constat homines exemplis moveri magis quam verbis.

§ 3. DE TERTIA CONDITIONE: UT DETUR CULPA THEOLOGICA.

518. NOTIONES. Culpa e qua damnum procedere potest distinguitur duplex: *theologica* et *juridica*.

Theologica culpa idem sonat ac peccatum formale; eam igitur removet quidquid a peccato formali excusat, puta ignorantia, inadvertentia, vis, etc. Nullum ergo damnum theologice culpabile esse potest quin, saltem in confuso, praevisum fuerit.

Juridica culpa consistit in omissione illius diligentiae quam leges civiles in singulis materiis adhiberi jubent. Plerumque intelligitur *mere* juridica seu quam nulla theologica culpa comitetur.

Solent quoque antiquiores AA. culpam juridicam dispescere in *latam*, *levem* et *levissimam*. His tamen verbis non omnes idem intendebant, nec multum refert ea satis obscura distinctio ad forum conscientiae. Cfr. Gousset, Th. Mor. I. n. 925.

ASSERTA. I. Secluso contractu quo quis se obligarit ad compensandum damnum e culpa juridica vel casu fortuito oriundum, non datur obligatio restitutionis, ante sententiam judicis, nisi e culpa theologica. Nam ubi deest actus humanus, cum plena advertentia et libertate positus, homo damnum inferens potius causis necessariis quam liberis assimilatur ideoque, spectato saltem solo jure naturae, non est obligandus ut de talium actionum sequelis respondeat. Damnum autem quod sine culpa theologica infertur, ex. gr. ab ebrio, amente, distracto, potius infortunio quam injustae damnificationi tribuendum est. (Lehmk. I. n. 963)

Reparanda tamen sunt, tamquam indirecte voluntaria, damna in ebrietate illata, quando ipsa ebrietas voluntaria fuit et praevisum damnum, puta quia ebriosus novit se in hoc statu talia nocumenta inferre solere. (n. 187)

II. Etiam ex lege civili, nulla datur obligatio restitutionem faciendi ob culpam *mere* juridicam, ante sententiam a judice latam. Tam dura enim poenae sibimetipsi imponendae obligatio neque a bono communi exigitur, neque ex intentione legislatoris probatur ; praeterea universalis consuetudo leges civiles de restitutione post sententiam judicis facienda interpretatur.

III. E culpa mere juridica nascitur tamen obligatio restitutionis, etiam in foro conscientiae, postquam per judicis sententiam imposita est. Talis enim sententia justa est, siquidem leges applicat quae bono communi et publicae securitati utiles, imo et necessariae sunt. Nemini igitur licet occulta compensatione resumere quod, propter damnum juridica culpa illatum, solvere a judice jussus est. Quandoque etiam caritas obligabit ad compensandum damnum e juridica culpa ortum, antequam sententia a judice lata sit, nempe si evidens est reparationem e lege civili deberi, laesus vero, sine gravi incommodo, ad judicem recurrere nequit : ut posset fieri in casu operarii qui e culpa mere juridica heri vulneratus fuisset et ex lege civili jus ad damni compensationem haberet.

519. QUAER. I. Num, secluso contractu, detur obligatio restituendi ob damnum levi culpa theologica illatum.

RESP. 1° Si levitas e materiae parvitate oritur, indubium est restitutionem hujus parvi damni sub levi faciendam esse.

2° Si levitas oritur ex imperfectione cognitionis vel libertatis, probabilius nulla datur quidquam restituendi obligatio, etiamsi damnum est grave. (Lugo, disp. 8. n. 57 seqq. ; S. Alph. n. 552) Nam talis obligatio nequit imponi sub gravi, siquidem tam leve delictum nequit ortum dare obligationi tam onerosae, quae, licet proprie non sit poena, tamen rationem poenae imitatur ; neque sub levi imponi potest, eo quod talis obligatio cum materia gravi proportionem non habet ita ut e rerum natura oriri queat, quamvis, ob positivam voluntatem legislatoris, possit materia gravis sub levi obligare. Attamen AA. magni nominis, ut Molina, Laymann, etc... docent restitutionem faciendam esse pro culpae proportione : unde levis pars damni sub levi reparanda esset. Sed, saltem in praxi, haec obligatio non est urgenda : quia domini laesi de reparatione tam exigua plerumque non sunt solliciti. Insuper, juxta opinionem valde communem, e culpa imperfecta ne levem quidem materiam restituendi obligatio oritur, eo quod sequelae talis actionis potius casui fortuito quam homini agenti adscribendae sunt. (Lehmk. I. n. 966)

QUAER. II. Num teneatur ad restitutionem sub gravi qui, per plures culpas veniales plene deliberatas, tandem grave damnum intulit.

RESP. 1° Quando parva illa damna eidem personae illata sunt, nec magnum intervallum inter ea intercessit, videtur exsurgere gravis obligatio ex quo grave illud damnum illatum advertitur. Nam ubi completa est materia gravis, dominus censendus est graviter invitus quominus sibi non restituatur materia objective gravis, ac proinde qui injuste retinet plures illas materias leves eidem domino debitas, scienter complet retentionem injustam materiae gravis. Ita communissima sententia. (Marres, l. 2. n. 66) Attamen plures AA. ut Diana et Viva, quibus adhaeret Lehmk. (I. n. 968), opinantur restitutionem hanc sub levi tantum obligare : " quia fieri nequivit ut aliquis sine peccato gravi pervenerit ad damnum grave, nisi inculpabilis error sive ignorantia circa valorem totalis damni intercesserit : quod si factum est, de excessu valoris non tenetur. „ (Lehmk. l. c.)

2° Gravem quoque existimamus exsurgere obligationem restituendi si damnificator damnum objective grave intulit, quamvis leviter tantum peccaverit, quia errore invincibili existimavit majorem quantitatem ad grave peccatum requiri, puta ob maximas damnificati divitias. Valet enim eadem ratio. Excipi tamen potest cum Lehmk. (n. 967) casus quo, ob nimiam disproportionem inter facultates damnificatoris et damnum passi, nimium incommodum in restitutione foret quam ut reo peccati levis imponeretur.

3° Si parvae illae damnificationes diversis personis factae sint ita ut nulli grave damnum intulerint, probabilius tantum sub levi haec obligatio urget. Nemo enim in hoc casu graviter invitus esse potest quominus sibi restitutio non fiat. (Marres, l. c.) Urgent quidam gravis obligationis fautores (ut Ball. P. n. 116) paritatem cum eo qui per furta minuta summam gravem a diversis abstulit. Sed ratio haec, e communi securitate et bono deducta (n. 506), minus stringens videtur quando non retinetur summa notabilis injuste acquisita, sed tantum nocumenta prorsus praeterita reparanda sunt.

520. QUAER. III. Num teneatur ad restitutionem, ante judicis sententiam, qui, culpa mere juridica, damnum intulit rei alienae dum contractus cujusdam, puta depositi, locationis, etc. obligationes non servavit.

RESP. Probabilius per se non tenetur. Nam contractum ineundo in se suscepit illam tantum obligationem quam leges contrahentibus imponunt ; leges autem jubent quidem talia damna compensare, sed tantum

post judicis sententiam. Quare practice posthaberi potest sententia contraria quam multi, praesertim e veteribus DD. (Molina, disp. 205. n. 1; Lessius, l. 2. c. 7. n. 46), tenebant, quia, posita sanctione legis civilis, contrahentes implicite se obligant ad praestandam eam diligentiam quam leges requirunt, ac proinde etiam ad compensanda damna alteri parti oritura ex omissione hujus diligentiae. Sed hujus rationis infirmitas satis patet e sensu supra exposito legum, saltem recentiorum. Per accidens tamen posset talis obligatio adesse, nempe si contrahens diserte se ad damna e culpa mere juridica orta, ante judicis sententiam, compensanda obligasset. Cum enim liberum ei sit per contractum in se suscipere damna etiam mere fortuita, ut fit in contractu assecurationis, a fortiori se ad damna, e qualicumque negligentia sua oritura, compensanda obligare potest. Cfr. Marres, l. 3. n. 203.

QUAER. IV. Num teneatur ad restitutionem qui, munus aliquod, ex. gr. medici, advocati, confessarii, exercendo, sine culpa theologica aliis nocuit.

RESP. Probabilius non tenetur. (Lugo, disp. 8. n. 90 seqq.; S. Alph. n. 555; Ball. P. n. 120) Per illum enim quasi-contractum, qui suscipiendo talia munera initur, hujusmodi homines non sunt censendi se ad onus tam arduum obligasse ut compensarent damna quae, sine gravi culpa theologica, causare possent. Sufficit enim ut se obligent ad officia haec diligenter obeunda. Imo etiam tam ardua obligatio bono communi adversaretur : quippe quae homines probos a talibus muneribus suscipiendis deterreret.

Attamen cum munera hujusmodi magnam diligentiam natura sua expostulent, facilius negligentia, quae materialiter valde levis videatur, potest fieri gravis ideoque, nisi oblivione aut inadvertentia excusetur, culpam gravem theologicam constituet et ad restituendum obligabit.

QUAER. V. Num teneatur ad restitutionem qui malam voluntatem retractat antequam damnum producatur.

RESP. Affirmative. Nam, quando agitur de causa physica damni (ut hic supponimus), voluntatis poenitentia nequit impedire quominus actio praecedens efficaciter damnum producat, ex. gr. ubi quis, igne alienis aedibus injecto, peccatum suum dolet antequam totum aedificium flammis comburatur. Manet ergo jam contracta restitutionis obligatio.

Quid possit retractatio voluntatis ad excusandum a restitutione damni in quod per causam moralem influxus exerceatur, dicetur ubi de cooperatione. (nn. 536, 538)

§ 4. DE DAMNIFICATIONE DUBIA VEL CUM ERRORE PATRATA.

521. I. De damnificatione dubia.

1° Si, post diligentem inquisitionem, dubium probabile manet num damnum fuerit illatum vel causa injusta posita, communis sententia tenet cum S. Alph. (n. 562) non esse faciendam restitutionem : eo quod facta non sunt praesumenda sed probanda. Sic nihil restituere tenetur qui dubitat num calumnia a se prolata alteri damnum in negotiatione intulerit, vel utrum id quod dixerit vera fuerit calumnia an justa occulti delicti manifestatio.

2° Si dubium vertitur circa influxum causae in effectum damnosum, ex. gr. si constat de damno illato negotiationi et de calumnia, sed dubitatur utrum ex hac an ex alia causa damnum ortum sit, plerique AA. ut Lugo, Lessius, Sanchez, docent restituendum esse : quia standum est praesumptioni quae hic certe adversatur ei qui causam de se aptam ad damnum inferendum injuste posuit. Nihilominus probabilem censet S. Alph. (l. c.) sententiam oppositam, ob principium generale : quod nemo ad restituendum obligatur nisi omnino constet eum fuisse veram causam damni. Attamen S. Doctor hanc sententiam praesertim proponit de causis moralibus, puta consilio vel mandato, in quibus facilius dubitari potest num revera in damnum influxerint. Si enim de causis physicis, ex. gr. vulnere letali, ageretur, raro esset ratio *probabilis* dubitandi num causa hujusmodi in effectum, puta in mortem, influxerit.

3° Si constat de damno illato et de causa per se efficaci injuste posita, sed dubitatur de damni auctore, iterum utrimque sententia probabilis occurrit. Exemplo sit mors hominis secuta e duobus vulneribus letalibus quae duo viri simul, sine conspiratione tamen, in eum explodentes intulerint, vel damnum illatum marito et filiis legitimis per prolem adulterinam editam ab uxore quae cum duobus viris non suis, copulam, tempore apto, habuerit.

Plerique AA opinantur in hoc casu restitutionem a singulis damnificatoribus pro parte sua faciendam esse : quia, licet nemo teneatur ad damnum reparandum in dubio num a se illatum sit, hic tamen datur fundamentum obligationis certum : nam, ponendo causam damni per se efficacem, unusquisque una cum aliis causat incertitudinem circa verum damni auctorem. Hanc autem incertitudinem causando, damnum certum inferunt ei qui alias a certo auctore totius damni reparationem postulare potuisset. Cfr. Lehmk. I. n. 978. Attamen S. Alph. (n. 657) cum aliis opinatur probabilius nulli restitutionem stricte imponendam esse : quia non constat morali certitudine damnum ab ullo efficaciter illatum esse. Ad rationem autem oppositam respondet : eam rarissime verificari, eo

quod damnum cum aliis sine conspiratione inferentes, ad tale nocumentum fere numquam attendunt ideoque, in foro conscientiae, illud reparare non tenentur.

Quare universe, quotiescumque dubium probabile manet de qualibet conditione ad restitutionis obligationem requisita, saltem probabilis sententia ab ea stricte imponenda excusat.

522. II. De errore in damnificatione.

1° Qui errore invincibili existimat multo minus esse damnum quod infert quam revera sit, probabilius tenetur tantum ad compensandam partem damni quam apprehendit. (S. Alph. n. 613) Ratio est, quod ad restitutionis obligationem requiritur culpa theologica : huic ergo debet respondere obligatio restitutionis. Culpa autem theologica non major est quam quae ex errore invincibili apprehenditur ; ideo neque amplior esse potest restituendi obligatio. Excipe tamen (quod saepe continget), si damnificator valorem hunc majorem, saltem in confuso, apprehenderit et nihilominus rem hanc in concreto destruxerit.

2° Potior difficultas occurrit quando erratur circa personam cui damnum infertur, puta si quis, volens pulvere " dynamitico „ domum Petri destruere, eumdem pulverem apponit domui Pauli eamque destruit, vel si quis, intendens Petrum occidere, ex errore in Paulum explodit. Qua de re haec videntur tenenda :

a) Certe restituendum est quando ratio mali inferendi non desumitur e persona, sed aliunde, ita ut error fuerit mere concomitans, ex. gr. si quis sacerdotem ex odio religionis occidere volens, ferit Paulum sacerdotem quem putat esse Petrum pariter sacerdotem.

b) Certe restituendum est, ubi cura sufficiens adhibita non est ad errorem vitandum ; quia sic damnificator saltem confuse advertit se alii cuicumque damnum inferre posse, et nihilominus absolute rem destruxit vel hominem occidit.

c) Quando damnificator erat animo determinatus ad nocendum tantum uni personae, cui revera non nocuit, et invincibilem errorem admisit, duplex datur sententia probabilis. Sane, inspectis tantum rationibus, probabilior videtur ea quae etiam tum ad restitutionem obligat : nam damnificator injuste, efficaciter et cum culpa theologica damnum intulit : error autem ille circa personam non videtur afficere rei substantiam. Ita Ball. P. (n. 249 seqq.) ; Lehmk. (I. n. 977) ; Marres (l. 2. n. 68), etc. Attamen saltem extrinseca probabilitas agnoscenda est sententiae quae in hoc casu a restitutione facienda excusat, quia ad hanc obligationem inducendam requiritur ut actio sit formaliter injuriosa in eum qui revera laeditur : hic autem actio damnosa, erga eum qui revera detrimentum patitur, materialem tantum injuriam continet. Ita Lugo, (disp. 17. n. 77) ; S. Alph. (n. 628 seq.) ; D'Annib. (II. n. 232).

Hic casus implexus confundendus non est cum casu damni quod mere per accidens ex actione peccaminosa vel etiam injusta oriatur, ex, gr. si quis, volens occidere Titium inimicum, globulo ignito ferit Sempronium quem adesse minime adverterat. (Gury, I. n. 663) In hoc enim casu restitutionem non esse faciendam satis convenit.

3° Quando damnificator e duabus rebus ad eumdem dominum pertinentibus unam vult destruere, alteram vero per errorem de facto destruit, videtur obligandus ad restituendum pro re quae minoris est valoris. Exemplo sit qui, volens capram Petri globo trajicere, equum ejus trajicit et occidit. Ratio est, ut ait D'Annib. (l. c. nota 13), quia tunc injuria tum formalis, tum materialis in eumdem dominum cadit : injuria enim proprie domino, non rebus ipsis infertur. Contradicunt tamen quidam, ut Gury (n. 448), quia hoc damnum dici potest prorsus per accidens evenisse : nec prava intentio eidem domino nocendi facit ut rei prorsus ignoratae damnum voluntarium fiat. Sed haec ratio parum probabilis videtur : nam verum manet, saltem quoad valorem in quo damnificari intendebatur, nihil deesse ex requisitis ad restitutionem urgendam.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE QUAE ORITUR EX RE ACCEPTA.

§ 1. PRINCIPIA GENERALIA.

523. Praecipua axiomata quae in hoc argumento adhiberi solent, sunt sequentia :

1^um^ *Res clamat ad dominum.* Sensus est rem quae ad aliquem, jure proprietatis, pertinet, servare ubique hanc connexionem qua destinatur ut in ejus utilitatem adhibeatur, ac proinde semper competere domino jus ut eam iterum apprehendat, ei vero qui eam detinet incumbere obligationem ut eam domino reddat. Videndum tamen num forte, per praescriptionem vel similem legis civilis dispositionem, vinculum inter rem et pristinum dominum jam abruptum fuerit. Cfr. dicta n. 489 seqq.

2^um^ *Res fructificat domino.* Cfr. dicta n. 487. Hoc tamen axioma nequit extendi ad ea quae dicuntur quidem fructus industriales, sed hoc fructuum nomine improprie tantum designantur, cum in iis obtinendis res minimam partem habeat, ex. gr. salarium sartoris qui acu alieno vestes confecit.

3^um^ *Res naturaliter perit domino.* Nempe, si res perit vel physice, ex. gr. moriente equo, vel moraliter, ex. gr. frumento in profundum maris demerso, damnum inde secutum ferre debet dominus. Sublata enim re quae ipsius juri pro fundamento erat, jam et ipsum jus esse desinit. Fieri tamen potest ut maneat obligatio restituendi si res adhuc in aequivalenti habetur, puta vacca aliena in vacca propria, quae ejus loco fuisset occisa.

4^um^ *Nemo ex re aliena injuste locupletari debet.* Ita fere Reg. Juris 48^a^ in 6^o^. Hoc velut corollarium est axiomatis 2^i^. Regula tamen ista coarctanda est ad ea quae, stricte ex ipsa re aliena provenientia, alterius divitias augent, puta per rei alienae venditionem. Neque extendenda est ad ea quae tantum occasione rei alienae acquiruntur, quales sunt fructus industriales. Cfr. Gury, I. n. 634 ; Lehmk. I. n. 944.

Horum principiorum applicatio proprie locum habet in eo qui rem alienam bona fide detinet : is enim unice e re accepta tenetur. Qui autem mala fide possidet, assimilandus est injusto damnificatori, ideoque, praeter obligationem reddendae rei alienae a se possessae, damnum injustum reparare debet. (n. 529)

Tandem qui dubia fide possidet, nunc ut possessor bonae fidei, nunc ut possessor malae fidei tractandus est. De triplici illa conditione eorum qui res alienas detinent singillatim dicetur. Ad intelligendos terminos bonae et malae fidei recole notiones datas n. 491.

§ 2. DE POSSESSORE BONAE FIDEI.

524. Claritatis gratia, tres hypotheses faciemus circa rem alienam eo tempore quo possessor bonae fidei certior fit eam ad alium dominum pertinere : scil. fieri potest ut res adhuc in ejus possessione versetur, vel ut perierit, vel ut in possessionem tertii, puta per donationem vel venditionem, transierit. Quae hypotheses sejunctim considerandae erunt. Cfr. Lehmk. I. n. 946 seqq.

De casu quo possessor bonae fidei certior quidem fit rem esse alienam, sed nescire potest ad quem pertineat, nihil peculiare addendum. Manifeste enim idem dicendum est ac supra (n. 485) dictum est de rebus inventis quarum dominus detegi nequeat.

I. Si res aliena adhuc **in manibus possessoris bonae fidei versatur,** haec praecipue sunt attendenda :

1° Si rem *titulo gratuito,* puta per donationem, accepit, eam quamprimum domino reddere debet. Ratio est, quod res clamat ad dominum.

2° Si rem bona fide *a fure emit,* varia est solutio prout dominus jam

actu rem suam repetit vel nondum eam vindicat. Antequam eam repetat, licet possessori bonae fidei rem furi restituere ut ita pretium a se datum recuperet, dummodo nulla alia via suppetat ad se indemnem servandum. Hanc sententiam S. Alph. (l. 4. n. 569) *forte probabiliorem* vocat, praesertim propter duas rationes. Prior est, quod non teneris rem domino servare cum tuo damno et ideo potes permittere ut fur rem illam recipiat ne pretium tuum amittas, eo fere modo quo rem inventam, quam sine damno tuo servare nequires, posses in eo loco reponere in quo eam reperisses. Posterior S. Alph. ratio est, quia, cum quisque jus habeat ad sua bona recuperanda, nemini interdicitur actio illa, quae per se est necessaria et directa ad proprium damnum reparandum, licet indirecte et per accidens damnum alteri sequatur. Jamvero in casu emptor habet jus ad rescindendum contractum ut suum pretium recuperet, nec supponitur aliud dari medium quo illum rescindat quam ut rem furi restituat. Cavendum tamen ne inde concludatur licere possessori bonae fidei rem alienam in proprios usus convertere vel vendere, si praevidet se nulla alia ratione pretium a se datum recuperare posse, quando rem domino restituerit : hi enim sunt actus proprietatis quos in rem alienam exercere non licet. Postquam vero dominus rem suam repetiit, omnino ei restituenda est, neque, spectato solo jure naturali, datum pretium a domino repeti potest. Nam ille juste repetit rem suam, nec quidquam, sive ex delicto, sive ex contractu possessori debet. (Lugo, disp. 17. n. 1) Is tamen in pluribus regionibus, ob legis civilis dispositionem (n. 492), probabilius potest a domino exigere ut sibi pretium reddatur quando rem emit in nundinis, in licitatione vel a mercatore qui res ejusdem speciei vendere solet.

525. II. Si res aliena periit quando dominus agnoscitur, attendendum est ad rationem qua perierit :

1° Si res periit *apud bonae fidei possessorem,* is per se ad nihil tenetur. Nec distinguendum utrum culpabiliter an inculpabiliter perierit. Nam, etiamsi quis omnino prodige rem consumpsit vel destruxit, formalem injustitiam non commisit : siquidem rem suam esse opinabatur. Ad restituendum ergo non tenetur propter injustam damnificationem, nec propter rem acceptam, siquidem haec jam non existit. (Lugo, l. c. n. 18) Excipe tamen, si rem destruendo vel consumendo factus est locupletior, et sic eam adhuc in aequivalenti detinet, puta dum bovis alieni carnem vendit vel ipse manducat, parcendo bovi proprio.

Similiter, saltem probabilius, ad nihil restituendum tenetur si res, quam titulo oneroso obtinuit, periit *apud alium cui eam dono dedit vel sine lucro vendidit.* Ita enim nullatenus ex illa re factus est ditior, neque ejus interitus causa formaliter injusta fuit. Cfr. n. 526, 4°.

2° Si res fortuito casu perit *apud emptorem* cui eam vendidit possessor bonae fidei qui eam titulo gratuito acquisivit, DD. inter se maxime discrepant. Plerique, ut Gury (I. n. 641), Carrière (de Just. n. 1047), D'Annib. (I. n. 239. nota 8), opinantur pretium esse reddendum emptori, quia emptio erat nulla ac proinde pretii dominium non transtulit, vel saltem emptor jus habet ad pecuniam suam recuperandam. Alii censent pretium illud domino restituendum esse : quippe qui, cum injuste spoliatus sit, jus habet ut indemnis fiat; res autem sublata, cum deficiat, compensanda erit pretio quo repraesentatur. Nec desunt qui opinentur pretium servari posse a possessore bonae fidei. Rationem dant : quia nemo jus habet ad illud sibi vindicandum. Non dominus : nam res naturaliter ipsi periit, eaque deficiente, jam pretium eam repraesentare desinit (quod tamen non censemus admittendum). Non emptor : quia venditor se erga eum tantum obligavit ad eum indemnem servandum in casu evictionis, quae hic non obtinuit. Huic ultimae sententiae astipulatur Lehmkuhl (I. n. 951) pro casu quo res apud dominum pariter peritura erat.

Ideo, cum non constet nisi probabiliter pretium illud esse domino vel emptori restituendum, non esset inquietandus qui nollet se pecunia sine injuria acquisita spoliare.

526. III. Si res aliena, apparente domino, **reperitur in possessione tertii,** haec sunt praecipue animadvertenda :

1° Si possessor bonae fidei rem alienam *titulo gratuito* in tertium transtulerit, ad nihil restituendum tenetur, nisi per donationem aliquid lucratus sit, ex. gr. parcendo rebus propriis quas secus dono dedisset. Ex caritate autem tenetur monere donatarium ut rem domino reddat, vel dominum ut rem suam recuperare possit. Ab hac tamen obligatione solvitur ubi sine gravi incommodo monere nequit.

2° Si eam a se emptam in tertium transtulit *titulo oneroso,* varia erit pro variis hypothesibus solutio :

a) Dominus jam rem suam repetit sive privatim, sive judiciali evictione. Tunc venditor emptori, rem restituenti, pretium reddere tenetur. Ratio est, quod per venditionem se implicite obligavit ad servandum indemnem emptorem in casu quo res vendita, utpote aliena, per evictionem a domino repeteretur.

b) Emptor sponte rem domino nondum repetenti restituit. Similiter erit pretium emptori reddendum, propter obligationem in contractu venditionis implicitam. Attamen si emptor hanc restitutionem peragit, venditore non admonito, ideoque causa est ob quam iste nequeat pretium a se datum recuperare, priorem contractum a se initum rescindendo, pretium ei reddendum non est. Rationem hujus exceptionis affert Lugo

(disp. 17. n. 109) : " Quia damnum quod tu ei intulisti vendendo rem alienam, ipse tibi vicissim intulit, sua accelerata restitutione impediendo ne pretium tuum recuperare posses. „

c) Dominus nequit rem suam recuperare, puta quia jam emptor non comparet vel frustra ad eam reddendam compellitur. In illo casu probabilius non tenetur venditor pretium domino restituere. Ratio est, eum vere acquisivisse hujus pretii dominium, nec factum esse ditiorem, proinde nihil alienum detinere. Venditio enim rei alienae probabilius transfert pretii dominium, quamvis sit rescissioni obnoxia : et in hoc sensu licet etiam intelligere art. 1599. C. C. quo alienae rei venditio irrita declaratur. Neque inde sequitur damnum per se domino subeundum esse : manet enim ipsi actio contra furem vel actualem detentorem. Cfr. Gury, I. n. 638 et Lehmk. I. n. 950. Alii tamen, ex. gr. Carrière, n. 1048, censent pretium esse tribuendum domino.

3° Si possessor bonae fidei rem alienam, *titulo gratuito acceptam, tertio vendiderit*, in casu evictionis vel spontaneae restitutionis ab hoc emptore factae, semper debet ipsi pretium acceptum reddere. Ad hoc enim implicite in contractu venditionis se obligavit, neque ullum damnum proprium hic timendum est. Ubi vero res ipsa a domino recuperari nequit, pretium illi a venditore est rependendum. Regula enim generalis est, ne aliquis ex re aliena cum domini jactura locupletetur, siquidem res magis obligata est domino quam aliis, atque adeo magis debet pretium et lucrum domino parere ut cum indemnem servet quam aliis. Ita Lugo (disp. 17. n. 26) aliique fere omnes.

4° Si possessor bonae fidei majore pretio *rem alienam vendidit quam emerat*, tenetur certe ad hunc excessum domino reddendum, quando augmentum pretii inde oritur quod res in se ipsa crevit, ex. gr. quod equus adolevit : incrementum enim ipsum manifeste ad dominum pertinebat. E contra, certe sibi servare potest pretii augmentum quando ex ipsius industria oritur, ex. gr. quod se in alium locum ad venditionem peragendam contulit. Probabilius etiam servare potest augmentum quod sine peculiari industria obtinuit : hic enim non videtur fructus rei naturalis vel civilis, sed potius per accidens, occasione rei alienae, acquisitus.

Huic doctrinae suae Lugo (l. c. n. 23) hanc limitationem apponit : domino, non recuperanti rem suam, restituendum esse excessum pretii quo res vendita est, quando, tempore quo eam vendidit, illud erat pretium justum medium ejusdem rei : secus enim ex re aliena, cum domini detrimento, locupletaretur. Sic qui emit triticum furtivum, quando viliore pretio vendebatur, et postea, crescente pretio tritici, illud in eodem loco, absque ulla industria, pretio medio vendidit, tenetur ad illum

excessum domino tradendum, cum ex ipsa re enasci videatur; posset tamen, si id mallet, triticum ejusdem qualitatis eidem restituere.

5° In his tamen solutionibus attendendum num aliquid mutandum sit ob dispositiones C. C. aa. 2279 et 2280 de rebus mobilibus furtivis, quando emuntur in nundinis, licitationibus, etc. Cfr. n. 492.

527. Haec de restitutione rei principalis sufficiunt. Manent autem breviter solvendae duae quaestiones accessoriae : una de fructibus rei alienae, altera de expensis a possessore bonae fidei in eadem re factis.

I. De fructibus.

1° Possessor bonae fidei certo sibi retinere potest illos fructus quatenus ipsius industriae respondent : quoad hanc enim partem non oriuntur ex ipsa re, sed potius, occasione rei, e possessoris labore et peritia. Ideo plene servari possunt fructus *mere industriales*, ex. gr. tabula alieno penicillo picta, soluta tantum aestimatione usus instrumenti alieni. E fructibus autem in quibus natura cum industria concurrit et qui idcirco nunc *mixti*, nunc *naturales* vocantur, servare licet id quod labori respondet. Sic qui segetem in alieno agro sevit ac messuit, messem, soluto pretio locationis agri, retinere potest.

2° Reliquam fructuum partem, utpote ex ipsa re oriundam, possessor bonae fidei per se deberet domino restituere : res enim domino fructificat. Probabilius tamen, ex jure nostro (C. C. a. 549), possessor bonae fidei fructus omnes, durante bona fide perceptos, servare potest. Is autem, e sensu C. C. (a. 550), censetur bonae fidei possessor qui rem possidet tamquam proprietarius, titulo de se apto ad dominium transferendum et cujus vitium ignorat. Quare ii tantum hoc beneficio legis fruuntur qui possident vi tituli saltem putativi, qui natura sua aptus sit ad dominium transferendum, ex. gr. per donationem vel venditionem, seu scripto, seu facto tantum peractam, minime vero qui possident per conductionem, commodatum, etc. (1) Fructus naturales percipi censentur quando colliguntur, ex. gr. messes ubi caeduntur ; fructus civiles de die in diem acquiri censentur. (C. C. a. 586) Hanc dispositionem juris civilis etiam in foro conscientiae valere, fere omnes recentiores AA. opinantur, quia legi civili competit jus transferendi dominii ad commune bonum obtinendum ; hic autem sat magna adest utilitas, scil. ut vitentur lites implexae de fructibus illis reddendis et ut faveatur possessori bonae fidei, qui ex illa improvisa restitutione quandoque positivum damnum pateretur. Contradicunt tamen plures, hanc dispositionem

(1) Cfr. de sensu hujus legis Baudry-Lacantinerie, *Précis de Droit civil*, t. I. n. 1270 seqq. (3ª editio, 1888)

juri naturali repugnare existimantes, quatenus, sine justa ratione, tribuit possessori fructus nondum consumptos. Ita Ball. P. (n. 221) et Lehmk. (I. n. 948), quibus consentiunt quidam jurisperiti, ut Laurent (Cours élém. de Droit. civ. t. I. n. 537). (1)

528. II. De expensis.

Expensae distingui solent in *necessarias*, *utiles* et *voluptuarias*. Necessariae dicuntur eae sine quibus res interiisset vel deterior facta esset; utiles, quae ejus fructus naturales vel civiles augent, ex. gr. labores suscepti ut ager a nimia aqua liberetur; voluptuariae, quae speciem tantum exornant, ex. gr. picturae muros decorantes.

Jamvero necessarias dominus compensare debet (a. 1381), imo et utiles, cum ampliorem rei valorem nequeat sine compensatione a possessore exigere. Voluptuarias vero possessor repetere non potest, sed tantum tollere, si a re principali separari possunt; quodsi separari, saltem utiliter, nequeunt, ut picturae a pariete, jure stricto relinquendae sunt domino: is enim cogi nequit ad solvenda ea quae veram utilitatem non afferunt. Cfr. D'Annib. I. n. 243.

Attamen ex aequitate naturali manifestum est, non posse possessorem a domino repetere expensas factas ad obtinendos illos fructus quos ipse sibi retinet. (Waffel. de Just. II. n. 241)

§ 3. DE POSSESSORE MALAE FIDEI.

529. Possessor malae fidei regulariter ex duplici titulo tenetur ad restitutionem domino rei alienae faciendam: ex re accepta et ex injusta acceptione. Ob priorem titulum, habet easdem obligationes quae supra de bonae fidei possessore explicatae sunt; ob posteriorem titulum, habet omnes obligationes injusti damnificatoris.

I. Rem ipsam adhuc exstantem domino quamprimum restituere debet. Si vero eam jam non possidet propter aliquam actionem suam, ex. gr. quia eam donavit vel destruxit, aut propter aliquam omissionem culpabilem, ex. gr. quia non curavit ut alimenta equo praeberentur, **pretium** ejus domino rependere debet, etiamsi inde ditior non evasit.

Tandem si ipsa **res casu periit**, videndum utrum consequenter ad injustam detentionem an independenter ab illa perierit. Si *consequenter*,

(1) E communi Theol. sententia, inspecto Jure naturali et Romano (quod de hoc argumento satis obscurum est), restituendi sunt fructus naturales, mixti et civiles adhuc exstantes, deductis tamen expensis propriis et aestimatione laboris seu industriae. (S. Alph. n. 610)

ex. gr. quando incendio destruitur furis domus simulque lana furtiva quae in ea jacebat, fur ad restituendum pretium obligatur : nam actione sua injusta huic destructioni ortum dedit. Si vero *independenter* ab injusta detentione res periit, non tenetur ipsius rei pretium restituere, quamvis damna ex injusta detentione exorta saepe maneant compensanda. Hoc autem contingit, quando res perit e defectu intrinseco, ex. gr. equus e senecta vel morbo quem fur cura ordinaria avertere nequivit ; quando res fuisset, saltem probabiliter, ex eodem periculo apud dominum peritura, ex. gr. si eodem incendio et furis et domini domus comburuntur ; etiam probabiliter, secundum plures, ut D'Annib. (II. n. 240), quando eodem tempore apud dominum ex alio periculo periisset, ex. gr. si frumentum furtivum navi furis impositum comburitur dum navis domini, cui subductum est, in eadem navigatione naufragio perit.

Ex C. C. (a. 1302), quacumque ratione perierit res furto sublata, fur ad pretium reddendum obligatur. Haec tamen dispositio, cum poenam imponat, nequit in foro conscientiae urgeri ante judicis sententiam.

Antequam dominus rem suam repetat, potest probabiliter possessor malae fidei rem furi restituere, dummodo aliud medium non suppetat pretium suum recuperandi, ut n. 524 de possessore bonae fidei dictum est. Ita Lugo (disp. 17. n. 37), et probabile censet S. Alph. (n. 570). Ratio est, non videri sub hoc respectu discrimen inter utrumque possessorem. Nam injustus acceptor tenetur tantum ad faciendum ne dominus ex injusta acceptione sua damnum patiatur ; porro, rescissa emptione, jam nullatenus per ejus actionem damnum domino infertur, siquidem rem alienam in eodem statu reposuit ac si numquam eamdem emisset.

QUAER. Num ad restitutionem teneatur qui consumit vel destruit rem quae certo peritura erat, puta ob incendium, naufragium, incursionem hostilem.

RESP. Probabilius a restituendo immunis est qui rem destruit vel consumit eo loco quo alioquin peritura erat et intra illud tempus quo apud dominum periisset, ex. gr. qui consumit annonam mox in mare projiciendam vel naufragio perituram ; qui interficit equum quem hostes sine ulla spe restitutionis abducturi erant. Ratio est : res in tali conditione positas nullius esse valoris pro domino. At si res periculo erepta alio loco vel tempore consumitur aut destruitur, ubi jam non erat certo peritura, ex. gr. si bibitur vinum ex incendio ereptum, restituendus est valor rei consumptae vel destructae : nam quando res periculo erepta est, iterum valorem suum recuperat. Ideo nequit destrui vel consumi nisi cum onere restitutionis. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 12.

n. 93 seqq.) Semper tamen potest destructor deducere expensas a se factas et pretium laboris adhibiti ad rem e periculo liberandam.

530. II. Restituere vel compensare debet omnes **fructus** ex re aliena ortos, etiamsi jam consumpti sunt, neque ex illis ulla ratione ditior factus est. Ratio est, quod omnes fructus ex ipsa re provenientes, ex quo exstant, ad dominum pertinent.

Excipiendi tamen sunt fructus mere industriales, ex. gr. lucrum e negotiatione perceptum, et probabiliter etiam alii quos bona fide consumpsit, putans invincibiliter esse suos, et per quos ditior factus non est. (Lugo, disp. 17. n. 53)

III. Compensare debet omne **damnum emergens et lucrum cessans** quod, saltem in confuso, praevidit domino ex injusta acceptione et retentione oriturum esse. Cfr. n. 511. Ita ex. gr. compensare debet damnum domino illatum eo quod equo per furtum sublato uti nequivit, vel quod frumentum sublatum in agro seminare nequivit ideoque messe caruit.

Hinc merito deducunt AA. recentiores, ut Ball. P. (nota ad n. 239), hodie pro omni pecunia vel merce ablata et sat diu retenta solvendum esse *auctarium* seu *interesse*. Ratio est, quod hodie, pro omni pecuniae summa alii praestita, legitime auctarium exigi solet; similiter pro merce quae facile in pecuniae summam aequivalentem converti potest. Excipiendum tamen videtur : si quandoque constaret dominum non fuisse hoc auctarium percepturum, puta quia pecuniam suam otiosam servare solet. Quantitas autem auctarii solvendi quandoque determinabitur ex ipsis adjunctis, puta si subtrahuntur obligationes auctarium producentes. Secus, ne plus quam damnum certo illatum compensetur, sufficiet restituere auctarium quod communiter, cum plena securitate capitalis, in singulis locis eo tempore percipi potest, puta hodie in Belgio 3 °/₀. Nullatenus autem tenetur fur ad tribuendum, ante sententiam judicis, auctarium legale, quod solet multum excedere id quod communiter omnes tuto obtinere queant. Cfr. n. 619.

Insuper sedulo advertendum discrimen quod viget inter valorem *juris certi* et *juris incerti*, ne obligatio compensandi lucrum cessans plus aequo extendatur. Quando enim aliquis damnificatur in eo quod actu habet, restituendum est ad aequalitatem. At quando damnum in eo consistit quod aliquis tantum impeditur ne obtineat quod erat in via habendi, sufficit aliquam compensationem facere secundum conditionem personarum et negotiorum. (S. Th. 2. 2. q. 62. a. 4) Ideo Lugo (disp. 18. n. 133) : " Quoties agitur de restitutione lucri cessantis vel damni emergentis, regula generalis ab omnibus tradita est, quod debeat restitutio

fieri non integre, sed juxta majorem vel minorem certitudinem talis lucri, vel vitandi talis damni quantum scil. spes illa incerta valere poterat, attentis iis omnibus quibus effectus impediri poterat. „

531. IV. Difficilius determinatur quid restituendum sit quando res **valore mutata** est eo tempore quo fur eam restituere vult, vel quando solvendum est pretium rei quae, tempore injustae detentionis, varium valorem habuit. Solutio singulorum casuum petenda est imprimis a generalibus principiis datis de restitutione ex re accepta et ex injusta acceptione. Speciatim haec notasse juvabit :

1° Si res deterior facta est, ex. gr. vestis usu attrita, plerumque una cum re danda est compensatio quae valoris deminutioni respondeat : secus enim dominus non plane indemnis servaretur. Imo, si notabiliter minutus est valor vel alia justa ratio adest, ut si dominus merito metuat vestimentis, quibus alius usus est, indui, poterit a fure exigi ut pro re integrum valorem, quem tempore furti habebat, solvat. (D'Annib. II. n. 240. nota 13)

2° Si res apud furem crevit, reddenda est cum omnibus incrementis : quia res crescit domino. Exemplo sint obligationes quarum valor, tempore injustae detentionis, creverit.

3° Quando res, quae periit vel consumpta est, varium habuit valorem, ut sciatur utrum summus an infimus sit restituendus, considerandum est num per injustam detentionem, alienationem seu consumptionem, dominus privatus fuerit lucro quod ad eum pertinebat, vel damnum passus sit ; insuper num tale lucrum vel damnum potuerit, saltem in confuso, praevideri. Ita :

a) Si quis furatur statimque consumit triticum quod postea fuisset majoris pretii, constat autem dominum illud servaturum fuisse donec illo majore pretio vendere potuisset, hoc pretium majus fur restituere debet.

b) Si dominus rem consumpturus erat tempore quo minus valebat, fur autem eam consumpsit tempore aucti pretii, duplex datur sententia probabilis. Juxta Lugo (disp. 18. n. 126) et S. Alph. (n. 621), restituendum est pretium auctum : quia res domino fructificat, etiamsi hunc fructum non fuisset quaesiturus. Juxta Molina, Lessium, Ball. P. (n. 238), etc. sufficit reddere pretium minus, quia sic reparatur totum damnum illatum ; non est autem reparandum quod domino non erat obventurum.

c) Si pretium rei decrevit infra valorem quem res tempore furti habebat et dominus eam servaturus fuisset donec pretium decrevisset, sufficiet ei reddere pretium minus.

Merito tamen notat Gury (I. n. 648) : " In praxi, cum fere non innotescant omnes praefatae circumstantiae, plerumque sola urgenda est compensatio valoris quem, tempore furti, res habebat. „

532. V. Deducere potest possessor malae fidei **expensas** necessarias et utiles quas fecit ad rem conservandam. (C. C. a. 1381) Hunc satis obscurum textum legis ita interpretantur Jurisperiti (1) ut huic possessori plene resarciendae sint expensae necessariae, quippe quas ipse dominus omnino debuisset facere, utiles vero eatenus tantum quatenus rei valorem reapse auxerint. Voluptuarias expensas nullatenus deducere potest, sed quae addidit tollere potest, si absque rei laesione tolli possunt. Patet etiam, e jure naturae, deduci posse expensas quas fecerit ad lucrandos illos fructus quos domino restituere debet : hic enim nequit ex alienis bonis ditescere.

VI. Si res aliena **successive a pluribus** mala fide possessa est, imprimis restituenda est ab eo qui eam detinet vel ejus pretium compensandum est ab eo qui eam consumpsit aut quovis modo amisit. In ejus defectu tenetur raptor. Reliqui autem tenentur, his deficientibus, ad partem vel totum, prout dicetur infra n. 548.

Singuli insuper tenentur ad compensanda damna vel ad reddendos fructus, prout ex injusta detentione eos perceperunt vel domino detrimentum intulere. Quodsi ii quibus rem tradidere, pro parte sua non satisfaciunt, tenentur ad eorum partem supplendam. (Gury, I. n. 650)

§ 4. DE POSSESSORE DUBIAE FIDEI.

533. I. Omnis possessor qui, propter probabilem rationem, dubitat utrum res a se possessa sit sua an aliena, tenetur ad veritatem indagandam ea diligentia quae rei valori et dubii gravitati respondeat. Cfr. dicta in simili argumento, n. 485.

II. Si, adhibita debita diligentia, **dominum reperit**, ei restituere debet tantum rem alienam vel id in quo ditior factus est, ut supra dictum est de possessore bonae fidei. Si vero **dominum inquirere neglexit** ita ut graviter hac negligentia peccaverit, jam ab illo tempore contrahit omnes obligationes possessoris malae fidei, ideoque etiam ad damna domino compensanda tenetur.

Quando dubium perseverat, multum refert utrum possessio cum bona fide coeperit an dubium ab initio adfuerit : nam multo melior est conditio possessoris in priore quam in posteriore casu. Igitur :

III. Qui bona fide possidere coepit, perseverante post debitam inquisitionem dubio, probabilius rem totam retinere potest.

(1) Videsis Laurent, *Élém. de Droit civil*, t. III. n. 1381.

Ratio praecipua hujus communioris sententiae est, quia per possessionem bonae fidei acquiritur jus insistendi in re donec cum morali certitudine constet rem esse alienam. Inde liquet tali possessori jus esse ut rem retineat, etiamsi eam probabilius alienam esse existimat. (S.Alph. l. 1. n. 35)

Talis possessor poterit rem consumere vel alienare, saltem emptorem monendo de dubio quod circa illam rem vertitur ; similiter, non obstante dubio, praescribere poterit. Apparente autem domino, antequam legitimum praescriptionis tempus effluxerit, tenetur reddere id in quo ditior factus est. Cfr. n. 490.

534. IV. Qui ab initio dubia fide rem possidet, perseverante post debitam diligentiam dubio, varias habet obligationes pro varia ratione qua hanc possessionem incepit :

1° Si rem abstulit ab illo qui erat dominus vel qui bona fide possidebat, tenetur rem totam priori possessori restituere et damna ex injusta ablatione secuta resarcire : nam posteriori possessio non favet, siquidem numquam bonae fidei fuit. (Lugo, disp. 17. n. 80)

2° Si rem titulo emptionis, donationis aliove simili obtinuit, tenetur ad restitutionem faciendam pro quantitate dubii. Exemplo sint ii qui emunt vestes vel monilia cum timore probabili ne res istae furto subductae fuerint. Quodsi dominus reperiri non potuit, restitutio haec pauperibus facienda erit, cum res injuste acquisita retineri non possit. Cfr. n. 552. Attamen, si cum dubia fide rem accepisset ab eo qui bona fide rem detinebat, nihil restituere teneretur : nam succedit in jure quod ille bonae fidei possessor habebat, qui in illum transtulit jus totum quod habebat. (Lugo, l. c. n. 81 seqq.)

N. B. Qui coepit mala fide possidere, postea autem probabiliter dubitat num res sua sit, habendus est sicut is qui ab initio dubitabat : nam judicium illud quod falsum fuisse comperitur nullum effectum producere potuit.

V. Quando, **ob culpabilem omissionem diligentiae** in quaerendo domino, fit ut ille jam amplius reperiri nequeat, ex. gr. quia interim mortui sunt testes qui dominum manifestare potuissent, certum est rem possessam esse pauperibus dandam ab eo qui dubia fide possidere coepit : is enim possessori malae fidei merito assimilatur.

Ubi vero res bona fide possideri coepta est, communior sententia, quam S. Alph. (lib. 1. n. 37) veriorem censet, possessorem obligat ad aliquam restitutionem pauperibus faciendam : propterea quod ipse culpabiliter dominum privarit spe quam iste ad rem habere poterat, et illa spes erat pretio aestimabilis. Alii tamen AA. ex. gr. Tamburini (Expl.

Dec. de Consc. c.3. v. Restitutio) opinantur totam rem ab eodem retineri posse, quia, sublata possibilitate dominum reperiendi, nemo habet melius jus quam ille qui ab initio erat bonae fidei possessor et rem certo detinet. Huic sententiae, quae non videtur improbabilis, favet etiam Lehmk. I. n. 957 pro casu quo dubitaretur tantum modo indeterminato num res aliena esset, non autem ambigeretur de jure quod determinato alicui homini in illam rem competeret.

CAPUT IV.

DE INJUSTA COOPERATIONE.

535. Injustus cooperator dicitur quisquis cum alio est causa damni. Cfr. quae dicta sunt n. 235 de cooperatione quae adversatur caritati. Simile enim est praesens argumentum, quamvis et discrimina nonnulla oriantur e varia ratione qua obligant virtutes caritatis et justitiae. Ad restitutionem autem quod attinet, non novis principiis hic opus erit, sed jugiter applicanda erunt ea quae supra Capp. II et III stabilita sunt. Obligatio enim restituendi, quae injusto cooperatori incumbit, semper oritur ex injusta acceptione vel ex re accepta, vel ex utraque radice simul. Igitur, pro variis casibus, applicanda erunt quae de restitutione explicata sunt circa injustum damnificatorem vel malae fidei possessorem.

Novem cooperandi modi recenseri solent cum S. Thoma (2. 2. q. 62. a. 7) his versiculis:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ex his novem modis sex priores dicuntur *positiva* seu *directa* cooperatio, in hoc sita quod aliquis alium inducit ad injuriam committendam; tres posteriores dicuntur *negativa* seu *indirecta* cooperatio, in hoc consistens quod aliquis non impedit injuriam quam impedire potest et e stricta justitia impedire debet. Praecipua de singulis cooperationibus exhibebimus.

§ 1. DE JUBENTE.

536. Jubens seu mandans hic intelligitur quicumque alium quacumque ratione inducit ad damnum tertio, *suo nomine*, inferendum. Parum igitur refert utrum ille qui alium ita velut instrumentum ad damnum

inferendum adhibet, vera auctoritate in eum polleat necne. Similiter parum refert quo medio usus sit ut alium ad damnum inferendum induceret, utrum metu an spe mercedis, praecepto an precibus. Hoc essentiale est ut inter utrumque intercesserit mandatum, i. e. contractus quo quis officium vel negotium suscipit exsequendum in gratiam alterius seu ejusdem nomine. Potest autem mandatum etiam tacite dari, puta si superior coram subditis suis conqueratur quod nemo injuriam sibi factam ulciscatur, ut coram aulicis suis de S. Thoma Cantuariensi conquestus est Henricus II. (Ball. P. n. 132 seqq.)

Nullatenus autem inter mandantes reponendus est qui approbat seu ratum habet damnum sine praevia conventione patratum, ex. gr. a servo suo.

Obligationes mandantis.

I. Mandans tenetur principaliter ad reparanda omnia damna quae alter vi mandati tertio intulit. Nam eo ipso quod damnum suo nomine vult fieri, assumit sibi onus restituendi, ortum ex opere quod in ipsius commodum fiet ; exsecutor autem, cum mandanti tamquam instrumentum subordinetur, secundario tantum ad restituendum tenetur. Idem dicendum esse patet de iis damnis quae cum exsecutione mandati moraliter conjuncta sunt ita ut vix potuissent vitari.

II. Mandans non tenetur ad reparanda damna quae mandatarius intulit, sponte mandati limites transgressus, vel ex errore quem, moraliter lōquendo, cavere potuisset. Ratio in promptu est : mandans in haec damna efficaciter influxisse dici nequit. Aliter vero dicendum, si talia essent adjuncta ut hunc excessum vel errorem vitare moraliter non potuisset exsecutor.

III. Mandans a damno restituendo excusatur quando mandatum ante illius exsecutionem revocavit et haec revocatio, damno nondum illato, exsecutori innotuit. Si enim is, tali revocatione cognita, nihilominus damnum infert, puta ut recipiat mercedem promissam, id jam soli ejus malitiae tribuendum est. (Lugo, disp. 19. n. 24)

Ubi vero mandans revocavit quidem mandatum, sed revocatio quamcumque ob causam, puta ob litteras interceptas, exsecutori, ante damnum illatum, non innotuit, tenetur ad damni compensationem; idem dicendum de casu quo revocatio innotesceret quidem exsecutori, sed ex errore judicaretur non serio facta. Ratio est, quod in utroque casu damnum efficaciter e mandato consequitur. (Lugo, ib. n. 26)

IV. Mandans per se non tenetur ad reparanda damna quae mandatarius in exsequendo mandato perpessus est : qui enim libere negotium

gerendum suscipit, simul quoque in se assumit exsecutionis pericula. Excipe tamen : *a)* si mandans se ad talem indemnitatem praestandam obligaverit ; — *b)* si mandatarius vi vel metu ad negotium suscipiendum coactus est, puta servus quem dominus gravibus minis cogit ad damnum inimico suo inferendum.

§ 2. DE CONSULENTE.

537. Consulens hic dicitur qui, motivis veris vel apparentibus, alii suadet ut aliquid injustum faciat, vel modum quo fieri possit docet, vel etiam precibus aut promissionibus movet. Supponitur autem numquam suadere ut suo nomine damnum inferatur : secus enim fieret mandans.

Obligationes consulentis.

I. Consulens tenetur ad reparandum damnum ad quod inferendum alium consilio suo formaliter injusto induxit. Ratio est, quod cum moveat efficaciter ad hoc damnum inferendum, illius causa moralis censendus est. Ad hanc tamen restitutionem secundario tantum, seu in defectu damnificantis, obligatur : is enim, cum nomine proprio agat, est damni auctor principalis.

Si vero consilium injustum daretur ei qui jam esset ad malum inferendum determinatus, cessaret obligatio restituendi : nam in hoc casu consilium jam nequit dici efficaciter influxisse in damnum secutum. Similiter dicendum de eo qui consulit ut tali potius quam alio modo vel citius damnum inferatur, nisi per accidens hujusmodi consilium auxisset damnum vel etiam totius damni causa fuisset, puta quia si diutius exspectatum esset, alii malefactorem impedivissent : tunc enim restituenda esset a consulente illa pars damni in quam efficaciter influxisset.

Si duo simul eidem consulunt, ex. gr. ut furtum patret, isque consilio obsequitur, uterque ad restituendum obligatur : quia uterque efficaciter in furtum influxit. (Lugo, disp. 19. n. 12)

II. Consulens non tenetur ad compensanda damna quae alter in exsequendo consilio forte passus est. Nam scienti et volenti non fit injuria. Excipe tamen casum quo alterum adeo fraudibus et sophismatibus circumvenerit ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit : ita enim ejus actio jam non esset voluntaria. (Gury, I. n. 678)

538. III. Generatim a restitutione excusatur consulens qui consilium suum, antequam damnum inferatur, revocat, allegatis rationibus de se idoneis ad pravi consilii influxum elidendum.

Etenim vis prioris consilii eliditur per rationes oppositas, praesertim ex fide vel naturali lege desumptas : quod si iis cedere nolit damnificator, damnum propriae ejus malitiae unice adscribendum est. Ita Ball. P. n. 140 et satis probabile existimat S. Alph. n. 579. Contradicunt tamen plerique, ut Lugo (disp. 19. n. 37), quia, si nihilominus alter damnum infert, censendus est id facere propter influxum motivorum commoditatis vel utilitatis quae consulens in opere iniquo manifestavit : haec enim motiva sunt velut arma quibus alium ad homicidium instruxisses ; licet postea peteres ne iisdem uteretur, semper causa moralis homicidii maneres.

Satis convenit consulentem non excusari a restitutione per retractationem, si damnificatori ostendit modum quo patrare possit, ex. gr. furtum quod, sine illa notitia, patrare non potuisset. In hoc enim casu recte applicatur similitudo modo allegata armorum quae alii ad nocendum data fuissent. Ut in eodem vere efficax censenda esset retractatio, oporteret ut exsecutorem a damno inferendo cohiberet, ponendo obstaculum vel monendo eum cui malum immineret. (Lehmk. I. n. 1005)

IV. Si quis consulit minus malum ei qui secus majus inferret, fere convenit inter AA. consulentem ad restitutionem non teneri, quando consulit damnum minus eidem personae inferendum ; quando autem consulit ut damnum alii inferatur quem damnificator non intendebat, plerique eum ad restituendum obligant. (Lugo, disp. 19. n. 47 ; S. Alph. n. 565) Nihilominus probabilis est sententia hanc obligationem negans. Nam consilium hujusmodi conforme est caritati, quae postulat ut volenti majus malum inferre, suadeam minus, et ut potius impediam damnum plus quam minus passuri. Ideo damnum passus rationabiliter invitus esse nequit erga consulentem, sed tantum erga damnificatorem. (Vasquez, de Scand. a. 1. dub. 2. n. 14 ; Turrianus, de Fide, disp. 95. dub. 6 ; Ball. P. n. 144)

539. Praeter consilium supra definitum, quod a quibusdam AA. impulsivum vocatur et proprie ad cooperationem injustam pertinet, habetur **consilium doctrinale** : quod consistit in declaratione data de alicujus actionis, puta contractus bonitate aut malitia, valore vel invaliditate, etc. (Marres, l. 2. n. 89) De obligatione e tali consilio orta ad reparanda praesertim damna efficaciter ex eo secuta, haec sunt tenenda :

I. Qui *officium gerit* quo ad consilia danda designetur, ex gr. confessarii, advocati, notarii, si consilium nocivum dederit mala intentione vel ex imperitia graviter culpabili, tenetur ad compensanda damna inde secuta tum consilium petenti, tum tertio, puta ei quocum consilium

petens bona fide contractum fecerit. Ratio est, quod consilium petens jus strictum habet, ob munus a consulente susceptum, ut is peritus sit et moralem diligentiam in consilio dando adhibeat, et utrumque adesse prudenter praesumere debet.

Similiter ad restituendum obligantur talibus officiis fungentes si, temeritate graviter culpabili, omittunt inquisitionem ad casus difficiliores necessariam.

II. Qui hujusmodi *officium non assumpsit*, generatim excusatur a restitutione pro damno quod consilium petenti illatum est, nisi dolose peritiam affectet ita ut alter fraude circumveniatur. Nam, excepto fraudis casu, consilium sequens illius de cujus peritia ipsis non constat, sponte se damni periculo exponit. Attamen etiam hujusmodi consulens tenetur ad compensandum damnum quod ex ejus consilio illatum sit tertio, dummodo hoc periculum laedendi innocentem, saltem in confuso, praeviderit.

III. Qui consilium nocivum, *sine gravi culpa theologica*, dedit, tenetur ex justitia ad illud retractandum : quod si, nulla justa causa impeditus, omisit, ad damnum compensandum tenetur. At si consilium sine gravi incommodo retractare nequit, ab omni restituendi onere eximitur. Cfr. n. 513.

§ 3. DE CONSENTIENTE.

540. Consentiens hic intelligitur qui, consensu vel suffragio suo, efficaciter concurrit ad jus strictum alterius laedendum. Exemplo sint judex vel juratus cum aliis injustam sententiam ferens, deputatus iniquam legem suffragio suo stabiliens, etc. Consentienti applicanda sunt generalia principia de injusto damnificatore posita, cum et ipse damni causa moralis existat.

Una difficultas hic enodanda manet : quandonam consentiens censendus sit damni secuti efficax causa fuisse. Jamvero in hunc finem haec statui possunt :

1° Si omnes simul injustum suffragium ferunt, ex. gr. schedulis secretis, assurgendo, etc., omnes pariter ad damnum compensandum tenentur. Nam omnes ex aequo concurrunt ad actionem *moraliter unam* e qua oritur damnum.

2° Si suffragia successive proferuntur, tenetur consentiens ad restitutionem quando iniqua suffragia *ex conspiratione* dantur, puta quia ita convenit inter alicujus factionis membra. Neque excusatur eo quod

suffragia ad damnum inferendum sufficientia jam prius emissa erant : nam conspiratione etiam in illa emittenda influxit.

3° Ad restitutionem in simili casu etiam tenetur consentiens quotiescumque suffragia revocari possunt, donec suffragatio completa sit : quia damnum tunc nondum est illatum, cum pendeat non solum a prima prolatione suffragii, sed etiam a perseverantia in illo ; quare adhuc efficaciter in damnum influitur. (Lugo, disp. 19. n. 18)

4° A restitutione non excusatur consentiens eo quod praeviderit sufficientia suffragia secutura esse ad damnum inferendum. Nihilominus enim damnum *reapse* infert. (Lugo, l. c. n. 19)

5° Quando suffragia sunt irrevocabilia, consentiens, ex. gr. legi injustae sanciendae, peccat quidem contra justitiam, sed restitutione non tenetur, si ejus suffragio jam praecesserunt suffragia damno inferendo sufficientia. Ratio est eum, in hac hypothesi, non esse causam efficacem damni quod jam illatum supponitur. (Lugo, l. c. n. 17) Hoc autem valet etiam quando suffragia secreto dantur, si forte constare potest jam suffragia sufficientia praecessisse. Exemplo sit qui inter 30 suffragatores vigesimus suffragium fert et postea, apertis suffragiis, certior fit duos tantum iniquae sententiae non consensisse : sic enim constat saltem 17 iniqua suffragia praecessisse ideoque damnum jam fuisse illatum quando suffragatus est. (Ball. P. n. 145)

6° Non tenetur ad restituendum qui suffragium injustum efficaciter revocat, antequam damnum inferatur. Ratio patet.

7° Nec teneretur ad restituendum qui suffragium dedisset in rem injustam, quando hoc esset unicum medium avertendi majus nocumentum. Cfr. n. 538. Hoc etiam prorsus licitum esse potest, ex. gr. deputatis, dummodo non agatur de re quae absolute sit intrinsecus mala, et protestatione declaretur ea quae minus recta sunt unice admitti ut pejora excludantur. (Lehmk. I. n. 800)

§ 4. DE PALPONE.

541. Palpo dicitur qui laude, adulatione vel exprobratione ignaviae, alium ad damnum tertio inferendum inducit.

Nullum est inter palponem et consulentem discrimen nisi quod ille consilium suum laude, adulatione et similibus motivis fulcit. Ideo ad restituendum iisdem sub conditionibus eademque amplitudine tenetur ac consulens. Adverte illum damnum verum inferre, etiamsi patratum jam est scelus, ubi praevidet laudes vel vituperia sua probabiliter causam fore ob quam damnificator principalis non restituat.

§ 5. DE RECURSU.

542. Recursum praebens seu receptans dicitur ille qui vel res furto sublatas recipit vel ipsi damnificatori refugium praebet, ita ut is propterea ad damnum inferendum juvetur vel saltem ad restitutionem faciendam non cogatur.

Si recipiuntur res alienae, contrahuntur obligationes quae possessori malae fidei incumbunt. Si ipse fur receptatur, reparandum est damnum quod ex illa cooperatione praevidetur probabiliter oriturum, ut dictum est de injusta damnificatione. Exemplo sint caupones qui pecuniam a filiisfamilias furto sublatam in compensationem expensarum prodigarum recipiunt vel iis qui furari solent in penetralibus suis locum tutum praebent e quo ad praedandum exeant. Ex ipsa definitione receptantis liquet hoc nomine non venire qui damnificatorem ex amicitia vel misericordia occultant ita ut poenas debitas non luat vel eidem, sine ullius damno probabiliter et determinate praeviso, alia ratione securitatem praestant.

§ 6. DE PARTICIPANTE.

543. Participans proprie dicitur qui, in ipsa actione injusta, principalem damnificatorem adjuvat. Interdum, sed minus proprie, hoc nomine etiam ille intelligitur qui partem rei alienae detinet: de quo manifestum est eadem valere quae de possessore malae fidei statuta sunt. Qui autem proprio sensu in damno inferendo partem habuit, regulariter tenetur ad compensandum illud damnum in quod cooperatione sua efficaciter influxit. Saepe tamen sat obscurum est quanta pars damni sit huic cooperationi tribuenda. Interdum totum damnum ipsi merito imputabitur, etiamsi per se solam insufficiens sit ad illud producendum, eo quod, conjuncta cum alia simili causa, determinat existentiam effectus quem, negato concursu, impedire potuisset, ex. gr. si quis adjuvat furem ad auferendam arcam quam neuter solus ferre posset. Saepius tamen, quando causa est de se insufficiens ad totum damnum inferendum, neque ex conspiratione agitur, cooperans tenebitur tantum ad partem, prudenti arbitrio, pro quantitate influxus, determinandam. (Ball. P. n. 158)

Interdum participans ab omni restitutione excusatur, nempe quando cooperatio, materialiter ab ipso praestita, ob causam sufficientem, licita evadit. Quae exceptio ut intelligatur, hic inquiri solet quandonam liceat participare vel universe cooperari materialiter actioni qua alteri damnum infertur.

Distinguendum autem est inter participationem *immediatam* et *mediatam*. Priorem praestat qui cum altero ponit actionem qua jus tertii laeditur aut qua damnum tertio, nulla alia actione interposita, infertur, ex. gr. januam domus cum fure effringendo. Posteriorem praestat qui ponit actionem ex qua damnum tertio tantum per alterius malitiam sequitur, ex. gr. clavem januae domus furi tradendo. Jamvero de utraque hac participatione haec videntur tenenda :

544. I. De participatione mediata.

Haec licita est iisdem conditionibus quibus licet cooperatio materialis contra caritatem. Cfr. n. 235. Ideo, praeter bonam intentionem, requiritur : 1° Ut actus ponendus non sit intrinsece malus. — 2° Ut bonus effectus, puta liberatio cooperantis ab aliquo periculo, oriatur ex illa participatione aeque immediate ac pravus. — 3° Ut habeatur ratio proportionate gravis ad hanc damni causam ponendam. De gravitate autem illius rationis judicium formandum erit fere sicut de causa ad cooperandum contra caritatem dictum est. Pensandum est nempe malum quod a negata cooperatione timetur cum damno injusto quod ex ea concessa praevidetur, et notandum strictius urgere justitiam quam caritatem. Sic lucrum ordinarium sufficit ut vendantur arma aliaque similia quibus aliqui damnum proximo inferre possint, dummodo nullum periculum determinatum praevideatur ; quod si praevidetur, ex. gr. quia emens insania vel ulciscendi cupidine abreptus apparet, talia ei sine causa gravi vendi nequeunt. Similiter licet, ad periculum mortis, vulnerationis et similia vitanda, apponere scalam furi, ei domus diripiendae viam indicare, etc. Ob minorem etiam causam talia licerent quando alii adessent qui hanc cooperationem facile praestarent. (Gury, I. n. 689)

II. De participatione immediata.

1° In *homicidio* numquam licet : quia innocentis occisio intrinsece mala est.

2° In *mutilatione* non licet, nisi cum abscissio unius membri ad corporis salutem necessaria est : nam, excepto hoc casu, mutilatio quoque est intrinsece mala. (n. 365)

3° In damno quod bonis fortunae infertur licet, quotiescumque dominus rationabiliter invitus esse nequit. E communi autem sententia, hoc contingit tripliciter : *a)* si cooperans damnum, e cooperatione sua secuturum, vult ac potest reparare ; — *b)* si, negata cooperatione, damnum aequale nihilominus certo a principali damnificatore inferretur ; — *c)* si damnum quod dominus timet, leve est : caritas enim non sinit eum velle ut alter propterea grave damnum patiatur. Probabiliter etiam licet hujusmodi participatio, quando timetur gravissimum damnum in bonis

quae sunt superioris ordinis quam bona fortunae, ex. gr. mutilatio, gravis infamia. Qui enim cooperationem sine tali damno negare nequit, in extrema necessitate versatur, in qua omnia fiunt communia : ideo quantum potest sumere ex iis bonis ut ex illa necessitate exeat, tantum damnum poterit, ob eamdem rationem, alienis bonis inferre. Ita S. Alph. n. 571, cui tamen adversatur communis veterum, ut Lessii, Sanchez, Lugonis, etc. sententia. Hi enim opinabantur praesumi non posse domin consensum, eo quod nemo ad alterius vitam servandam grave damnum pati teneatur. Cfr. n. 502.

§ 7. DE COOPERATORIBUS NEGATIVIS.

545. Tres distinguuntur cooperatores negativi : *mutus, non obstans, non manifestans.* De his simul dicetur, cum iisdem regulis subjaceant.

Mutus dicitur qui, antequam damnum inferatur, non loquitur, non monet, non impedit.

Non obstans ille est qui, dum damnum infertur, non obstat vel non prohibet damnificationem.

Non manifestans ille est qui, damno jam illato, non denuntiat damnificatorem domino laeso vel Superiori.

ASSERTUM. Ut cooperatores negativi teneantur ad reparandum damnum quod non impediverint, sequentes conditiones requiruntur :

1ª Ut ad illud impediendum e contractu expresse vel tacite, puta per officii susceptionem, inito teneantur. Nam, dempto contractu, singuli ad impedienda aliorum damna ex sola caritate, non autem ex justitia commutativa obligantur : quippe quae jubeat tantum aliorum jura non violare. Quare nullo contractu obligati possunt interdum graviter peccare contra caritatem dum aliorum damna non impediunt, sed justitiam commutativam non laedunt.

2ª Ut non fuerint gravi incommodo proprio a contractu servando excusati. Regulariter enim qui contractum hujusmodi init vel officium suscipit, non intendit se ad res alienas custodiendas cum tanto incommodo obligare. Hinc :

a) Custodes nemorum, mercium, etc. tenentur ad compensanda damna rebus a se custodiendis illata, si ea, cum moraliter possent, non impediverunt vel damnificantes non denuntiarunt.

b) Vectigalium praepositi qui sinunt tributa fraudari, tenentur ad restituendum pretium quod a fraudantibus solvendum erat ; non debent tamen restituere pro mulctis quae fraudantibus impositae fuissent si eos denuntiassent. Directe enim ex officio suo ordinantur ad tributa

exigenda, non autem ad Statum per lucrum poenarum locupletandum. (Lugo, disp. 37. n. 102)

c) Qui novit alium suo nomine abuti ad damnum inferendum, et tacet, sciens silentium suum animos addere damnificatori, ad restituendum tenetur : silentium enim ejus est causa damni. (Ball. P. n. 160)

546. QUAER. I. Num famuli teneantur ad reparanda damna domino illata quae culpabiliter non impediverunt vel non denuntiarunt.

RESP. 1° Tenentur ii qui se ad custodiendas res in quibus damnum patitur dominus, expresso vel tacito contractu obligarunt, puta si ipsis concreditur custodienda domus vel, etiam ad breve tempus, committitur clavis cellae vinariae.

2° Reliqui, ex communi sententia, non tenentur, ubi damna ab aliis famulis vel personis domesticis illata sunt : nam non sunt censendi se ad onus tam odiosum obligare voluisse. (Lugo, disp. 19. n. 105)

3° Probabiliter etiam non tenentur quando damna ab extraneis illata sunt. Non clare enim apparet quare famuli, eo quod se domesticis servitiis addicunt, se etiam tam stricte *ex justitia* obligent ad bona domini contra extraneos tutanda. Ideo nutare videtur fundamentum cui Lessius, Lugo et plerique AA. obligationem restituendi superstruunt : nempe commune gentium jus quo famuli se ad hanc custodiam ex justitia obligent. Insuper, laxatis hodie quamplurimum vinculis quibus heri et famuli constringebantur, hi jam solent fere ad nihil aliud se obligare velle quam ad fideliter obeundum peculiare servitium ad quod conducuntur. Ita post Molina, Azor, etc., plerique recentiores, ut Ball. P. n. 161 ; D'Annib. II. n. 209 ; Marres, l. 2. n. 116.

QUAER. II. An ii qui aliis praesunt teneantur ad reparanda damna quae a subditis suis fieri non impediverint.

RESP. 1° Tenentur quando silent in talibus adjunctis ut subditi prudenter hoc silentium *tamquam positivam approbationem* habere possint. Sed tunc se habent ad modum positive cooperantis, nempe consulentis vel consentientis.

2° Tenentur etiam qui *ex justitia*, propter contractum expressum vel tacitum, obligantur ad aliorum damnum praecavendum. Sic herus qui opus aliquod perficiendum contractu suscepit, illudque deinde mandato operariis suis exsequendum committit, tenetur ad compensanda damna quae operarii operae conductori, in ipso opere exsequendo, inferunt, saltem ubi damnum illud e culpabili heri negligentia oritur. (Marres, n. 112)

3° Non tenentur probabilius ii omnes qui aliis tantum *e pietate* invigilare debent, ut paterfamilias pro liberis et famulis, ludimagister pro alumnis, etc. Deest enim obligatio ex justitia commutativa ad damna aliorum impedienda. Verum iidem post judicis sententiam tenentur, etiam in conscientia, ad damnum reparandum, dummodo revera illatum fuerit et cum culpa ipsorum juridica. Lex enim justa est. Possunt tamen pretium a se erogatum ab ipso damni auctore repetere, quia leges intendunt favere damnificatis, non autem damnificantibus. (Marres, n. 114)

In Jure nostro (C. C. a. 1384), dominis imputantur damna ab eorum famulis vel mandatariis facta, etiamsi ea non potuerint impedire, quia, eligendo incapaces vel improbos, in se assumunt damna quae isti in officio suo exercendo inferre possunt.

547. QUAER. III. Num aliquis teneatur ad reparandum damnum illatum per animalia quorum dominium vel usum habeat.

RESP. 1° Ante judicis sententiam tenetur, quando gravi culpa theologica illis invigilare neglexit. Nam unusquisque tenetur ex justitia commutativa impedire ne per res suas, perinde ac per actiones suas, damnum aliis inferatur. Idem dicendum de damno illato per rem non animatam, puta si domus neglecta collabitur et transeuntes vulnerat, vel per puerum nondum rationis compotem.

2° Post judicis sententiam tenetur in conscientia, dummodo sententia errore facti non nitatur. Cfr. C. C. a. 1385 seq.

QUAER. IV. Num teneatur ad restituendum qui, dum jure suffragii pollet, a suffragio ferendo abstinet, cum sententia damnosa a majore parte communitatis, societatis et similium fertur.

RESP. 1° Certe non tenetur quando jus suffragii ferendi ipsi in merum favorem et gratiam conceditur: nemo enim mero favore uti tenetur.

2° Nec videtur teneri quando datur idem jus in communem utilitatem potius quam in favorem privatum, etiam cum obligatione suffragii ferendi, dummodo nullus tacitus contractus initus fuerit suscipiendo officium cui haec obligatio annexa sit. Hujusmodi censendum est jus quod competit civibus, in plerisque Statibus hodiernis, designandi eos qui leges ferant vel communitatem aliamve regionis partem administrent. Cfr. n. 359.

3° Tenentur regulariter ii quibus jus suffragandi competit ex officio, in utilitatem etiam publicam gerendo: ii enim, suscipiendo hujusmodi officium, tacite se obligarunt ad negotia administranda et ad

causas dirimendas in communem utilitatem. Ideo tenentur ad compensanda omnia damna quae praeviderint suffragio suo efficaciter impediri posse. Non tenentur vero in duplici casu :

a) Si cum plena certitudine praevident tantum fore numerum eorum qui injustae sententiae vel legi calculum daturi sint, ut nulla sit spes eam efficaciter impediendi. Qua de re tamen scite monet Lugo (l. c. n. 68) cavendum esse ne quis, propter humanum timorem, sibi fingat praesentiam suam fore inutilem, " cum non raro contingat, quod ex unius sententia, ingenue et libere prolata in publico, multi moventur et sententiam etiam jam dictam mutant. „ Quod praesertim in minoribus conventibus, ex. gr. societatum commercialium vel industrialium, saepe usu venit.

b) Si justam causam absentiae seu legitimum impedimentum habent. Haec autem causa excusationis tanto major esse debebit quanto majus malum ex absentia timetur. Quare qui norunt rem magni momenti tractatum iri et periculum esse ne absentia sua noceat, non poterunt nisi ex gravissima causa excusari. (Lugo, l. c. n. 67)

Hinc regulariter ad restituendum tenentur magistratus vel deputati, qui munus aliquod, puta administratoris, in aliqua societate privata suscepere; judices vel jurati qui communi calculo sententiam ferre debent, etc. quoties absentia sua vel " abstentione „ moralis causa fuerunt damni reipublicae, religioni vel privatis illati.

QUAER. V. Num teneatur ad restitutionem erga dominum furto laesum qui a fure pecuniam accipit ad tacendum, neque ex officio ad furem denuntiandum obligatur.

RESP. Non tenetur, dummodo res a fure data non sit furtiva, neque aliquid agat quo positive furi animum addat. Nam sicut is qui, nullo pretio accepto, denuntiationem omittit, contra solam caritatem peccat, ita qui, accepto hoc pretio, tacet, justitiam commutativam non laedit. (Lugo, disp. 19. n. 102)

§ 8. DE RESTITUTIONE IN SOLIDUM.

548. Obligatio restituendi in solidum, quae et solidaritas nuncupatur, est obligatio quae incumbit singulis cooperatoribus reparandi solidum seu integrum damnum quod a pluribus illatum est.

De hac obligatione tria praesertim consideranda veniunt : 1° Quibus cooperatoribus incumbat. 2° Quo ordine a singulis sit praestanda. 3° Quaenam ab ea peragenda excusent.

I. Obligatio restitutionis in solidum determinatur hac regula : unumquemque teneri ad reparandum damnum cujus causa fuerit cum conditionibus n. 512 seqq. explicatis. Hinc sequitur neminem ad totum damnum reparandum obligari nisi aliqua ratione totius damni efficacem causam, sive physicam, sive moralem posuerit. Hoc autem contingit :

1° Quando cooperatores *e stricta conspiratione* agunt. Talis conspiratio *certo* habetur cum singuli ceteros efficaciter ad commune consilium, ex. gr. furtum patrandum, determinant, puta per suasiones, hortationes, etc. Multi etiam *opinantur* talem conspirationem, quae ad restitutionem in solidum obliget, adesse quotiescumque *individuum damnum* communi consilio a pluribus infertur, ex. gr. incendere domum, navem in altum demergere, etc. Ratio eorum est quod etiam tum totus effectus moraliter a singulis procedit : siquidem, propter concursum, cooperatio singulorum cum actione ceterorum coalescit in actionem moraliter unam e qua damnum procedit. Nihilominus censent Lugo (disp. 19. n. 83) et S. Alph. (n. 579) probabilem esse sententiam quae, in hoc casu, cooperantes obligat tantum ad solvendam partem suam in damno quod sine ipsis etiam fieret. Affertur haec ratio : singuli tunc, sicut partialiter tantum concurrunt, partialiter tantum obligantur. Ut enim fatentur oppositae sententiae fautores : qui cum aliis infert damnum *dividuum*, ex. gr. vastando segetem, tenetur tantum ad partem suam ob partialitatem effectus in damno causato; ergo, a pari, qui concurrit partialiter tantum ad damnum *individuum*, ob partialitatem influxus, partialiter tantum tenetur.

2° Quando actio illius de cujus obligatione quaeritur *sufficiens* fuit ad totum damnum sive immediate, sive mediate inferendum. Exemplo sunt qui mandato suo famulos ad furandum inducunt, qui una cum sceleris socio, sclopetum explodens, hominem interimit, qui socios quaerit ad rem furtivam asportandam, etc.

3° Quando actio cooperantis, quamvis sola sufficiens non fuerit, tamen *necessaria* fuit ad damnum inferendum. Exemplo sit in genere causae physicae, qui furem adjuvat ad asportandam arcam quam is solus asportare non potuisset; in genere causae moralis, qui cum pluribus aliis convenit de inferendo damno quod isti, eo contradicente vel absente, inferre numquam ausi fuissent.

Si, e regulis supra positis, non constat cum morali certitudine de influxu cooperantis in totum damnum, is manet quidem obligatus ad reparandum damnum quod ipse intulit, ex. gr. ad compensandam partem segetis a se vastatam; restitutio autem in solidum, utpote dubia, imponi nequit.

Ex iisdem regulis resolvi possunt sequentes casus :

a) Qui se adjungit aliis jam determinatis, ex. gr. ad domum expilandam, non tenetur nisi ad partem damni quam ipse intulit vel rei alienae quam ipse detinet; ad totum damnum reparandum teneretur, si ejus praesentia vel opitulatio ita fuisset reliquis necessaria ut sine illa damnum inferre non potuissent vel ausi non essent.

b) Miles gregarius qui, in bello injusto, damna cum reliquo exercitu intulit, probabilius non tenetur ad reparanda damna a sociis illata. Nam concurrit quidem partialiter ad damna a toto exercitu causata, sed ita ut sine illo damna eadem a reliquo exercitu inferrentur. Licet enim singuli reliquorum concursu moveantur, non moventur tamen consortio hujus gregarii militis ita ut, eo absente vel recedente, non moverentur. Quare influxus singulorum militum in damnum totale tam debilis est ut vix sit attendendus. (Lugo, disp. 19. n. 90)

c) Qui suffragio suo ad sententiam legemve injustam ferendam concurrit, nondum completo numero ad damnum inferendum necessario, in solidum tenetur. (Lugo, ib. n. 83)

d) Qui, sine conspiratione stricte dicta, ignem subjicit aedibus quas alii jam incenderunt, probabiliter in solidum non tenetur. Licet enim causa ex natura sua ad totum damnum inferendum apta sit, reapse tantum partialiter influxit in damnum quod alii jam ex parte intulerant. Tenetur tamen ad compensandum damnum quod reapse, ex igne a se apposito, aedibus illatum est, nisi incendium eo tempore quo ignem injecit jam tanta vi saeviret ut aedes integrae certo periturae essent. (Lehmk. I. n. 1017)

549. II. Ut determinetur **ordo** quo a cooperatoribus singulis integrum damnum reparandum sit, distinguendum est inter eos qui eodem prorsus gradu et modo in damnum illatum influxerunt, et inter eos qui gradu vel modo differunt, puta quia unus rem furtivam detinet dum alter tantum ad eam auferendam adjuvit, vel quia unus est damni causa principalis, alter causa secundaria tantum. Igitur :

1° Quando cooperatores eodem gradu et modo se habent ad damnum illatum, ex. gr. tres qui e stricta conspiratione domum incenderunt, singuli absolute tenentur ad satisfaciendum pro virili parte ; conditionate autem ad totum damnum reparandum, nempe si reliqui, vel quidam ex illis, restituere aut noluerint aut non potuerint. Attamen qui ita pro aliis integram restitutionem fecit, potest a singulis repetere, etiam per occultam compensationem, partem ad quam illi absolute tenebantur, puta, in citato exemplo, tertiam.

2° Quando cooperatores diverso gradu vel modo se habent ad damnum illatum, primo loco ad restituendum tenetur qui rem alienam detinet in se vel in aequivalenti ; secundo loco, mandans ; tertio loco,

exsequens vel actionis particeps ; quarto loco, ceteri cooperatores positivi ; quinto loco, cooperatores negativi.

Attamen magnum discrimen viget inter rationem qua tenetur *causa principalis* et rationem qua tenetur *causa secundaria*. Principalis enim, ex. gr. mandans vel (hoc deficiente) fur, absolute obligatur ad totum damnum compensandum. Ideo si ipse restitutionem integram fecit, nihil jam neque ipsi, neque damnificato debent causae secundariae, ex. gr. non manifestantes. At si causa secundaria, deficiente principali, integram restitutionem effecit, tenetur principalis ad tribuendam causae secundariae compensationem quam damnificato tribuere debuisset. Haec enim successit in jus damnificati cui pro principali satisfecit.

Consulens regulariter est causa secundaria relate ad exsecutorem : quia plerumque exsecutor proprio nomine et in suam utilitatem damnum infert. Quandoque tamen primario teneri potest : nempe si consilium dedit in proprium tantum commodum. (S. Alph. n. 560) Imo etiam fieri potest ut solus teneatur, nempe quando sciens volens dat injustum consilium quod alius bona fide exsequitur : quod praecipue accidere potest in iis qui apud alios fama vel auctoritate pollent. (Lugo, disp. 19. n. 35)

550. III. Excusatur a restitutione in solidum facienda is qui per se ad eam tenetur :

1° Si nescit vel, inquisitione facta, dubius haeret num restituerit auctor principalis vel alii cooperatores. Nam crimina non sunt praesumenda, sed probanda ; nec quisquam ad restitutionem faciendam obligatur nisi de ea facienda, morali certitudine, constet : quod in casu non obtinet, siquidem dubium manet num obligationem supplendi pro aliis contraxerit. (Marres, n. 127)

2° Si damnum passus debitum condonavit causae principali : nam, ruente principali, ruit accessorium. Ob rationem autem contrariam, patet manere obligationem causae principalis, si damnificatus remissionem facit causae secundariae. (S. Alph. n. 581)

3° Si damnum passus remittit alicui e causis aeque principalibus partem suam, reliqui jam ab hac parte supplenda eximuntur. (S. Alph. ib.) Per se tamen haec remissio tamquam plena condonatio erga alios haberi nequit, nisi ex adjunctis pateret hanc esse condonantis intentionem. (Gury, I. n. 703)

Ad praxim conducit quod docet S. Alph. (H. A. tr. 10. n. 54), plerumque non expedire ut confessarius moneat participantes in furto de obligatione restituendi in solidum, praesertim si sunt conscientiae parum meticulosae ; quae doctrina ad alios similes injustos cooperatores extendi potest. Nam aegre hujusmodi homines sibi persuadebunt se

teneri ad compensandam partem quae ab aliis ablata vel destructa fuerit : ipsi autem domini supponi possunt consentire ut singuli damnificantes tantum partem a se ablatam vel destructam compensent, ne, si de integro damno reparando admoneantur, ab omni restitutione abstineant.

CAPUT V.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS.

§ 1. DE PERSONA CUI RESTITUENDUM SIT.

551. Universali principio hoc argumentum regitur : ei restituendum esse cujus laesum sit jus. Restitutio enim fit ut laesum jus alienum reparetur. Quare si per errorem alii facta est restitutio quam personae laesae, manet integra obligatio restituendi, cum aequalitas minime reparata sit. Excipitur tantum casus quo res quae in individuo jam alienata est, sine delicto erat in possessione restituentis : nam si transiit ad tertium, neque jam recuperari potest, periit domino, is vero qui possessor erat bonae fidei, nulla jam ratione ad restituendum tenetur. (n. 525) Cfr. Lessium, l. 2. c. 16. n. 62 seqq.

Tres casus hic distingui possunt : nam vel certo constabit vel dubium erit vel penitus ignorabitur ab eo cui restitutio incumbit quis laesus sit seu rei injuste acceptae sit dominus. De singulis casibus quaedam singillatim statuemus.

ASSERTA. I. Quando **certo constat** quis damnum passus sit, ei restituendum est, etiamsi forte non sit immediatus rei ablatae vel destructae dominus. Is enim cui restituitur, in rei possessionem mittitur : ideo res reddenda est ei qui hic et nunc habet jus eam possidendi. Ita si quid injuste ablatum est depositario, commodatario, conductori et similibus, his, non autem immediatis dominis restituendum erit.

Attamen quandoque immediatis dominis restitutio fieri poterit, nempe si talia sunt adjuncta ut ii qui jus possidendi habent nullum incommodum exinde passuri videantur, vel si iidem probabiliter aestimantur rem cum damno domini absumpturi.

Similiter quae accepta sunt a filiofamilias , uxore, pupillo, religioso, etc. ex bonis quorum isti administrationem non habeant, per se resti-

tuenda sunt patri, marito, tutori, praelato. Attamen restitutio ipsi filiofamilias, uxori, etc. facienda esset, si restitutio patri, marito, etc. facta gravem infamiam illis inureret, nec necessaria foret ut hi indemnes servarentur. (Ball. P. n. 194)

Si laesa est aliqua communitas legitima in iis bonis quae, velut persona moralis, possidet, restitutio facienda est iis qui ejusdem bona administrant : hi enim repraesentant personam illam moralem cui laesio facta est et quae proinde jus habet ad restitutionem. Sed si ipsa communitas ad finem pravum prosequendum instituta est, neque jus existendi, neque jus possidendi legitime in foro conscientiae habere potest, quamvis in foro externo tale jus ipsi a lege civili agnoscatur. Bona igitur quae in communi civiliter possidet, revera in dominio singulorum membrorum esse pergunt, ut observat Lehmkuhl. (I. n. 1021) Ideo restitutio pro rata singulis membris facienda esset. Facile etiam pro membris illis pauperes eligi poterunt, praesertim quod raro pars singulis reddenda erit gravis, neque talis restitutio pro rata singulis sine magna difficultate fieri plerumque poterit. Attamen communitati legitimae, quae bona quaedam in pravum usum adhibet, restitutio, pro damno hujusmodi bonis illato, facienda est : pravus enim usus non impedit quominus jus suum in haec bona servet.

552. II. Si **dubium est** quisnam laesus fuerit vel ad quemnam res aliena pertineat, imprimis diligentia rei valori proportionata adhibenda est ut dubium tollatur. (n. 485) Quodsi nihilominus dubium remanet, aliter casus solvendus erit prout dubium inter paucos vel inter multos versatur.

Si inter *paucos* versatur, inter ipsos pro rata dividenda erit res quae restituenda venit, nisi malint ipsi amicam compositionem inire. Exemplum habes in eo qui reddere debet nummum aureum certe ab uno e paucis simul ludentibus amissum.

Si inter *multos* versatur, ut praesertim usu venit mercatoribus qui, fraudando in pondere et mensura, nulli notabile damnum intulerunt, lucrum vero sat magnum injuste fecerunt, conandum est ut restituatur iis qui laesi fuerint, quantum moraliter fieri potest, ex. gr. augendo pondus et mensuram. Attamen nonnisi leviter peccaret qui talem restitutionem faceret pauperibus, praesertim ejusdem loci : siquidem, cum nullus graviter laesus supponatur, erga nullum determinatum habetur gravis restituendi obligatio. Imo a veniali quoque excusaretur, dummodo accederet aliqua rationabilis causa, ex. gr. quia sine aliquo notabili incommodo clientibus restituere nequit, vel quia adsunt pauperes valde indigentes, quibus ut restituatur, facilius censeri possunt domini laesi consentire. (S. Alph. n. 595)

III. Si **penitus ignoratur** quis laesus sit vel quis rei injuste acceptae sit dominus, distinguendum erit utrum is qui restitutioni obnoxius sit, delictum admiserit an non.

Si quis bona fide quaedam aliena acquisivit, ex. gr. existimans rem furtivam reapse ad venditorem pertinere, probabilius ea quae mobilia sunt servare potest, ut de rebus inventis dictum est (n. 485), quae immobilia sunt usucapione acquirere. (n. 489)

Si restitutio ex delicto oritur, sive res aliena in se vel in aequivalenti detinetur, sive mera damnificatio illata est, pauperibus vel causis piis restituendum est. Hanc obligationem unanimi fere consensu DD. admittunt ; de argumento autem quo probetur nonnihil dissident. Multi enim eam repetunt ex ipso jure naturali quod jubeat justitiam commutativam laesam reparari, saltem ob commune totius societatis humanae bonum ; ideo, deficiente domino, restitutio facienda est pauperibus vel causis piis, cum hac ratione efficaciter commune bonum procuretur et res saltem in spiritualem utilitatem domini impendatur. Alii tamen, quibus adhaeret S. Alph. (l. 5. n. 71), eam obligationem e solo jure positivo stricte constare existimant : quod probabilius videtur. Nempe universalis gentium christianarum consuetudo ad omnia debita e delicto orta extendit quod in Jure Canonico de pretio usurario (Decr. l. 5. t. 19. c. 5) et de lucro ex officio immerite suscepto (Decr. l. 5. t. 6. c. 16) restituendis statutum est. Cfr. Lessium, de Just. et J. l. 2. c. 14. dub. 6.

Quando hujusmodi restitutio pauperibus facienda est, is autem qui restituere debet pauper est, poterit eam sibi applicare : nullo enim jure possidens excluditur e numero eorum quibus restitui possit. (Lessius, l. c. n. 41)

§ 2. DE MODO, LOCO ET TEMPORE RESTITUTIONIS FACIENDAE.

553. I. De modo.

Modus ille per se plane indifferens est, dummodo aequalitas per injuriam laesa restituatur. Nam id unum obtinendum est ut damnificatus indemnis fiat.

Hinc neque actus humanus requiritur (n. 109), multo minus ut restitutio fiat advertente eo cui facienda est ; sufficit etiam ut debitum sub specie gratuitae donationis solvatur, vel ut per laborem in utilitatem domini libere assumptum, per indebitam parcimoniam aut similia media compensetur.

QUAER. I. Num servari possit donum quod creditor, cui sub specie gratuitae donationis restitutum sit, debitori reponderit.

RESP. Servari potest, quando merito praesumitur creditorem hoc donum largiturum fuisse, etiamsi debitor non fecisset hanc restitutionem, quamvis haec eum aliquatenus impulerit ad donationem faciendam; servari nequit, si constat restitutionem fuisse solam causam motivam hujus retributionis, siquidem nulla est donatio quae fit ex errore circa praecipuam donationis rationem. Attamen etiam in hoc casu quandoque a reddendo dono excusaretur debitor eo quod res donata exigui valoris esset vel reddi nequiret sine donantis offensa. Cfr. Marres, n. 135.

554. QUAER. II. An restituendi obligatio maneat quando res restituenda alii personae commissa est ut domino reddatur, nec tamen ad eum pervenit, sive casu, sive culpa aliena.

RESP. 1° Si restitutio facienda erat tantum ex re accepta, jam ejus obligatio evanescit, si rei detentor eam vel ejus aequivalens alteri viro fideli et diligenti commisit : res enim perit domino, neque jam in altero est ullum fundamentum restitutionis faciendae. Attamen, si culpam juridicam in eligenda intermedia persona commisit, poterit per judicis sententiam ad restitutionem obligari.

2° Si res ex injusta acceptione restituenda erat, regulariter manet obligatio restituendi : siquidem malae fidei possessor in se omnia rei alienae pericula suscipit. (n. 529) Attamen a restitutione iteranda liberatur qui rem commisit personae quam ipse creditor designavit vel quam debitor elegit cum venia creditoris : is enim ita censetur in se suscipere rei periculum. Pariter liberatur qui rem commisit personae quam ipsum jus, tamquam intermediam, designat. Tandem non pauci AA., ut S. Alph. (n. 704), damnare non audent eum qui se liberatum existimat quando rem confessario commisit restituendam. Revera probabiliter censeri potest confessarius, e consensu damnificati rationabiliter praesumpto, designatus ad ejus negotia gerenda : unde aequivalenter recidimus in primam exceptionem supra positam.

QUAER. III. Quomodo restituenda sint ea quae reipublicae vel municipio debentur.

RESP. 1° Si quidam modus lege determinatus est, is servandus erit. Nulla hujusmodi determinatio facta est in Belgio.

2° Deficiente modo per legem statuto, restituendum erit communitatis administratoribus (n. 551), ex. gr. ministro qui publici aerarii curam gerit, vel iis qui a Statu laesi fuerint. (n. 558) Probabiliter poterit summa restituenda pauperibus a republica alendis distribui, siquidem hujus onera ita minuuntur (Gury, I. n. 712) : quod potissimum suaderi potest ubi

summa restituenda valorem absolute gravem non attingit vel saltem non multum excedit. Posset quoque pro valore aequivalente destrui e titulis debiti publici. In plerisque vero regionibus ineptus modus esset destruere pecuniam chartaceam (billets de banque), eo quod societas argentaria (banque) a qua emittuntur hujusmodi chartae, solet habere jura prorsus distincta a reipublicae juribus.

555. II. De loco.

1° Qui unice *ex re accepta* restituere debet, non tenetur ad ullas expensas faciendas ut rem transmittat in alium locum in quo dominus versetur : sufficit ut dominum moneat qui, si rem ad se mitti cupiet, expensas solvere debebit.

2° Qui tenetur *ex injusta acceptione*, debet suis sumptibus rem deferre ad locum in quo alter eam habiturus esset, si non fuisset ablata, destructa vel inique detenta, deductis tamen expensis quas dominus eam servando vel deferendo debuisset facere.

Vix hodie in regionibus non omnino barbaris exoriri potest difficultas e magnitudine expensarum quae possessori malae fidei subeundae sint ad restitutionem peragendam. Nam, ob commeatuum facilitatem, plerumque res ipsa ad dominum parvis expensis remitti poterit ; quodsi magnae expensae ideo faciendae essent, sufficeret rei valorem (mandat-poste, accréditif sur la banque nationale) ad eumdem destinare. Si tamen quandoque nec ipse valor sine magnis expensis remitti possit, pauperibus distribuatur. Determinari autem nequit quantae praecise esse debeant illae expensae ut a restitutione ipsi domino facienda excusent : attendatur ad divitias vel inopiam furis, ad valorem rei ablatae, ad damnum quod dominus ex illius privatione passurus sit. Cfr. S. Alph. n. 598.

556. III. De tempore.

1° Restitutio per se *quamprimum* facienda est, ne quis jure suo diutius privetur. Attamen, ut dilatio restitutionis grave peccatum constituat in eo qui tamen restituendi animum servat, oportet ut is cui restituendum est notabile damnum ex illa dilatione patiatur, neque detur gravis ratio differendi ad tempus. Ob leviorem etiam rationem, dilatio ad breve tempus ab omni culpa excusabitur : quae brevitas e circumstantiis mensuranda erit. (Ball. P. n. 358)

2° Eadem regula, ad dignoscendum *grave peccatum*, adhibenda est etiam cum eo qui, licet statim totum restituere possit, vult, sine causa sufficiente, rem tantum per partes reddere vel ad mortem usque servare, haeredibus relicta cura restituendi. Praeter damnum quod ex ipsa dilatione oriatur domino, hic etiam graviter invitus esse poterit ne peri-

culo exponatur numquam recuperandi rem suam, puta quia alter impotens fiet ad solvendum vel haeredes restituere omittent. Attamen non raro fit ut homines ad haec damna vel pericula non satis attendant, praesertim quando restitutio tantum pauperibus vel causis piis facienda est. Quare cavendum ne sine fructu a bona fide dejiciantur. (Ball. P. n. 361) Semper tamen exigendum ut statim testamentum scribant vel alia ratione impediant ne, ipsis subito morientibus, omnis restitutio omittatur.

3° Damna *e dilatione culpabili* orta, et saltem in confuso praevisa, reparanda sunt : siquidem e culpa theologica efficaciter oriuntur. Minime vero compensanda sunt damna prorsus extraordinaria : quippe quae praevideri nequeant.

Damna autem *e dilatione non culpabili* orta, per se reparanda non sunt, si restitutio non est facienda e delicto : quia omnis injuria formalis abest. Quando vero e delicto oritur restituendi obligatio, communis sententia cum S. Alph. (n. 680) tenet damna ordinaria reparanda esse : quia vera causa talis damni manet prima acceptio formaliter injusta. Nihilominus non desunt AA. qui merito sententiam excusantem, saltem ut probabilem, amplectuntur : inter quos Navarrus, Dicastillo, La Croix, Ball. P. (n. 359) Arguunt ex eo quod justa dilatio, qualis hic supponitur, purgat moram : quare ita differens restitutionem non est injusta causa horum damnorum, nec potest censeri creditor rationabiliter invitus.

N. B. De quantitate restituenda satis dictum est nn. 511 et 529 seqq.

§ 3. DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

557. Duplex illarum causarum species distinguenda est : una, earum quae sufficiunt tantum ut differatur restitutio, tamdiu nempe quamdiu et ipsae persistunt ; altera, earum quae ad omittendam simpliciter restitutionem per se pertingunt.

I. CAUSAE DIFFERENDI RESTITUTIONEM.

Nullatenus ambigi potest quominus liceat restitutionem differre quando *physice impossibilis* est, ut si non habeas, nec habere possis quod restituendum est. Excusat quoque a restitutione statim facienda *impossibilitas moralis* seu grave damnum quod ex ea oriretur, sive debitori, sive creditori, sive tertio : tunc enim creditor eam urgere nequit, salva caritate, quam justitia evertere nequit. Cfr. D'Annib. II. n. 223. Hinc illa generalis regula, quam Laymann (l. 3. tr. 2. c. 12. n. 1) communem doctrinam esse testatur : neminem teneri ad restituendum cum suo notabiliter majore detrimento quam sit creditoris commodum,

Manifestum autem est hoc detrimentum oriri debere non ex nudo restituendi praecepto, sed ex specialibus rerum et personarum adjunctis. Ideo restitutio ad tempus differri potest :

1° Si debitor eam facere nequit quin decidat e statu suo juste acquisito, puta mercatoris, negotiatoris, etc. Hoc autem probabiliter valet etiamsi quis culpa sua, ex. gr. luxuria, ludo, crapula, se in tales angustias dejecit. (S. Alph. n. 702) At si status injuste acquisitus esset, ex. gr. si pauper testamento quodam supposito pinguem haereditatem acquisivisset, per se statim esset restituendum : is enim non tam excideret a statu suo quam ad suum rediret. Videndum tamen num forte, ob infamiam gravem incurrendam, ad tempus excusaretur.

Quando ratio legitima differendi restitutionem ex hoc capite habetur, viget tamen obligatio minuendi expensas et parce vivendi, quantum, servato statu, fieri poterit, ut quam citissime summa restitutioni necessaria comparetur.

2° Si debitor eam nunc facere nequit, nisi cum gravi damno in bonis juste acquisitis, quod, dilata restitutione, vitaret, ex. gr. si deberet agricola se privare frumento vel pecunia quae ipsi necessaria sint ut agros colat, si quis deberet vendere obligationes Status cum magno detrimento, etc.

Attamen si creditor aequale detrimentum e dilatione passurus est, ex. gr. si et ipse, ob omissam restitutionem, agros colere nequeat vel bona sua cum magno detrimento vendere debeat, restitutio facienda est: nam jus ad rem restituendam est penes creditorem, quo jure nequit illum spoliare debitor ad damnum vitandum, quando par damnum illi imminet. Hoc probabilius valet, etiam quando uterque in extrema necessitate constitutus est, res autem furto subtracta est ; quia ipsa extrema necessitas non dat jus usurpandi et sibi appropriandi rem alienam, quando ejus dominus jam est in aequali necessitate. (Lugo, disp. 21. n. 4) Alii tamen probabiliter opinantur, in necessitate extrema utriusque, omitti posse restitutionem, nisi praecise ob subtractionem illam dominus in extremam necessitatem sit conjectus. (S. Alph. n. 107)

Si tum debitor, tum creditor in gravi necessitate versantur, datur duplex sententia probabilis. (S. Alph. n. 703) Practice vix fieri potest ut qui jam ante restitutionem in necessitate gravi versetur, ea facta, non incidat in quasi-extremam : unde patet tunc ipsi gravius damnum imminere quam creditori, ideoque restitutionem differri posse. (Ball. P. n. 405)

3° Si debitor restituere nequit sine gravi damno in bonis altioris ordinis, ex. gr. in vita vel fama. Haec tamen ratio ut valeat, necesse est ut nulla pateat via indirecta, qua vitetur hoc periculum, qualis esset restitutio per confessarium.

Similiter dicendum, si restitui nequit sine gravi periculo spirituali pro restituente vel ipsius familia, ex. gr. si, ob inopiam inde secuturam, grave periculum oriretur ne filiae se prostituerent.

4° Si e restitutione imminet grave damnum creditori vel tertio, puta si creditor repetit gladium suum ad homicidium patrandum, vel librum pravum ad lectionem peccaminosam instituendam, etc. Imo etiam, quando sine gravi incommodo differri potest, e caritate oritur differendi obligatio. (Lugo, disp. 21. n. 26)

N. B. Interdum possent hujusmodi causae perseverantes ab obligatione restituendi etiam in perpetuum excusare, difficilius tamen si eadem ex delicto quam si aliunde oriretur. Plerumque poterit, sin minus integra summa, saltem pars illius, vel nunc vel postea restitui. (Lugo, l. c. n. 19 seqq.)

558. II. CAUSAE OMITTENDI RESTITUTIONEM.

Jam de pluribus causis supra actum est, nempe de praescriptione liberativa (n. 493), de occulta compensatione, per quam ipse creditor sibi restituit (n. 504), de paupertate ob quam debitor sibi applicare potest rem incerto creditori solvendam. (n. 552) Praeterea recenseri possunt :

1° **Remissio a creditore facta**, expressa, tacita (ex. gr. lacerato debiti chirographo), vel etiam rationabiliter praesumpta. Praesumi autem potest quotiescumque debitori fas est prudenter existimare creditorem, si remissio ab ipso peteretur, consensurum esse. Tunc enim desinit esse injusta rei alienae detentio. Sic multoties excusantur filiifamilias a restituenda pecunia parentibus subducta jamque expensa, praesertim si summa non ita magna est vel nonnisi aegerrime restitui potest.

Ut autem valida sit remissio, duae conditiones requiruntur :

a) Ut sit plane libera, non autem metu, vi vel fraude extorta : haec enim donatio est, quae essentialiter omnimodam libertatem requirit. Ideo nulla esset remissio quam debitor, paupertatem fingendo vel lites minando, obtinuisset.

b) Ut fiat ab eo qui condonandi potestatem habet. Haec autem iis tantum competit qui bonorum condonandorum tum proprietatem, tum administrationem habent. Ideo nulla esset remissio quae fieret a minorenni quoad bona sua, ab uxore quoad bona communia, ab administratoribus quoad bona societatis, nisi forte de rebus parvi momenti ageretur.

2° **Solutio creditori creditoris immediati.**

Haec manifeste aequalitatem laesam restituit, si per hanc solutionem creditor immediatus reapse liberatur ab onere solvendi aequalem summam creditori suo. Ideo, saltem in conscientiae foro, debitor ab obligatione

restituendi solvetur. Supponitur tamen, ut per se liquet, non agi de casu quo alter creditor, propter immediati creditoris impotentiam ad satisfaciendum omnibus, nihil aut partem tantum crediti sui recepturus erat. Talis autem mutatio fit prorsus licita ob causam rationabilem, quae praesertim habebitur quando, servato ordine solito, alter creditor jus suum recuperare nequiret.

3° **Compensatio**, qua debitum utrimque aequale exstinguitur. Necessarium autem est ut utrumque debitum sit certum et e justitia commutativa ortum. Ita liceret compensare debitum tribuendo officium saeculare, quod vendi solet pretio aequivalente.

Huc quoque refertur donatio quam debitor, debiti sui immemor, creditori facit. Haec, juxta probabiliorem sententiam, debitum totaliter vel partialiter, pro quantitate utriusque, exstinguit. Nam ex parte debitoris, supponenda est voluntas satisfaciendi obligationi strictae justitiae potius quam mera liberalitate donandi ; ex parte creditoris, habetur solida ratio existimandi eum sponte in compensationem consentire, cum receperit id omne ad quod jus habebat. (Ball. P. n. 419) Qui negantem sententiam tenent, concedunt tamen satisfieri si restitutio facienda est pauperibus vel causis piis, ac proinde a summa restituenda deduci posse eleemosynas factas a tempore contractae obligationis restituendi. (S. Alph. n. 700)

4° **Compositio a Rom. Pont. obtenta**. Haec conceditur tantum pro bonis incertis, seu quae causis piis applicanda sunt, quia dominus ignotus est vel adiri nequit vel quia nemo graviter laesus est, nec potest commode singulis leviter laesis compensari damnum, etc. In his adjunctis concedi solet a S. Sede ut, exigua quadam parte bonorum restituendorum piis causis attributa, reliquam sibi servet qui restitutione tenebatur. In quibusdam regionibus compositio hujusmodi conceditur Bulla Cruciatae ; in aliis obtineri potest recurrendo ad S. Datariam vel Poenitentiariam. Facultates hujus ultimi tribunalis in compositionibus concedendis videsis in Const. Bened. XIV *Pastor bonus*.Pro vario fonte in quem refunditur obligatio distribuendi causis piis bona incerta ex delicto restituenda (n. 552), haec concessio S. Sedis dicetur dispensatio in Jure Canonico vel usus potestatis indirectae quae R. Pontifici in temporalia competit. Probabilius is cui concessa est Compositio jam nihil domino comparenti restituere tenetur, eo quod donatio ipsi a S. Sede absolute facta esse videtur. Cfr. Lugo, disp. 21. sect. 7 ; Ball. P. n. 387 seqq.

559. SHOLION. Interdum S. Sedes plenam condonationem elargita est iis qui bona ecclesiastica injuste occupaverant vel ab aliis acceperant. Celebris est pro regionibus nostris condonatio facta a Pio PP. VII,

per Concordatum anno 1801 cum Napoleone I initum (a. 13), et pluribus aliis Pontificiis documentis explicata. His accessit pro Belgio declaratio ab episcopis nostris mense Januario 1834, e speciali Gregorii PP. XVI facultate, edita : articulum illum extendi ad omnia bona quae gubernium occupasset, tam ad ea quae post Concordatum alienasset quam ad ea quae adhuc detineret. In Belgio igitur, ubi de legitima proprietate bonorum olim ecclesiasticorum inquiritur, hae duae regulae sunt attendendae :

1° Omnia bona quae occupata sunt a gubernio, ab initio Gallicae perturbationis usque ad mensem Januarium 1834, sunt per se legitima proprietas gubernii vel privatorum. Onera autem iis bonis adnexa, si ad privatos pertinebant, nullatenus remissa sunt, quamvis saepe jam praescriptione evanuerint ; si ad Ecclesiam pertinebant, seu temporalia, seu spiritualia fuerint, condonatione comprehenduntur. *Hortandi* tantum sunt possessores ut pia onera, puta Missarum celebrandarum, exsequantur. (S. Poenit. 20 Mart. 1818)

2° Bona a privatis occupata et ab iisdem jugiter possessa, numquam condonata sunt : ideo per se recurrendum est in singulis casibus ad S. Sedem, quae per Compositionem possessionem sanabit. Attamen videndum num forsan per praescriptionem jam transiverint in dominium eorum qui ea bona fide detinebant : haec enim bona fides, quae in primis occupantibus reperiri non poterat, jam facilius in mediatis haeredibus vel acquisitoribus continget. (Craisson, Man. J. C. n. 5270 ; Marres, l. 2. n. 175) Regulariter sufficit possessio pacifica per 40 annos ; at multi Ordines Regulares privilegio gaudent quo tantum per 60 annorum possessionem contra eos praescribi possit. In praxi, ubi commode fieri poterit, melius paci et securitati conscientiarum consuletur recurrendo ad S. Sedem.

Similiter dicendum videtur de bonis quae Josephus II monasteriis eripuit : nulla enim generalis illorum condonatio facta est. Attamen, si per manus gubernii transierunt a perturbatione Gallica usque ad annum 1834, in condonatione Pii VII et Gregorii XVI comprehenduntur. (Van der Moere, de Just. App. de divenditis bonis eccl.) Neque aliter dicendum censemus de bonis suppressae Societatis Jesu. Ea enim a singulis episcopis, Breve suppressionis publicantibus, nomine S. Sedis apprehendenda erant, ut patet e Litteris quas 18 Augusti 1773 ad singulos episcopos misit Congregatio particularis de abolenda Societate Jesu, a Clemente XIV instituta. Verum pleraque gubernia eadem bona tamquam sua occupavere, neque umquam specialis condonatio pro iisdem facta est. Cfr. Aichner, op. cit. § 229.

Quae de bonis ecclesiasticis hic dicta sunt, de mobilibus aeque ac de immobilibus procedunt. Verum quidem est in quibusdam adjunctis,

de quibus loquitur Bened. XIV (Litteris 19 Martii 1752), facilius mobilia quam immobilia retineri posse vel haberi tamquam propria, ex praesumpta voluntate domini qui reperiri non posset, ut advertit Lehmk. (I. n. 1041) Vix tamen verificabitur ista hypothesis de bonis ecclesiasticis. Sed mobilia facilius quam immobilia bona fide possideri et praescribi poterunt.

CAPUT VI.

DE RESTITUTIONIBUS QUIBUSDAM IN SPECIE.

§ 1. DE LAESIONE IN BONIS SPIRITUALIBUS.

560. I. Spiritualia hic intelliguntur non tantum bona *supernaturalia* vel animae saluti conducentia, sed et *naturalia*, ex. gr. usus liberi arbitrii, scientia. Dubium non est quin, etiam in hujusmodi rebus, gravis injuria fieri possit ac proinde restituendum sit, dummodo restitutio sit possibilis. Hinc :

1° Qui alium veneno vel potione privaret usu rationis, peccaret graviter contra justitiam. Ideo, damno illato, teneretur remedia idonea, si qua forent, suppeditare quibus rationis usus recuperaretur, insuper omnia damna inde secuta et saltem in confuso praevisa reparare. (Lugo, disp. 9. n. 1)

2° Qui alium per fraudem in errorem practicum induxit, ex quo aliud malum praeter errorem sequi possit, tenetur ad auferendum errorem et ad compensanda omnia damna quae ex eo secuta sint, sive decepto, sive tertio, nisi forent extraordinaria et quae nullatenus praevideri possent.

3° In erroribus speculativis obtrudendis generatim nonnisi levis injuria committitur : quia malum illud intellectuale per se parvi momenti est. Attamen gravis injuria fieret, si error ille versaretur circa principalia et gravia fidei dogmata, vel si quis, praeceptoris officium exercens, errores tot vel tam fundamentales doceret ut discipulorum error pejor esset quam praecedens eorum inscitia : in utroque enim casu grave detrimentum deceptis inferretur. (Lugo, l. c. n. 5 seqq.)

4° Si quis alium per vim, dolum aut fraudem ad peccandum induxit, tenetur ad restituendum, nempe ad auferendam vim, dolum vel fraudem et ad compensanda damna ; si vero induxit alia ratione, ad restituendum

non tenetur, nisi peccatum ad quod induxit justitiae commutativae adversetur, ex. gr. furtum, detractio. Ratio discriminis est quod, in priore casu, violatur jus strictum alterius ne vi, dolo vel fraude aliquod malum ei inferatur ; in posteriore autem, valet axioma : Scienti et volenti non fit injuria. Ultima exceptio, de inducente ad peccatum contra justitiam commutativam, patet ex iis quae de consulente dicta sunt. (n. 537)

5° Si is qui per metum vel fraudem ad peccandum inductus est, invincibiliter ignorat peccatum a se commissum vel remedium ad recuperandam gratiam, ideoque de remedio contra peccatum non curat, is qui eum ad peccandum induxit ex justitia tenetur ad ostendendum illi remedium vel remedii necessitatem : haud secus ac qui venenum alteri praebuit, ex justitia obligatur ad antidotum praebendum. Sed obligatio justitiae corruit ex quo inductus ad peccandum novit et peccatum quod fecit et remedium quod adhibere potest : ipse enim hanc obligationem relaxat, dum non vult se liberare cum possit. Maneret tamen restituendi obligatio quoad alia mala temporalia vel spiritualia quae e tali peccato promanassent, puta si fraude ad peccandum inductus propterea expulsus esset e collegio vel famulatu in quo versabatur. (Lugo, l. c. n. 13)

561. II. Regula generalis est, in hac et sequentibus laesionum speciebus attendenda : probabilius non esse obligationem compensandi bona unius ordinis per bona alterius ordinis, puta vitam vel famam ablatam per pecuniam vel subsidia spiritualia. Ratio autem est, quia justitia commutativa pro formali objecto habet aequalitatem : quare, ubi aequalitas poni nequit, non habet locum obligatio strictae justitiae. Jamvero liquet nullam aequalitatem poni posse inter bona diversi ordinis, puta inter vitam hominis et pecuniam. Nec juvat ratio quam quidam AA. pro contraria sententia afferunt : justitiam poscere ut, ubi plena compensatio fieri nequit, saltem imperfecte et ex parte fiat. Nam restitutio ad hoc tendit ut nemo habeat e bonis suis minus quam habere debeat. Jamvero, si fieret compensatio per bona alius ordinis, ex. gr. famae per pecuniam, is qui laesus est semper pergeret totaliter carere re sua, ex. gr. fama qua injuste spoliatus est. (Lugo, disp. 11, n. 10 ; S. Alph. n. 627)

Attamen aequitati naturali prorsus consonum est ut, qui alios in bonis unius ordinis laeserunt, a judice damnentur ut damnum bonis alius ordinis compensent, puta detrimentum famae per pecuniam, cum perfectior reparatio saepe sit impossibilis : quare haec sententia, nisi naturalis aequitatis et consuetudinis limites excedat, in conscientia

obligat. (1) Licet etiam juri, quod laeso competit ad hanc judicialem reparationem obtinendam, pro certa pecuniae summa renuntiare. (Gury, I. n. 628)

§ 2. DE LAESIONE IN BONIS FAMAE ET HONORIS.

562. I. Cum unusquisque jus strictum ad famam suam habeat, patet tum detractorem, tum calumniatorem teneri ad eam restituendam ; insuper etiam ad reparanda alia damna e detractione vel calumnia secuta et saltem in confuso praevisa, puta amissionem muneris vel haereditatis. Supponuntur tamen adesse conditiones supra (n. 512) explicatae.

Si quis ex imprudentia seu sine gravi culpa theologica detraxerit vel calumniatus fuerit, is tenetur quidem ex justitia damnum oriturum impedire, non autem cum tanto incommodo ac si culpabiliter illud intulisset. Cfr. n. 513. Nullatenus autem ad restituendum obligatur qui de uno crimen narravit quod audientes de alio intellexere : siquidem damni causa fuit error audientium quem ipse tantum ex caritate corrigere debebat.

Restitutio illa famae ablatae facienda est efficaciter : ideo qui detraxit alteri per libellum famosum vel ephemerides, tenetur similibus mediis famam ejus reparare. Nullam autem, ante sententiam judicis, dari obligationem compensandi famam per alia bona temporalia, constat ex ante dictis. (n. 561)

II. Modus famam restituendi diversus esse debebit, ut per se patet, prout crimen verum injuste vulgatum vel falsum confictum erit. Quando *calumnia* impacta fuit, haec aperte retractanda est. Attamen si finis sufficienter obtineri potest, licet propriae famae consulere, dicendo se errasse vel deceptum fuisse ; secus, propriae famae jactura facienda est ut innocentis, cujus praevalet jus, fama redintegretur.

Quando *simplex detractio* admissa est, imprimis conandum est ut infamia illata directe auferatur, utendo aliqua amphibologia, dicendo ex. gr. se deceptum esse, intelligendo a diabolo vel propria passione, vel se falsum dixisse, intelligendo id quod non sit verum veritate publica, quae sola in hoc argumento hisque adjunctis dici possit. (Lugo, disp. 15. n. 30)

(1) Non una viget in omnibus regionibus praxis circa reparationem judicialem ei qui calumniam passus est concedendam. Sic in Belgio pro ipsa famae laesione compensationem pecuniariam concedere solent tribunalia (cfr. Code d'Instruct. crim. a. 358) ; in Hollandia, nulla conceditur compensatio pecuniaria pro famae laesione, sed tantum pro detrimentis secutis in bonis fortunae. (Marres, l. 2. n. 358)

Saepe tamen hujusmodi conatus prorsus irriti essent magisque obfirmarent auditores in sinistra opinione. Tunc recurrendum erit ad medium indirectum, puta ad laudes diffamato, etiam saepius, pro veris ejus dotibus dandas. Fatendum tamen est, ut advertit Ball. P. (n. 336), non raro id vix quidquam profuturum esse ad finem intentum. Sic, si de clerico nefandum crimen revelasti, parum juvabit ad ejus famam resarciendam quod ejus pietatem laudas vel ei honorem exhibes, quem alii etiam simulatum vel e mera civilitate profectum aestimabunt. Manet tamen semper obligatio resarciendi damna in bonis fortunae per detractionem illata.

Tum detractor, tum calumniator per se tenentur ad famam proximi laesam restituendam non tantum apud auditores immediatos, sed etiam apud eos quibus isti calumniam vel detractionem communicaverint, nisi res narrata fuerit tantum sub secreto vel iis personis quae non videbantur eam ultra manifestaturae. Ratio est, quia totum illud damnum e detractione vel calumnia procedit et saltem in confuso praevidetur. Hanc sententiam tamquam veriorem sequitur S. Alph. n. 991. Attamen probabile videtur quod addit Lugo (l. c. n. 16) : in praxi plerumque sufficere ut apud *immediatos* auditores reparatio fiat, tum quia solet moraliter impossibilis esse reparatio apud mediatos, tum quia eo ipso quod apud immediatos falsitas vel injuria detegitur, implicite illis committitur ut ipsi hanc retractationem apud eos quibus rem communicaverint, divulgent. Quodsi in aliquo casu constaret illos hanc commissionem noluisse acceptare, vel ratio esset prudenter dubitandi num eam acceptassent, primus detractor teneretur ad famam laesam etiam apud auditores mediatos reparandam, quatenus id fieri posset. Hoc igitur faciendum, si constat immediatos nihil retractasse vel existimasse rem, utpote publicam, licite aliis manifestari potuisse.

563. III. Causae excusantes a famae restitutione sunt praecipue sequentes :

1° Si infamia reapse secuta non est, quia auditores detrahenti non crediderunt vel rem non intellexerunt.

2° Si infamia jam sublata est, quia vel aliunde jam constitit auditoribus calumniae falsitas vel iidem detractionis omnino immemores sunt. Etiamsi dubitatur de oblivione infamationis, non videtur quis teneri ad patiendum damnum certum per detractionis retractationem ut incertum damnum proximi reparet. (S. Alph. n. 998)

3° Si ille qui infamatus est jam alia via famam in eadem materia amisit, puta quia crimen occultum evasit publicum.

4° Condonatio diffamati expressa, tacita vel rationabiliter praesumpta. Cfr. n. 558. Quodsi diffamatus condonaret quando caritate vel alia

virtute reparationem exigere juberetur, condonatio valida quidem, sed illicita esset : quare diffamator jam non ex justitia, sed ex caritate vel alia virtute famam restaurare deberet. Manifestum est nullam fore condonationem quam faceret diffamatus quoad alios, ex. gr. complices, secum diffamatos. (Lugo, l. c. n. 38)

5° Grave detrimentum quod diffamatori e restitutione imminet : quae causa tamen non excusat nisi quamdiu perstat. Oportet nempe ut hoc detrimentum longe superet illud quod diffamatus e dilatione vel omissione restitutionis passurus sit, vel ut timeatur grave damnum in bonis ordinis superioris. Cfr. n. 557.

6° Si diffamatus et ipse detractoris famam laesit, nec restituere vult : tunc saltem licet restitutionem differre donec alter restituat. Ratio est quod non cogeris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum. Ita S. Alph. (n. 999) contra Lugo. (l. c. n. 44 seqq.)

7° Impotentia physica et moralis, ut si jam reperire nequeas eum cui crimen narrasti, vel certo praevideas auditores retractationi fidem adhibituros non esse.

564. IV. Honori reparando eadem fere applicanda sunt quae modo de restituenda fama statuta sunt. Videlicet :

1° Quod spectat ad *fundamentum obligationis*, dubium non est quin restituendum sit pro infamia quae saepe contumeliam comitatur, ut si alium publice colaphis cecidisti. Imo, etiamsi nulla infamia secuta est, puta quia contumelia occulta fuit, communis sententia tenet restitutionem faciendam esse praecise propter dehonorationem, quia ex contumelia praeterita, quamdiu contumeliosus non satisfecit, aliquod damnum censetur permanere in eo qui contumelia affectus est. (Lugo, disp. 15. n. 54 seqq.) Aliqui tamen, ut Molina (t. 5. disp. 46. n. 5 seqq.), opinantur eum qui occulte contumeliam intulit teneri tantum ex caritate ad satisfactionem exhibendam ut cum fratre reconcilietur, nisi per accidens e contumelia maneat laesio famae.

2° De *modo* quo honor sit restituendus, generice dici potest : requiri ut, judicio prudenti, sufficiat ad manifestandam aestimationem internam de dignitate personae offensae, non obstante manifestatione contraria per injuriam exhibita. (Lugo, l. c. n. 57) Nempe requiritur aliqua honoris significatio quae, spectatis personis, adjunctis, consuetudinibus, sufficiat ad reparandum detrimentum illatum. Quod communi et prudenti aestimatione, non autem irrationabili personae laesae exigentia, mensurandum esse liquet.

Ideo qui aliis superiores sunt, ut parentes filiis, heri famulis, etc. raro ad veniam ab inferioribus petendam tenentur : nam, e communi aestimatione, plerumque satis contumeliam a se illatam reparant, dum

peculiare aliquod benevolentiae signum inferioribus exhibent, ex. gr. amice alloquendo vel invisendo.

Aequales autem vel inferiores generatim tenentur ad veniam petendam a persona laesa, nisi haec minori satisfactione, ex. gr. amica allocutione, salutatione qua praeveniatur et similibus, contenta esse velit. Etiam in casu atrocis injuriae, ut si quis virum nobilem publice fuste cecidit, nemo tenetur ad ampliorem satisfactionem : si laesus veniae petitione contentus non est, ad judicem remitti potest. (Lessius, l. 2. c. 11. n. 145) Attamen Lugo (l. c. n. 57) et S. Alph. (n. 987) aliquid amplius in casu *atrocis* injuriae requiri posse opinantur.

3° *Causae excusantes* eaedem fere sunt quae a fama restituenda excusant. Speciatim tamquam causa sufficiens habenda est, quod offensus nova injuria illata acceptam injuriam vindicavit. Ipse enim censetur hanc vindictam pro satisfactione sibi debita acceptare: offensor autem, dum pro hac nova injuria nullam vindictam sumit, videtur eo ipso recognoscere priorem suam culpam et significare aestimationem suam internam de dignitate personae offensae : quod et usus communis comprobat. (Lugo, l. c. n. 59)

4° Sapienter advertit S. Alph. (n. 988) multoties expedire ut confessarius omittat monere poenitentem, in bona fide existentem, de satisfactione praestanda, quando praevidet poenitentem forte promissurum, sed postea, difficultate deterritum, satisfacturum non esse (ut facile contingit) ; vel si probabile est periculum ne, in actu satisfactionis, odia inter offensum et offensorem renoventur, etc.

§ 3. DE HOMICIDIO ET MUTILATIONE.

565. E mutilatione vel homicidio nocumentum in triplici bonorum genere inferri potest : in bonis corporalibus, in spiritualibus, in temporalibus.

I. Damna **corporalia** non sunt probabilius per bona alius generis compensanda, ex principio generali supra (n. 561) posito. Aequum tamen est ut plerumque confessarius aliquid laeso elargiendum in poenitentiam imponat. (S. Alph. n. 627)

II. Damna **spiritualia** occiso illata, ex. gr. eo quod caruit suffragiis quae testamento jussisset pro se fieri, videntur orationibus et suffragiis, quantum fieri potest, reparanda : haec enim reparatio est in eodem genere cum jure laeso. (Lugo, disp. 11. n. 3)

566. III. Damna **temporalia**, seu in bonis fortunae, e mutilatione vel homicidio secuta, ad duplicem classem pertinent: alia directe ipsi mutilato vel occiso, alia personis cum eo varia ratione constrictis inferuntur.

1° Damna *ipsi mutilato vel occiso illata* consistunt in expensis faciendis ad curandum morbum e vulneratione secutum et in lucro cessante seu damno emergente, eo quod labori vel negotiationi vacare non potuit: quod impedimentum interdum per totam vitam durare potest. E principiis generalibus de restitutione liquet haec damna esse ab homicida vel mutilatore compensanda, quatenus ea in confuso praevidit. Insuper, si moritur damnificatus, restituendum erit ejus haeredibus, quippe qui in omnia ejus jura succedant; si moritur damnificans, ejus haeredes restitutionem facere tenentur, cum sit onus reale ejus bonis inhaerens, etiamsi ipse a judice punitus fuerit: haec enim poena minime reparat damnum haeredum. (S. Alph. n. 634) Hi tamen saepe, praesertim si reus poenam capitalem subiit, sponte remittunt damna parvi momenti, nisi et ipsi pauperrimi sint. (Lugo, l. c. n. 49)

Ut determinetur valor compensationis praestandae pro lucro cessante, ex. gr. quia negotiator mutilatus per totam vitam quaestuosae negotiationi quam exercebat ineptus evasit, advertendum hic agi de compensando jure ad rem (n. 514), ac proinde saepe difficilem fore aequam aestimationem. Quare semper suadendum erit ut cum iis quibus restituendum sit compositio ineatur. (Ball. P. n. 278) Manifestum est damna ipsi mutilato vel mortaliter vulnerato illata ab eodem condonari posse.

2° Inter damna *quae aliis personis e patrato scelere sequuntur*, certo reparanda sunt ea quae patiuntur occisi vel mutilati parentes, uxor et liberi, qui ab illo alimenta accipiebant, nec aliunde habent quo se sustentent. Ratio praecipua hujus obligationis haec esse videtur, quod hae personae, propter strictissimum nexum quo cum mutilato vel occiso ligantur, velut unum cum eodem faciunt: quare detrimentum ipsis illatum, saltem quoad alimenta quae e stricta pietate ipsis a patre, filio vel marito debentur, *per se* connexum est cum vulneratione aut occisione. (Lugo, l. c. n. 81) Probabilius alia etiam damna, propter eamdem rationem, iisdem personis resarcienda sunt, etiamsi aliunde habent quo se sustentent. Nihilominus, saltem extrinsece probabilis est sententia quam tenent S. Alph. (n. 631), Gury (I. n. 726), D'Annib. (II. n. 286): iis danda esse dumtaxat alimenta, quatenus et quamdiu egent.

Probabilius reliquis personis quae ex occisione vel mutilatione damnum patiuntur, restituendum non est, nempe reliquis consanguineis, etiam fratribus vel sororibus, pauperibus quibus solebat opem ferre occisus vel mutilatus, ejus creditoribus, quibus solvendis jam impar fiat, etc. Ratio generalis haec est: quod cum isti non ita moraliter unum

cum persona laesa constituant, damnum eorum *per accidens* tantum sequitur; justitia autem non obligat ad vitanda ea quae tantum remote et per accidens aliis nocere possunt. Communis tamen sententia obligat ad restitutionem iis omnibus faciendam, quando homicida directe per scelus suum iis nocere intendit (Lugo, l. c. n. 77 seqq.: S. Alph. l. 4. n. 632 etc.) : quia proximus jus strictum habet ne aliquid agamus unde, etiam per accidens, detrimentum pati possit, ad eum praecise finem ut ipsi noceatur. Nihilominus, cum Bonacina, Salmant. Buccer. (de 7° Praec. n. 522), etc. probabilem censemus sententiam quae hanc distinctionem inter directam intentionem et meram praevisionem rejicit : eo quod intentio interna nequit influere in naturam causae, quae manet semper per accidens tantum cum damno connexa. Cfr. n. 517.

Quando restitutio facienda est pro damnis in futurum pendentibus, iterum attendendum est ad minorem valorem juris ad rem, ad probabile tempus quo defunctus victurus fuisset et suis alimenta suppeditasset, etc. Practice, ut supra dictum est, tentetur compositio.

Controvertitur inter DD. num damnificatus possit *solvere ab hac obligatione erga tertias personas* eum a quo vulneratus fuit. Affirmat S. Alph. (n. 630) cum plerisque. Rationem afferunt, quod jus ad restitutionem tertiis personis non acquiritur nisi per eum qui laesus est : quare, si ipse jus remittit, nihil acquirunt, licet forte contra pietatem peccaverit, puta renuntiando restitutioni qua uxor vel filii ad honestam sustentationem indigeant. Probabilius tamen opinatur Lugo (l. c. n. 63) cum Ball. P. (n. 289) aliisque, haec damna a patre, marito, filio condonari non posse : quia jus ad illam compensationem non acquiritur ipsi occiso, nec ab illo derivatur ad alios, sed immediate acquiritur aliis quibus singulis injuria illata est. In praxi igitur restitutio imponi nequit, dummodo de condonatione certo constet. Sed notandum de ea non constare ex eo tantum quod mortaliter vulneratus testatur se ignoscere interfectori : regulariter enim his verbis significat tantum se, juxta legem caritatis, nullo odio illum prosequi. (Lugo, l, c. n. 60)

567. QUAER. E quanam vulneratione vel occisione illae restituendi obligationes oriantur.

RESP. E generalibus principiis de restitutione patet eas numquam existere nisi cum hae laesiones constituunt grave peccatum contra justitiam commutativam : unde ad nihil sane tenetur qui aggressorem, servato moderamine inculpatae tutelae, interimit. De duobus tamen casibus dubia quaedam expedienda sunt :

1° Si quis, cum gravi culpa theologica, *moderamen inculpatae tutelae excedens*, aggressorem occidit, plerique, ut Lugo (l. c. n. 50) et S. Alph.

(n. 637), eum obligant ad totum damnum reparandum, utpote plene voluntarium; alii, ut Lessius (l. 2. c. 9. n. 135), censent eum teneri quidem ad damnum reparandum, sed in parte multo minori, eo quod aequitas naturalis non sinit eum tractari sicut eum qui, nullo provocante, occidit; alii tandem, ut Billuart (Diss. 10. a. 11. § 3), Carrière (de Just. et J. n. 1343), Marres (l. 2. n. 263) etc., non improbabiliter opinantur eum ad nihil teneri: quia injustus aggressor sciens volens se exponit periculo mortis, cum probe sciat invasum nihil non tentaturum adversus ipsum et aegerrime servaturum esse moderamen; scienti autem et volenti non fit injuria.

2° Quando unus *ad duellandum* provocat et alter libere acceptat, neuter ad restituendum tenetur, si adversarium occidit: singuli enim libere se hujusmodi damnis exponunt ideoque ea implicite condonant. At si unus provocat, alter vero non sponte, sed ad grave damnum vitandum acceptat et occiditur, provocans ad restitutionem tenetur: provocatum enim tantummodo per vim et metum ad illud periculum adeundum coegit. (Lugo, l. c. n. 66 seqq.; S. Alph. n. 638)

§ 4. DE FORNICATIONE VEL STUPRO.

568. I. De restitutione facienda quando nulla praecessit matrimonii promissio.

1° Ad nihil prorsus tenetur qui virginem consentientem defloravit vel eam precibus importunis ad consentiendum induxit, imo neque si vim adhibuit ad eam tangendam, osculandam etc., non autem ad copulam extorquendam. (Ball. P. n. 301) Nam, in priore casu, scienti et volenti non fit injuria; in posteriore, nullum damnum reparabile infertur invitae. Similiter probabilius ad nihil tenetur erga parentes: quia filia ipsa potest, sine injuria parentum, impedimentum ponere ad meliores vel faciliores nuptias: quare nec defloretor, qui cum puellae consensu hoc impedimentum posuit, parentibus injuriam facit. (Lugo, disp. 12. n. 8)

2° Ad damna compensanda tenetur qui mulierem vi oppressit vel consensum ad copulam extorsit precibus quae coactioni aequiparentur, eo quod cum minis vel metu reverentiali conjunctae sint, puta si herus urget ancillam.

3° Nihil est restituendum pro sola virginitatis amissione: quippe quae reparari nequeat, neque probabilius, ante sententiam judicis, bonis alius ordinis compensanda sit. (n. 561) Ideo si stuprum occultum manet aut non impedivit quin aeque laute puella nuberet, ad nihil tenetur stuprator.

4° Qui virginem injuste defloravit, tenetur ad compensandum dam-

num quod puella passa est eo quod, ob defforationem vel famae jacturam, difficilius maritum inveniat. Haec autem reparatio duplici ratione fieri potest : vel eam in uxorem ducendo, vel augendo dotem, aliterve procurando ut aeque bene nubat ac nupsisset si non fuisset deflorata. (Lugo, l. c. n. 11) Idem dicendum si femina, quae virgo non erat, e stupro tamen simile damnum passa est. (Lugo, ib. n. 15)

5° Non satisfacit deflorator semetipsum in conjugem offerendo, sed poscenti mulieri tenetur ea suppeditare quae necessaria sunt ut ei quem maluerit nubat, sicut ante defforationem nupsisset. (Lugo, ib. n. 12)

6° Si fornicator pecuniam offert ad complementum dotis, mulier autem eam accipere recusat, sed matrimonium ab eodem exigit, is probabilius non tenetur eam ducere, nisi forte judex ecclesiasticus id ei in poenam imponat. Nam justitia exigit tantum ut res ad aequalitatem reducantur : ideo satisfacit fornicator offerens pecuniam qua puella possit nubere sicut ante stuprum illatum nupsisset. (Lugo, ib. n. 14 ; S. Alph. n. 648)

7° Si ex copula injuste extorta natus est infans, fornicator solus expensas in eo alendo factas compensare tenetur.

569. II. De restitutione facienda **quando praecessit matrimonii promissio.**

Qui copulam a virgine vel vidua bonae famae per matrimonii promissionem obtinuit, tenetur ad eam ducendam. Ratio est, quod contractu oneroso se obligavit ad rem quam licite exsequi poterat. Cfr. n. 584, ubi universim dicetur de obligatione implendi contractum turpem, quando opus illicitum jam positum est. Idem valet etiamsi promissio ficte seu sine animo se obligandi facta est : quia regulariter hac tantum ratione deceptor adaequate compensabit damnum virgini illatum, dum tali fraude consensum et copulam ab ea obtinuit. Cfr. n. 585.

Attamen plures dantur casus in quibus fictus promissor matrimonium omittere potest. Praecipui sunt :

1° Si puella facile potuit advertere promissionem non fieri ex animo, puta quia promittens usus est verbis ambiguis, quia novit fornicatorem esse multo melioris conditionis, etc. In illo enim casu videtur puella sponte decipi voluisse. Ideo probabilius neque ad damna compensanda tenetur fornicator. (S. Alph. n. 643)

2° Si fornicator *multo melioris* conditionis est, licet hanc inaequalitatem conditionis ignoraverit mulier consentiens. Hanc sententiam valde probabilem habet S. Alph. (l. c.) cum plerisque. Ratio est, quod vir non tenetur ad plus reddendum quam mulier petiit : mulier autem, viri conditionem ignorans, nihil aliud petiit quam ut alter ejusdem suae conditionis vel parum excedentis eam duceret.

3° Si malus exitus e matrimonio timetur, ut si puella cognoscatur esse nimis levis. (S. Alph. n. 644)

4° Si vir feminam cognovit, existimans eam esse virginem, sed corruptam invenit : quo casu, neque alia compensatio per se facienda est, sed tantum si pactum aliquid dandi praecessisset vel si mulier ex illa copula, per fornicatorem vel fortuito vulgata, infamiam passa esset. (S. Alph. n. 646)

Ceterum hic conferenda sunt quae de causis excusantibus ab obligatione sponsalium dicentur Vol. II. n. 446 seq. Haec enim a fortiori excusant ab implenda nuda promissione matrimonii.

§ 5. DE ADULTERIO.

570. I. De **personis** quibus incumbit restitutio damnorum quae ex adulterio sequuntur, praecipue haec notanda sunt :

1° Si adulter consensum a muliere extorsit, solus tenetur ad reparandum damnum quod inde in maritum, filios legitimos, etc. derivatur.

2° Si uterque in adulterium consensit, uterque tenetur in solidum.

3° Si maritus adulterae consensit, cessat omnis obligatio restituendi, dummodo haeredibus necessariis maneat sua pars legitima. (D'Annib. II. n. 281)

4° Posset interdum sola adultera ad damna compensanda teneri : nempe si facile damna mariti et filiorum legitimorum vitare potuisset, prolem adulterinam extra familiam alendo, adulter vero fecit quidquid potuit ut illam ad hanc separationem induceret, atque ita causam damni a se positam efficaciter retractavit : quae tamen hypothesis rarissime verificabitur. (Marres, l. 2. n. 305)

5° Nulla restitutio facienda est quando dubitatur utrum filius sit legitimus an spurius : nam propter matrimonium ipse praesumendus est legitimus donec contrarium certo constet. Ita communis sententia. (Lugo, disp. 13. n. 17) Imo, etiam ubi certo constat prolem esse adulterinam, sed dubitatur quis e duobus adulteris qui cum matre rem habuerint sit illius pater, probabiliter neuter ad restituendum tenetur. (n. 521)

571. II. **Damna** ab adulteris compensanda ea sunt quae *per se* ex eorum scelere proveniunt, ut sunt expensae quas maritus facit in alenda et educanda prole adulterina, et detrimenta quae alia familiae membra patiuntur eo quod filius spurius ex ipsa legis dispositione partem cum iis in haereditate patris aliorumve consanguineorum obtineat.

Non sunt autem compensanda damna quae *per accidens* tantum ex eadem causa proveniunt, ex. gr. si aliqui consanguinei, ex affectu erga spurium, ei quaedam donant vel testamento relinquunt. (Lehmk. I. n. 998)

Ipse filius adulterinus, si certo novit suam conditionem, nequit sine injustitia retinere vel haereditatem lege delatam, ut patet, neque ipsas donationes sibi unice tamquam legitimo factas, ac proinde ob substantialem errorem invalidas. Retinere tamen posset dona exigui valoris vel quae ipsi principaliter propter alias rationes tribui videantur.

III. De modo quo restitutio haec saepe perdifficilis peragatur, animadvertenda sunt praecipue sequentia :

1° Licet a DD. quidam casus recenseantur in quibus adultera crimen suum manifestare teneatur ad vitanda damna ex eo secutura (cfr. Lugo, l. c. n. 31 seqq.), tamen practice vix umquam exstabit hujusmodi obligatio. Ratio est, quod ista manifestatio plerumque afferret damna tanta ut a bonis fortunae restituendis excusarent, nempe odium mariti, discordias domesticas, gravem infamiam. Insuper eadem plerumque foret inefficax : nam, ut habet Lugo (l. c. n. 62) cum communi sententia, filius non tenetur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, nisi cum adsunt talia motiva ut in foro externo a judice admitterentur, quod certe non contingit quando opus est ut ipsa adultera rem occultam manifestet. (Ball. P. n. 316) Tandem interdum merito supponere poterit adultera maritum et filios malle ut ipsa crimen suum ipsis non manifestet, cum hoc fieri nequeat sine communi dolore et infamia et saepe sine fructu. (Lugo, l. c. n. 58)

2° Seclusa hac manifestatione, debebit adultera restitutionem facere praesertim augendo, pro conditione sua, laborem vel industriam in familia administranda, aut sumptus suos minuendo. Insuper, si propria bona habet, de iis in favorem mariti et legitimae prolis disponat : cavendum tamen, ne favendo quibusdam cum spurii detrimento, suspicionem criminis ingerat vel odia excitet. (Ball. P. n. 321)

3° Saepe adulter quoque a restitutione excusabitur in toto vel ex parte, praesertim quia haec fieri non poterit sine periculo vitae, dispendio famae, turbatione et discordiis familiarum. (S. Alph. n. 655)

§ 6. DE TRIBUTIS.

572. NOTIONES. Tributorum nomine hic veniunt quaecumque cives solvere jubentur ut communi necessitati vel utilitati contribuant. Distinguuntur, saltem in nostris regionibus, tributa directa et indirecta. *Directa* sunt ea quae primario afficiunt personas, sive ratione bonorum immobilium et facultatum (contributions foncière et personnelle), sive ratione industriae vel commercii (patente). *Indirecta* vero sunt ea quae immediate afficiunt bona. Haec pendenda sunt occasione mutationis

jurium et interventus tribunalis civilis vel commercialis (droits de succession et de mutation, d'enregistrement, de timbre, de greffe, etc.), occasione transvectionis mercium (droits de douane), occasione fabricationis quarumdam mercium, ut cerevisiae vel liquorum (droits d'accises). Cfr. Waffelaert, de Just. II. n. 414.

573. ASSERTA. I. Certum est non deberi in conscientia **tributa injusta** etiam quando petuntur: si autem injusta forent tantum quoad excessum, non deberentur nisi quoad partem in qua justa sunt. (Lugo, disp. 36. n. 39)

Neque censemus, in foro conscientiae, dari obligationem solvendi tributa *probabiliter* injusta. Ratio est quod, licet Superiori parendum sit quando jus probabile habet ad praeceptum imponendum, id tamen non videtur obtinere quando, ut fit in tributis, res praecepta difficilis est vel grave incommodum subdito affert. (Lugo, l. c. n. 91) Soluta tamen repetere, puta per occultam compensationem, non licet, quia Status ea legitime acquisivit, nixus contraria probabilitate.

Injusta autem censenda sunt tributa, si vel sine causa justa feruntur, vel nimia sunt pro necessitate publica cui sunt applicanda, vel in iis non servantur normae justitiae distributivae. (n. 462) Attamen, ne temere pronuntietur leges quasdam tributorum esse injustas, attende:

1° In omni systemate percipiendi tributa contingere ut quidam cives partem majorem solvere debeant quam quae ab iis, attenta proportione eorum facultatum, solvenda forent: id enim e necessitate ferendi regulas generales de circumstantiis maxime variis in omni lege humana sequitur. (n. 113) Verum justitiae distributivae adversatur lex tributorum e qua fit ut *notabilis pars populi* onus ferre debeat quod, spectatis singulorum facultatibus, alii parti esset imponendum. Ita censemus hodie contingere ubi fere ab omni tributo immunes sunt obligationes et actiones quae jam magnam partem bonorum pro pluribus civibus constituunt.

2° Perfectiorem proportionem inter tributa et singulorum facultates quandoque omitti posse ad vitanda gravia incommoda alius generis. Ita, licet tributa singulis imposita pro reditibus suis (impôt sur le revenu) in se maxime conformia sint justitiae distributivae, merito iis praeferri potest aliud systema ad vitandam maximam dependentiam quae civibus imponeretur ad exactores tributorum aliosve qui taxare deberent singulorum facultates (Lugo, l. c. n. 25), potissimum si populus vehementer talem dependentiam abhorreret vel, ob aestum partium politicarum, timendae forent multae injustitiae in facultatibus taxandis.

3° Quandoque fieri compensationem indirectam in favorem eorum qui tributorum distributione laedi videantur. Ita, quamvis tributa imposita rebus ad victum necessariis fere aequale onus imponant divitibus et

pauperioribus, puta operariis et artificibus, hi fere semper obtinebunt compensationem dum majore salario operas suas locabunt. Vix enim continget ut divites, vel volentes, vel inviti, non acquiescant justae pauperiorum exigentiae ut, crescente ob tributa pretio rerum victui necessariarum, eadem proportione crescat salarium quo operarii victum comparent.

II. Certum est posse legislatorem supremum vel eos qui ab eo hanc potestatem habent, edere leges tributorum quae subditos obligent ad ea solvenda, etiam antequam exigantur, vel quae saltem in conscientia obligent ad solvenda ea quae exacta fuerint. Nam legislatori civili potestas obligandi in conscientia non deest, neque aliquid injusti in tali praecepto cernitur. Cfr. n. 141.

III. Certum est nullam hodie dari obligationem ex justitia ad solvenda tributa quaelibet, antequam a fisci praepositis pars quae singulis incumbit fuerit determinata. Ratio est, quod ipsae leges hodiernae fisco jura attribuunt tantum ad ea quae singuli cives, pro conditione et facultatibus suis, solvere jussi sint. Neque per se viget obligatio in conscientia ad declarandas res tributo subjectas. (Waffelaert, l. c. n. 421)

574. IV. Probabilius leges tributorum, quales hodie in plerisque regionibus vigent, sunt **mere poenales** : quare obligant tantum ad solvendum vel tributum vel mulctam quae fraudantibus imponatur. Rationes praecipuae hujus sententiae sunt :

1° Jam antiquis temporibus non defuere DD. qui censerent leges illas ut plurimum esse mere poenales. (Lugo, l. c. n. 38) Jamvero hodie facilius idem admitti potest, cum legislatores civiles soleant declarare se nullam obligationem in conscientia imponere velle : quare nulla obligatio admittenda est ex lege civili, nisi bono communi prorsus exigatur. Cfr. n. 141. Talis exigentia non videtur adesse in casu : siquidem, ingenti numero eorum qui exigendis tributis praeficiuntur et tributorum quantitate, satis oneribus publicis providetur. Solet etiam haec quantitas, propter fraudes praevisas, in antecessum augeri.

2° Ita interpretantur tributorum leges, in regionibus nostris, homines etiam timorati. Nullam enim culpam in conscientia a se admissam esse opinantur si quando tributa directa, etiam taxata, non solvunt quia non exiguntur (quod sane perrarum est), vel si indirecta, aliquo artificio omissave declaratione, effugerunt. Quodsi fisci exactores deceperunt, mendacii, non autem injustitiae reos se esse existimant. Experientia autem constat, non obstante hac praxi, efficaciter subveniri necessitatibus communibus reipublicae.

3° Saltem probabile est tributa hodierna in plerisque Statibus et civitatibus excedere justum modum. Jam saec. XVII°, teste Card. de Lugo (l. c. n. 89), multa tributa de facto injusta a probis et prudentibus censebantur. Hoc autem a fortiori nostris temporibus opinari licet, dum tributa solvenda plurimum aucta sunt, impenduntur autem saepissime, magna ex parte, rebus exiguae utilitatis vel plane superfluis, puta in alendis ingentibus exercitibus, in remunerandis inutilibus officialibus, in erigendis aedificiis sumptuosis, in fovendis theatris ac ludis, etc. Ideo merito existimare quisque potest sufficienter a se in utilitatem publicam conferri, licet hinc inde aliquid fisco subtrahat.

Frustra quidam AA. recentes (Marres, n. 196 ; Waffelaert, n. 419), ut tributa hodie e stricta justitia solvenda esse demonstrent, recurrunt ad tacitum contractum quem populus faceret eligendo eos qui tributorum leges ferrent ; unde cives ad ea solvenda tenerentur, perinde ac si mandatum dedissent alicui ad expensas suo nomine faciendas. Nam facultas quae electoribus datur ad designandas personas quibus insit potestas legislativa, non mutat naturam legum quae ab istis feruntur, neque magis in tributa solvenda quam in reliquas leges servandas consentit populus. Quin et universalis persuasio, qua in nostris regionibus existimant cives eas leges esse mere poenales, liquido ostendit quantum ab eorum mente absit hujusmodi quasi-contractus.

Sententiam nostram, saltem ut probabilem, multi AA. hodierni tuentur, ex. gr. Ball. P. (tr. de Leg. n. 146), Crolly (de Just. et J. t. 3. disp. 8. dub. 11), Frassinetti (t. l. diss. 7), Berardi (Prax. Conf. nn. 1651 et 3155), Bucceroni (de Leg. n. 81). Plerique tamen alii opinantur tributa jam ab exactore petita, dummodo justa sint, esse in conscientia solvenda et, si fraudata fuerint, restituenda ; in praxi autem multum de severitate hujus sententiae remittunt.

Ex hac benignioris sententiae probabilitate sequitur per se non peccare qui tributa defraudant, merces nullo vectigali soluto in regionem inferunt, et similia. Plerumque tamen in malo statu versantur qui hujusmodi fraudibus habitualiter operam praestant, sive ob animum quem gerunt sese, etiam adhibita vi et caede, contra exactores tributorum tuendi, sive quia se ac familiam suam, sine sufficienti ratione, periculo infamiae et inopiae exponunt.

Practice igitur ad restitutionem non tenentur qui tributa fraudarunt, nisi qui exactores corruperunt ne tributa exigant quae isti, ob officium susceptum, exigere tenentur. Cfr. n. 545.

N. B. Cavendum ne inter tributa reponantur ea quae Statui solvenda sunt ob quasdam operas quas Status in favorem singulorum praestandas suscipit, ex. gr. in personis, mercibus, litteris vehendis. Hic enim verus contractus initur inter cives qui has operas postulant et Statum

qui in iis praestandis agit quasi privatus homo negotiationem vel industriam exercens. Haberi tamen possunt tamquam mere poenalia plurima statuta quae ab administratoribus feruntur, ex. gr. ne litteris inserantur pecuniae, ne litterae mercibus transvehendis apponantur, ne cum eadem tessera (billet d'aller et retour) unus ad aliquem locum via ferrea tendat, alter ab eodem redeat, etc. Talia enim etiam maxime timorati, saltem in Belgio, infringere solent sine ullo scrupulo, rati sufficere ut mulctam, a transgressoribus, si deprehendantur, exigendam solvant. Neque irrationabilis videtur talis existimatio. Hujusmodi enim statuta plurima sunt et a plerisque valde imperfecte cognosci possunt. Quare, communi consensu omnium, etiam administratorum, factum est ut eadem serventur ad modum legum civilium, quibuscum magnam affinitatem habent. Non esset ergo restitutioni obnoxius nisi qui in ipso contractu quem init fraudem adhiberet, puta debitum falsa moneta solvendo, litteris falsa signa (timbres) apponendo etc. vel qui praepositos corrumperet ne exigerent quae ex officio exigere deberent ita ut Status non obtineret ea ad quae jus haberet. Cfr. Waffelaert, l. c. n. 421.

575. V. Probabilius non peccant contra justitiam qui, in conficiendis instrumentis venditionis, in solvendis juribus successionis, etc. **declarant multo minorem valorem** rerum quae tributo subsunt, puta paulo supra dimidium. Nam, in tanta tributorum exactione, Status non videtur jus habere ut integra solvantur; insuper, cum talis diminuta declaratio communiter adhibeatur, jam statuuntur tributa sufficientia ut, non obstante diminutione, communibus necessitatibus prospiciatur. Neque sinit aequitas ut, improbis communiter minus solventibus, soli timorati gravioribus tributis onerentur. Idem valet non tantum pro privatis, sed et pro notariis : nam istorum munus, quamvis a Statu conferatur, minime eos ex justitia obligat ad curandas fisci utilitates. Imo nec mendacium in tali declaratione jam reperiri videtur : cum, ob usum communem, satis pateat valorem declaratum illum esse qui, e recepta consuetudine, tributo subest. Quare, utendo restrictione non pure mentali, liceret, etiam juramento, affirmare omnia rite esse declarata. (Gury, II. n. 28; Ball. P. tract. 9. c. 3. n. 87)

Verum autem mendacium videntur committere qui, ad minuenda jura successionis, producunt syngrapha ex. gr. medicorum, testantium se multo majorem pecuniae summam accepisse quam reapse acceperint. Nihilominus, ob rationem praedictam, ab injustitia et restitutione immunes dici possunt.

§ 7. DE SERVITIO MILITARI.

576. I. Leges quibus cives servitium militare praestare jubentur, in plerisque regionibus, sunt **mere poenales.**

Patet e communi persuasione civium etiam timoratorum in regionibus nostris; confirmatur gravitate poenarum quae leges transgredientibus imponuntur. (n. 107) Sicubi hujusmodi persuasio non vigeret, daretur obligatio, ex justitia legali. obediendi legibus, modo istae non excederent necessitatem securitatis publicae. Accedit quandoque obligatio religionis ob juramentum emissum ab iis qui sub vexilla recipiuntur. Numquam tamen rei sunt laesae justitiae commutativae ii qui sola lege jubentur militare, si fraudibus obtinent ne conscribantur vel si jam conscripti aufugiunt : nullius enim jus strictum laedunt.

Quidam AA. (Aertnys, I. n. 380) censent certo injustam esse conscriptionis legem ubi omnes servitio apti militare jubentur, probabiliter ubi certus tantum numerus e majore juvenum copia conscribitur. Nostra sententia, diligenter *in singulis regionibus* videndum est : 1° Num numerus militum qui conscribitur vere sit necessarius ad tuendam regionem a probabili periculo quod ei a vicinis populis immineat. — 2° Utrum ad numerum qui necessarius est obtinendum requiratur lex conscriptionis an sufficiat salario praemiisque allicere qui sponte militare velint. Etenim si sufficiat minor militum numerus, puta quia nulla seria pericula alicui regioni imminent, frustra in amplioribus exercitibus comparandis prodigitur civium pecunia, et occasio datur plurimis detrimentis moralibus, quae e militaribus contuberniis oriuntur. Si numerus militum requisitus obtineri potest sine coactione, illicite cives privantur per legem conscriptionis libertate, quam ipsis jus naturae tribuit, amplectendi statum quem maluerint, et speciatim matrimonii ineundi.

Quatenus reapse utraque necessitas in singulis regionibus occurrat, quaestio salebrosa est, quam nostrum non est definire. Si legumlatores, omnibus circumstantiis mature perpensis, utrumque in patria sua vigere opinantur, licite legem illam suffragiis suis fulcient. Attamen stricto officio tenentur :

a) Ea lege non comprehendere eos qui jure superiori exempti sunt. Tales sunt : e lege divina vel ecclesiastica, clerici vel religiosi; e lege naturali, ii qui familiae alendae prorsus necessarii sunt.

b) Non laedere justitiam distributivam. Haec laederetur si lex nullum onus imponeret familiis opulentis, quae juvenes servitio militari aptos non habent, dum alias pauperiores, filiorum adolescentium subsidio sine

ulla compensatione privare. Ideo recte in Belgio statutum est ut militibus solvatur stipendium quod communi salario operariorum ruricolarum minime inferius sit.

c) Amoliri, quatenus possunt, necessitatem ingentium illorum exercituum qui tanta detrimenta plerisque nationibus Europaeis cient, dum immensam pecuniae vim absumunt, mores juventutis contuberniorum otio corrumpunt, rusticos ad civitates confluere assuefaciunt, efficacissima argumenta Socialistis suppeditant ad animos vulgi contra gubernia excitandos, etc. Manifestum est id potissimum praestandum fore magnarum gentium ducibus qui lugendam illam necessitatem efficacius amovere possunt quam minores principes.

d) Conari ut damna quae fidei vel moribus militum imminent removeant, minuto, quatenus per hodiernam belli gerendi rationem licet, servitii militaris tempore, subsidiorum religiosorum copia, repressa audacia eorum qui militum fidem moresve corrumpere nituntur, etc.

e) Viam parare abolendae conscriptioni et restituendae, ubi fieri poterit, libertati qua populi christiani ad finem usque saeculi XVIII[i] fruebantur.

Ex dictis sequitur plerumque nullam imponendam esse desertoribus obligationem repetendi exercitus. Etiam ubi lex militaris veram obligationem induceret vel milites jurejurando se ad vexilla sequenda obligassent, plerumque poenae severissimae desertoribus intentatae, magna pericula moralia in contuberniis imminentia, etc. causam excusantem praeberent.

577. II. Ubi certus numerus e majori juvenum copia eligendus est, ita ut **uni exempto alter succedere debeat**, certo violant justitiam commutativam et damna, quantum possunt, reparare tenentur, qui fraude efficiunt ut aliquis, servitio ineptus vel lege exemptus, militare cogatur. Insuper saltem contra justitiam legalem peccarent medici aliive viri futuris militibus examinandis constituti, qui se favore vel pecunia corrumpi sinerent ut quemdam ineptum militiae declararent. De aliis restituendi obligationibus disputatur. Nempe:

1° Si quis fraudibus vel mendaciis supradictos officiales decipit vel impedimentum ponit quo se militiae ineptum efficiat, postquam sorte jam designatus est, ex. gr. se mutilando, visum debilitando, etc. controvertitur num teneatur compensare damnum illius qui ejus loco militare coactus sit. Alii, ut Gousset (I. n. 1002), Marres (I. 2. n. 225), etc. affirmant, diversis rationibus freti; alii, ut Lehmkuhl (I. n. 987), Aertnys (I. n. 380), Gury (I. n. 749), sententiam negantem saltem ut probabilem habent. Hi rationes deducunt vel ex injustitia probabili legis, vel ex eo quod fraudantium actio est tantum causa per accidens damni quod alter

patitur: causa enim per se et efficax est voluntas legislatoris jubentis ut, uno excusato, alter hoc onere gravetur. Frustra autem Marres (l. c.) recurrit ad contractum aleatorium quem juvenes sortem ducentes libere inter se ineant: nam hujus liberae voluntatis in iis qui lege coguntur nullum est vestigium.

2° Si quis eosdem officiales pecunia vel favore corrumpit ut falso declaretur militiae ineptus, fere omnes AA. eum obligant ad compensandum damnum quod inde patitur qui ejus loco militare cogitur. Rationem variam varii afferunt. Praecipua videtur quod hujusmodi officiales ex justitia commutativa tenentur fungi officio suo secundum leges, et propterea etiam singuli examinandi possunt jure stricto exigere ne officio suo desint. Nihilominus Lehmkuhl (I. n. 988) dubium injicit utrum haec obligatio officialium e justitia commutativa an e legali oriatur; Waffelaert (n. 443) probabile censet corrumpentes et corruptos a restitutione erga militem substitutum excusari: quod etiam videtur logice affirmandum ab omnibus qui opinantur legem conscriptionis esse probabiliter injustam.

In tanta sententiarum varietate non censemus inquietandos qui existiment se ad nullam restitutionem erga substitutos teneri, vel etiam nullatenus peccasse nisi forsan levi mendacio: eo vel magis quod monitio saepe non proderit vel damnum reparari non poterit.

Manifestum est numquam, ob fraudes adhibitas vel etiam corruptos officiales, ad restitutionem teneri eos qui lege divina vel naturali a servitio militari immunes sunt: hi enim summum peccabunt quia mediis illicitis jus suum prosequuntur.

III. Qui **mercede conductus** privati cujusdam locum in exercitu tenet, si hunc desereret, deberet omnia damna compensare quae inde orirentur ei qui eum conduxit: patet e contractu inito. Attamen, si justam haberet deserendi causam, ex. gr. quod saevitias intolerabiles pateretur, quod anima ipsius gravissimo periculo exponeretur, non teneretur nisi ad mercedem reddendam pro rata temporis quo conductor adhuc militare deberet; si iste manet immunis, ad nihil obligatur, cum conductor solam immunitatem intenderit. Obligationes vero militis qui se unice erga Statum obligavit, facile patebunt e dicendis de contractibus.

N. B. Omittemus agere de reparatione damnorum quae milites in bello injuste intulerint. Quaestio enim, sicut parum practica est, ita facile solvitur ex supra dictis (n. 548) de damnificatione ac cooperatione injusta.

Sint Easter 1903

TRACTATUS IX.

DE CONTRACTIBUS.

SECTIO I. DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONIBUS CONTRACTUUM.

578. DEFINITIO. Contractus, ex Jure nostro (a. 1101), dicitur conventio qua unus vel plures se erga unum vel plures alios obligant ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum. (1)

Intelligitur *obligatio*, non quaecumque, puta ex fidelitate vel religione, sed ex justitia commutativa, ita ut sine injuria proprie dicta praetermitti nequeat id ad quod obligat. Duplex autem distinguitur obligatio: *naturalis*, quae e contractus natura oritur; *civilis*, derivata a lege civili quae actionem tribuit ad obligationem naturalem urgendam.

Contractui similis est *quasi-contractus*. Hic praecipue oritur ex officio suscepto, ex. gr. tutoris, medici, etc., et ex stricta justitia adstringit ad procurandum bonum pupillorum, aegrotantium, etc. Fons hujus obligationis saepius est voluntas illius qui, sponte suscipiens officium vel negotium, censendus est eo ipso velle suscipere onera et obligationes eidem adnexas; quandoque est ipsa lex quae etiam invito imponit officium cui obligatio ex justitia adnexa sit. (Lugo, de Just. et J. disp. 22. n. 5)

In omni contractu distinguere est:

1° *Essentialia*, seu ea sine quibus contractus vel nullatenus, vel

(1) A recentioribus Juribus omitti solet distinctio quam veteres DD. cum Jure Romano statuebant inter contractum proprie dictum et pactum seu contractum late sumptum. De utriusque discrimine videsis Lugo, disp. 22. n. 1.

saltem in eadem specie, subsistere nequeat. Sic in contractu emptionis venditionis, sublato consensu mutuo, nullus habetur contractus; sublata obligatione solvendi pretii, fit donatio gratuita.

2° *Naturalia*, seu ea quae contractui, vi legis positivae, consuetudinis vel aequitatis, insunt, nisi expressa conventione excludantur, ex. gr. securitas emptori pro casu evictionis praestita.

3° *Accidentalia*, seu ea quae non insunt contractui nisi diserta paciscentium conventione adjiciantur, ex. gr. ut statim solvatur quod, e commercii legibus, nonnisi post annum solvendum foret.

579. DIVISIO. Distinguuntur contractus praecipue :

1° In *unilaterales* et *bilaterales*. Hanc divisionem, quam multi AA. eodem sensu sumunt ac divisionem contractuum in gratuitos et onerosos, ita intelligit C. C. noster : unilaterales sunt contractus quibus unus pluresve se erga unum pluresve obligant qui nullam erga priores obligationem suscipiunt (a. 1103); bilaterales seu synallagmatici, quibus contrahentes mutuas obligationes suscipiunt. (a. 1102) Exemplum prioris speciei habes in commodato in quo commodans nullam suscipit obligationem ; posterioris, in emptione venditione.

2° In *commutativos* et *aleatorios*. Priores sunt illi quibus utraque pars se obligat ad dandam vel faciendam rem quae habetur tamquam aequivalens rei quae ab altera parte fit vel datur, ut in permutatione. Posteriores vero ii sunt in quibus aequivalentia non oritur ex re certa, sed ex spe probabili quae utrique vel saltem alterutri parti conceditur, ut in contractu assecurationis vel ludi. (aa. 1104 et 1964)

3° In *gratuitos* et *onerosos*. Priores illi sunt quibus una pars alteri commodum gratuitum praestat (a. 1105), ut in donatione; in posterioribus vero, loco ejus quod accipitur, aliquid aliud reddi debet, ut in locatione. (a. 1106) *Mixtus* dicitur si minus reddendum est quam datur.

4° In *solemnes* et non *solemnes*, prout, in Jure civili, valent tantum quando certis quibusdam formalitatibus confecti sunt, vel valent etiam absque formalitate legali, servatis tantum conditionibus juris naturalis. (a. 1139) Ita hypotheca est solemnis contractus, cum non valeat nisi a notario sub formis legalibus fuerit conscripta.

5° In *consensuales* et *reales*, prout solo partium consensu perficiuntur, ut (in Jure nostro) emptio et locatio, vel praeterea postulant rei de qua convenitur traditionem, ut commodatum.

6° In *nominatos* et *innominatos*, prout in Jure certum nomen habent vel non habent. Sub Jure nostro unicum discrimen inter utrosque in eo est quod contractus nominati non tantum subjacent generalibus regulis de contractibus datis, sed etiam specialibus legibus quas pro singulis eorum speciebus C. C. continet. (a. 1107)

Alias quasdam divisiones, quas multi AA. recensent, omisimus, vel quia in Jure nostro obsoleverunt, ut divisiones in contractus nudos et vestitos, bonae fidei et stricti juris, vel quia ex ipsis terminis earum sensus patet, ut divisiones in contractus expressos et tacitos, absolutos et conditionatos.

Ad contractum efficiendum tria concurrere debent : personae habiles, materia apta, consensus validus. De his singillatim dicemus.

CAPUT II.

DE PERSONIS CONTRAHENTIBUS.

580. I. Spectato tantum jure naturali, ii omnes et soli contractus valide ineundi incapaces sunt qui usu rationis carent, ut infantes, ebrii, amentes, etc. Nam, sine actu humano, nulla obligatio gigni, ac proinde nullus contractus iniri potest ; neque alia ratio universalis inhabilitatis e jure naturae affertur.

II. Ex Jure civili, contractus validos inire possunt omnes qui jure naturae apti sunt, nisi id ipsis specialiter prohibeatur. (a. 1123) Speciatim autem prohibentur, non quidem absolute, sed intra certos limites lege determinatos : minores, interdicti et uxores. (a. 1124 seq.)

III. Minores nondum emancipati valide quidem contrahere possunt, etiam sine tutoris assistentia ; nihilominus omnium contractuum *per quos laesi fuerint* rescissionem petere possunt. Minores autem emancipati beneficio rescissionis non gaudent, nisi cum laesi fuerint in iis contractibus qui eorum habilitatem ad contrahendum, qualis a C. C. (a. 481 seqq.) determinatur, excedunt. (a. 1305) Quosdam vero contractus, ut mutuum, lex civilis (a. 457) nullos declarat quoties a minore fiunt, etiamsi is nullatenus laesus fuerit.

Hinc contractus cum minore initi, a parte quacum contraxit servandi sunt: beneficium enim rescissionis minoribus, non autem iis quibuscum minores contrahunt, conceditur. Potest etiam altera pars, quae bona fide contraxit, exigere ut minor exsequatur contractum, donec a judice rescissionem obtinuerit ; saepe tamen caritas jubebit obligationem sponte remittere ne minor, cum magno incommodo, ad judicem recurrere debeat. Notandum quoque in quibusdam specialibus contractibus certas solemnitates a Jure requiri, quibus neglectis, actus declaratur prorsus nullus. Cfr. C. C. (aa. 457-467)

Semper tamen manet minor obligatus ad restitutionem, si quando alteram partem *mala fide* laesit vel ex aliena re ditior factus est: unde in hujusmodi casibus applicandae regulae datae in tr. de Just. et Jure circa restitutionem ex re accepta vel ex injusta acceptione. Ideo et ipsa lex civilis (a. 1310) declarat minorem non restitui contra obligationes e suo delicto vel quasi-delicto ortas. Ast si minor *sine fraude* egit, potest probabilius uti beneficio legis etiam in conscientiae foro, quamvis inde altera pars detrimentum passura sit. Exemplum habes in eo qui bona fide mutuam pecuniam accepit et dissipavit, vel luxuriose vivendo aes alienum contraxit, dummodo nihil e rebus acceptis in se vel in aequivalenti retineat. Nam lex civilis, inhabilitatem quamdam minoribus apponendo, intendit impedire ne minor bona sua dilapidet et viri nequam ejus imperitia abutantur: quem finem non sufficienter obtineret nisi obligationem e talibus contractibus ortam tolleret, etiam in conscientiae foro. Quare ii qui mala fide vel imprudenter hac ratione cum minoribus contrahunt, damnum quod patiuntur sibimetipsis imputent. Igitur illi, nec quando majoritatem adepti sunt, in rigore juris, talia debita solvere debent. (Marres, de Just. l. 3. n. 127 seqq.; Allègre, Le Code civil comm. a. 1305)

581. IV. Interdicti, in Jure nostro, ii tantum sunt qui, ob amentiam, tales a tribunalibus declarati et minoribus assimilati sunt. (C. C. a. 509) Eorum actus omnes sunt rescindibiles, etiam ii quibus minime laesi fuerint. (a. 502) Eos coram judice aggredi possunt tantum ipsi interdicti vel alii qui eorum jura tuentur. (a. 1125) Judex autem, secundum leges, pronuntiare debet nullitatem omnium actuum quos interdictus fecerit a die quo talis renuntiatus est; imo et eorum, quos antea fecit, dummodo probetur eum jam tum amentem exstitisse. (a. 503) Similiter rescindendi sunt a judice contractus omnes initi ab amentibus qui interdicti non sunt, sed in hospitio amentium collocati sunt. Cfr. legem 18 Junii 1850, a. 34.

Aliquam cum interdictis affinitatem habent qui, ob capitis debilitatem vel ob prodigalitatem, sub auctoritate consilii judiciarii collocati sunt. (aa. 499, 513) Horum actus rescindibiles sunt tantum quando sine assistentia consilii judiciarii ab interdictis perfecti sunt in iis argumentis quae ipsis speciatim per leges prohibentur, ut puta alienare, hypothecae subjicere, mutuari, etc.

582. V. Uxor nullos actus juridicos ponere potest, sine speciali et scriptis mandato mariti sui consensu; quodsi maritus consensum denegat, si abest, vel minor aut interdictus est, tribunal primae instantiae, in cujus territorio domicilium habent conjuges, hanc facultatem praestare potest. (C. C. a. 217 seqq.)

Actus autem quos uxor sine hujusmodi consensu inierit, non sunt ipso jure nulli, sed rescindibiles : horum rescissionem petere possunt tantum ipsa uxor et maritus eorumque haeredes. (a. 225) Neque ulla laesio requiritur ut isti hanc rescissionem, etiam in foro conscientiae, petere possint.

Quaedam tamen exceptiones ab ipsa lege civili huic generali inhabilitati uxoris ad firmiter contrahendum apponuntur :

1° Uxor absque mariti consensu testari potest. (a. 226)

2° Uxor, quae commercium separatum gerit, potest se obligare in iis rebus quae ad hoc commercium pertinent : quo casu etiam maritum obligat si inter eos datur bonorum communitas. (a. 220)

3° Uxor potest in contractu matrimonii accipere generalem facultatem libere administrandi bona sua. (a. 223)

In foro conscientiae semper attendendum est, ut supra de minoribus dictum, obligationem restituendi oriri posse, etiamsi contractus rescindatur, ex injusta damnificatione vel rei alienae detentione. Pariter uxoribus sine fraude contrahentibus licet probabilius uti legis beneficio, quamvis altera pars inde detrimentum passura sit.

CAPUT III.

DE MATERIA CONTRACTUS.

583. Materia seu objectum contractus esse potest quidquid honestum est liberaeque contrahentium voluntati subjacet, sive res, sive actio, sive omissio.

Hinc deducuntur **conditiones** requisitae in contractuum materia. Haec esse debet :

1° *Possibilis*, tum physice (ut per se liquet), tum moraliter. Attamen quando res est tantum lato sensu impossibilis seu difficillima, absolute loquendo potest aliquis se ad eam praestandam obligare ; sed non est putandus id voluisse, nisi id clare constet. Quodsi res partim possibilis, partim impossibilis est, praestanda erit quoad partem possibilem, nisi ex natura rei vel contrahentium intentione pateat obligationem exstitisse vel ad totum vel ad nihil. Insuper qui alterum decepit, promittens rem quam norat esse impossibilem, tenetur ad damnum e fictione ortum compensandum. Cfr. n. 585.

2° *Existens* vel in re vel in spe, ut fructus praedii nondum nati : secus enim materia fieret impossibilis, et eadem fere dicenda essent ac supra ad 1^{um}.

3° *Unius e contrahentibus propria* : nemo enim in alium transferre potest jus quod non habet. Videndum tamen num forsan lex civilis suppleat id quod e jure naturali desit, ut in venditione rerum alienarum in quibusdam adjunctis. Cfr. n. 492.

4° *Aliqua ratione determinata*, vel in specie vel in quantitate : nam omnino indeterminata materia, ut contractus emptionis circa animal in genere vel frumentum, conventionem illusoriam efficeret.

N. B. In C. C. (a. 1128) requiritur etiam ut res de qua contrahitur non sit extra commercium posita. Hanc tamen conditionem Jurisperiti, ex.gr. Laurent (Cours él. de Droit civ. t. II. n. 533), dicunt intelligendam esse tantum eo sensu quod pacta privata nequeunt adversari fini propter quem lex quasdam res, ex.gr. munera publica, plateas, libertatem personalem, etc. extra commercium ponit, non autem eo sensu quod quilibet contractus circa tales res invalidi sint.

5° *Honesta*. Nam fieri nequit ut quis per conventionem se obliget ad aliquid dandum vel faciendum quod lege in conscientia obligante omittere teneatur : secus simul daretur obligatio ad idem et faciendum et omittendum, quod repugnat. Ideo, antequam contractus turpis, seu de re inhonesta, exsecutioni mandatus sit, dubium nullum est quin sit restituendum id quod jam pro turpitudine patranda acceptum fuerit, puta si quis e contractu accepisset pecuniam ut alium occideret, infamaret, etc. Cave tamen ne confundas istum casum cum eo quo, sine ulla stipulatione expressa vel tacita, aliquid daretur ea intentione ut altera pars ad peccandum alliceretur, puta si juvenis puellae munera daret ut eam ad fornicandum induceret, si quis custodi pecuniam solveret eo animo ut officio suo deesset. etc. Haec enim, tamquam gratuitae donationes, etiam omissa actione prava quae intendebatur, retineri possunt. (S. Alph. l. 4. n. 712) Attamen, in materia luxuriae, cavendum a scandalo, cum facile acceptatione vel retentione turpis amor donantis foveri possit. (Lugo, disp. 18. n. 51)

584. QUAER. Num, turpi contractu ad effectum perducto, pretium de quo conventum est dandum sit vel (si jam datum fuerit) retineri queat in conscientia.

RESP. Speculative omnino affirmandum est ad utrumque. Nam is qui pretium promisit, determinavit quanti vellet remunerare actionem alterius, quae in se erat aliquo pretio aestimabilis, puta ob laborem, ignominiam vel periculum annexum. Cum ergo altera pars hanc actionem posuerit, qui pretium promisit jam huic suae determinationi stare debet, nisi haec foret omnino prodiga et ad justos limites reducenda, vel legibus positivis hujusmodi contractus prorsus nullus declararetur. Hanc sententiam fere unanimes tenent AA. veteres, ut fuse ostendit Ball. P.

n. 61 seqq. Contrariam tamen sententiam pauci quidam amplectuntur, ut Collet (de Just. et J. p. 4. c. 1. a. 4) et Carrière (de Contr. n. 331). Horum rationes valde infirmae sunt. Frustra enim arguunt non posse decursu temporis fieri validum contractum qui ab initio fuerit nullus. Nam id minime a communis sententiae fautoribus asseritur. Reapse contractui nulli, quo quis promisit rem turpem, inest implicite alter contractus innominatus *do ut facias*, qui non constat promissione, sed operis positione, neque, antequam opus perfectum fuerit, ullam vim habet. Logice etiam ex illa paucorum sententia defluerent consectaria quae neque ipsi ejusdem fautores admittunt, ex. gr. juvenem qui puellam sub promissione matrimonii defloravit, non teneri ad eam ducendam, nec solvendum esse salarium de quo conventum fuerit pro opere servili quod illicite die Dominica assumeretur. (Lehmk. I. n. 1053)

Practice tamen qui nondum solvit pretium non videtur ad id obligandus. Nam eum a solutione liberant ii omnes qui dubia principio possessionis dirimunt et sententiam negantem ut probabilem habent, S. Alphonsum (l. 4. n. 712) secuti. Ita Aertnys (I. n. 386), Marc (I. n. 1036), etc. Insuper is qui ad reddendum pretium acceptum per juridicam sententiam cogeretur, id in conscientia praestare teneretur, cum lex quam haec sententia applicaret justa esset.

N. B. Praeter tria elementa contractus supra enumerata, C. C. noster (a. 1108) recenset causam licitam in obligatione. Hoc nomine *causae* legislator intendit motivum juridicum quo partes ad contrahendum inductae sunt. Hoc motivum in contractibus onerosis cum objecto identificatur: in contractibus gratuitis, cum consensu seu donandi voluntate. (Laurent, l. c. n. 538) Ideo quae de causa dici possent, satis intelliguntur ex iis quae de objecto et consensu hic traduntur.

CAPUT IV.

DE CONSENSU.

§ 1. DE QUALITATIBUS IN CONSENSU REQUISITIS.

585. Ut consensus validum contractum efficiat, oportet ut sit :

I. Internus. Ratio est, quia per contractum aliquod jus, quod nostrum est, ad alium per nosmetipsos transfertur : hoc autem sine volun-

tate nostra fieri nequit. Sicut enim dominium non acquiritur, nisi sit interna acquirendi voluntas, ita nec amittitur per solum actum externum, repugnante voluntate.

Manifeste valet contractus ubi quis vult se alligare, quamvis simul proponat *obligationibus infidelem fore:* nam inter utramque voluntatem nulla viget contradictio. Quodsi idem contrahens habeat *duas intentiones oppositas*, contractus nullus est si eaedem versantur circa idem objectum sub eodem respectu consideratum, ut puta si quis vellet promittere, sed cum animo expresso se non obligandi: nam intenditur effectus impossibilis. Si vero sub diversis respectibus idem objectum consideretur, contractus validus vel nullus erit, prout praevalebit intentio ejusdem ineundi vel non ineundi; praevalebit autem illa intentio quae magis efficax et absoluta sit, seu quae habeat modum magis universalem volendi. Ita, si velis promittere, et ob errorem putes e promissione non oriri obligationem, obligaberis si voluntas promittendi est magis absoluta quam voluntas te non obligandi. (Lugo, disp. 22. n. 39) Praecipuam applicationem habent haec principia in tr. de Matrimonio. (Vol. II. n. 459)

Si quis *externe fingit* animum quem interne non habet, nulla premitur obligatione e contractu: quippe qui non existit. Attamen tenetur ad reparanda damna quae fictione sua alteri forte intulit, et etiam ad praestandum consensum verum contractumque implendum, si damnum illud alia ratione reparari nequit. (Lugo, l. c. n. 48).

II. Externus. Contractus enim postulat essentialiter ut alter alterius voluntatem perceperit et ita in unum concurrerint paciscentium voluntates: quod sine manifestatione externa fieri non posse patet. Hoc tamen non impedit quominus interdum silentium in favorabilibus pro consensu habeatur: ipse enim defectus denegationis, quae facilis esset, externe prodit internum assensum. (n. 10)

586. III. Plene deliberatus, saltem ubi contrahitur de materia quae natura sua sit gravis. Ut enim hujusmodi contractus existant ea ratione qua ab omnibus accipiuntur et sine gravi injuria violari nequeunt, necesse est ut contrahentes se sub gravi obligent; actus autem imperfecte deliberatus nequit esse fundamentum perfectae obligationis. (Lugo, l. c. n. 40 seqq.)

IV. Mutuus: secus enim fieri nequit ut in idem placitum conveniant. Non requiritur tamen ut eodem temporis momento actus voluntatis ab utroque eliciatur. Sufficit moralis unio, quae in eo sita est quod, postquam consensus ab uno datus, nec retractatus est, alter consentit: consensus enim prioris tunc adhuc virtualiter perseverat.

V. Intimatus alteri parti, saltem ab ea parte quae consensum suum offert : quamdiu enim haec intimatio facta non fuit ab isto vel a tertio cui iste hoc munus demandarit, non habetur illa moralis voluntatum unio quae prorsus requiritur. Sic non exsurgeret contractus venditionis, si Petrus narraret Paulo se paratum fore ad domum suam 5000 fr. Joanni vendendam, Joannes autem a Paulo monitus significaret Petro se hanc petitionem libenter accipere. (Lugo, disp. 23. n. 70 seq.)

587. QUAER. Quo praecise momento contractus inter absentes celebrati perficiantur ita ut uni vel utrique parti jam resilire non liceat.

RESP. 1° In contractibus e quibus soli offerenti onus oritur, ut in donatione, non requiritur ut acceptatio alterius partis priori innotuerit, sed, acceptatione posita, statim contractus irrevocabiliter perficitur. Nam effectus hujusmodi contractus is tantum est quod altera pars acquirit jus in rem sibi oblatam; jamvero, supposita prioris domini oblatione, jam nihil impedit quominus alter sola sua voluntate rem suam faciat, fere ac si nullius esset. (Lugo, disp. 22. n. 29) Hinc ad solum jus positivum referendum est quod in C. C. (a. 932) statuitur : donationem inter vivos nullos effectus habituram esse antequam expresse fuerit acceptata.

2° De contractibus onerosis, res, spectato tantum jure naturali, controvertitur. Quidam (ut Lehmk. I. n. 1061) opinantur contractum onerosum perfici statim ac petitio unius, qui ex. gr. vendere cupit, ab altero fuerit acceptata, et haec acceptatio aliquo signo externo manifestata fuerit, puta epistolam conscribendo, quamvis haec nondum ad alteram partem pervenerit. At communior sententia tenet (Lugo, l. c.; Marres, l. 3. n. 52) talem contractum non perfici antequam utriusque acceptatio utrique nota sit, ita ut, si res litteris peragatur, contractus perficiatur tantum quando litterae responsum affirmativum continentes a parte acceptante ad offerentem delatae fuerint. Ratio horum est, quod contrahentium voluntates humano modo et sensibiliter conjungi debent; quare, sicut unus debet alteri manifestare voluntatem se obligandi, ex. gr. vendendi domum, ita et alter debet priori manifestare voluntatem suam obligationem accipiendi, ex. gr. acquirendi domum pro pretio. Alioquin, sicut voluntas prioris se obligandi, nondum manifestata, nondum ligat priorem, ita et voluntas alterius accipiendi obligationem, nondum manifestata priori, neutrum obligat.

Ideo practice venditor absque injustitia pollicitationem per litteras factam nuntio telegraphico revocare potest, quamdiu nondum accepit, imo et legit litteras quibus alter acceptationem suam significat; emptor similiter petitionem venditori factam nuntio telegraphico revocare

potest, quamdiu litteras quibus acceptatio contineatur nondum legit. Haec tamen dicuntur, spectato jure naturali : nam, si speciali stipulatione se obligarunt ad responsum per tempus determinatum exspectandum, injuste ante hunc terminum resilirent. (Marres, l. c. n. 53)

§ 2. DE CONSENSU PER ERROREM VEL DOLUM VITIATO.

588. NOTIONES. Error relate ad contractum vario modo se habere potest :

1° Error potest esse *substantialis*, seu circa substantiam contractus versari, et *accidentalis*, seu afficere tantum accidentales contractus determinationes. At non ita facile definitur in quonam contractus substantia reponenda sit. Manifeste error substantialis est ubi erratur circa ipsam contractus materiam, ut si vitrum ematur pro gemma, vel circa speciem contractus, ut si unus vendere, alter locare intendat. Insuper error circa objecti qualitatem potest fieri substantialis, nempe quando haec qualitas omnino primarie intenditur ita ut hujus absentia rem prorsus inutilem reddat ad finem intentum ab eo qui eam acquirere vult, vel tollat omne rationabile contrahendi motivum.

Error *circa personam* substantialis est in contractibus gratuitis, in quibus persona cui beneficium praestatur primarie considerari solet. Attendendum tamen ad voluntatem dantis, qui in rebus minoris momenti, ut in parvis eleemosynis, quandoque absolute dominium transferre intendit, vel saltem restitutionem non urget. In contractibus vero onerosis, excepto matrimonio, error est tantum accidentalis, cum in iis intendatur praecipue onus quod ab altera parte praestandum assumitur.

2° Error potest *dare causam contractui* vel esse mere *accidentalis* aut *concomitans*. Dat autem causam contractui quando, sublato hoc judicio falso, contractus initus non fuisset.

Dolus autem in eo est quod fraus vel artificium adhibetur ut alteruter contrahentium ad consensum dandum adducatur. In praesenti argumento dolus non est speciatim considerandus nisi quando voluntarie adhibetur sive ab una parte, sive a tertio : ubi enim bona fide decepta est altera pars, nihil aliud valori contractus obstat nisi error, ac proinde sufficiunt quae de influxu erroris hic statuuntur.

589. ASSERTA. I. Quilibet **error substantialis** contractum nullum facit, etiamsi forte, errore detecto, pars altera nihilominus contraxisset : deficit enim consensus in idem placitum, saltem moraliter sumptum. (S. Alph. l. 4. n. 714)

Pariter nullus est contractus, si error versatur circa qualitatem cui

contrahens formaliter vel virtualiter consensum suum alligavit, ut patet e natura contractuum conditionatorum. (n. 595) Censendus autem est contrahens virtualiter consensum alligare ei qualitati vel circumstantiae quae est principale motivum et finis primarius contrahendi : nam ab ea omnem vim et mensuram accipit actus quo se ad contrahendum determinat. (Laymann, l. 2. t. 4. c. 5. n. 5)

II. Error accidentalis qui non dat causam contractui, numquam contractus invalidos vel rescindibiles facit. Consonat C. C. (a. 1110) Attamen quandoque compensandum erit damnum quod ex hoc errore alteri parti illatum est, ex. gr. si pannus vilis pro pretioso venditus est ; imo, si una pars mala fide alteram decepit, hanc prorsus indemnem facere debebit. (Ball. P. n. 78)

III. Error accidentalis qui dat causam contractui, probabilius non reddit contractus *onerosos* jure naturae nullos, dummodo tamen non redundet in substantiam vel virtualem conditionem, ut supra dictum est.

Ratio est, quod manet consensus in substantiam, et voluntas, ita exigente bono communi, in contractus onerosos firmiter ferri debet, ne passim, cum magno commercii humani detrimento, rescindantur, praesertim ubi nullus dolus intervenerit. (Ball. P. n. 83) Attamen, in foro conscientiae, si res adhuc integra est, deceptus non videtur teneri ad contractum implendum, dummodo alteram partem indemnem praestet, neque judicis sententia ad implendum obligetur : nam tacita mens contrahentium est se non obligare ad contractum exsequendum si decepti fuerint. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 17. n. 33)

Idem vero error probabilius irritos facit, saltem regulariter, contractus *gratuitos* : hi enim postulant majorem plenitudinem voluntarii, cum a benigna tantum voluntate procedant, neque bonum commune obstat quominus facilius rescindantur. Attendendum tamen ad dispositionem contrahentis : nam saepe is qui ab aliqua donatione abstineret, si sciret causam propter quam confert non subsistere, non intendit ut donatio semel facta irrita fiat, si causa non subsistat. Sic interdum aliquis pauperi eleemosynam facit quia sobrium et pium esse opinatur, nec tamen propterea vult hanc donationem esse irritam si ebriosus vel impius sit. (Ball. P. n. 85)

590. IV. Quando **dolus**, adhibitus ab una parte, causa fuit ob quam contractus initus sit, is probabilius servandus est a deceptore, si deceptus velit, nullam autem obligationem decepto imponit. Ratio est, quia deceptor consensum dedit cujus efficaciae, si altera pars voluerit, nihil obstat ; decepto autem nequit oriri obligatio ex injuria quae ipsi per

fraudem illata est. (Ball. P. n. 88 seqq.) Sic etiam in C. C. (a. 1116) edicitur dolum reddere contractum rescindibilem, sed tantum in eo casu quo artificium ab una parte adhibitum hujusmodi est ut evidenter altera pars, deficiente hoc artificio, non contraxisset.

Hinc sequitur teneri eam partem quae dolum adhibuit, ut alteri offerat contractus rescissionem, quoties id fieri potest sine damno suo multo majore, puta cum notabili infamia sua. (n. 557) Haec obligatio gravis erit si nascitur e contractu qui grave damnum alteri parti affert, levis, si leve aut nullum damnum e contractu oriturum est eidem parti. (Marres, l. 3. n. 71) Quandoque tamen contractus per dolum initus, esset omnino nullus, vid. si altera pars inducta esset in errorem substantialem aut versantem circa qualitatem cui formaliter vel virtualiter consensum suum alligasset.

V. Dolus non reddit contractum rescindibilem, quando adhibitus fuit a tertio quodam, etiamsi constaret contractum, remoto dolo, non fuisse initum; nec quando adhibitus fuit ab altera parte, sed causam contractui non dedit. Ita et C. C. (a. cit.) Semper tamen, in foro conscientiae, manet obligatio reparandi damnum quod per dolum alteri parti forte illatum sit.

Ad praxim notat Ball. P. (n. 98): " Quando nulla intercedit inaequalitas, etsi dolus causam dederit contractui, et deceptus possit rescindere contractum, tamen, si res adhuc integra non sit, regulariter non consurgit obligatio aliquid restituendi sub letali culpa. „ Exemplum affert illius qui mentiretur vinum esse plurium annorum aut specialis loci, et hoc dolo ad illud emendum induceret aliquem qui secus illud vel omnino non emisset vel non emisset tali pretio. Is leviter peccaret si vinum revera haberet valorem solutum vel paulo minorem ; graviter, si excessus justi pretii per se ad grave furtum pertingeret, neque contractus, re adhuc integra, rescinderetur, vel, re consumpta, excessus restitueretur.

§ 3. DE CONSENSU PER METUM VITIATO.

591. I. Metus semper reddit contractum nullum, quando ita perturbat contrahentem ut actum perfecte humanum elicere non potuerit. (n. 586)

II. Quando contrahens ex metu manet sui compos, contractus semper valet si metus ille oritur e causa intrinseca vel necessaria, vel etiam e causa libera juste illum incutiente. Nulla enim ratio invaliditatis assignari

potest, cum nulla inferatur injuria, neque desit consensus voluntarius ; siquidem libere eligitur contractus tamquam medium aptum ad malum quod timetur evadendum. Exemplum habes in eo qui, metu morbi contagiosi regionem quamdam deserere cupiens, contractum cum duce navis init, vel qui, alium calumniatus, spondet se pecuniae summam illi daturum esse ne ad tribunalia trahatur.

III. Si *metus relative gravis* (n. 28) ab altera parte per se vel per alium incutitur ad assensum extorquendum, contractus probabilius, spectato tantum jure naturali, est validus, sed rescindibilis ad nutum illius qui metum passus est. Ita Lugo (disp. 22. n. 115) et S. Alph. (l. 4. n. 716) cum communi sententia. Attamen plures AA. contractus gratuitos, quidam, ut Molina (t. 2. disp. 326) et Ball. P. (n. 100 seq.), tum gratuitos, tum onerosos, prorsus nullos esse opinantur.

Ratio communis sententiae est : non deesse voluntarium consensum eo quod misceatur cum aliquo involuntario. (n. 29) Secus enim nec valere dicendus esset contractus qui e metu naturali vel juste incusso ortum habuisset : nam plerumque cum eadem repugnantia initur. Attamen metum incutiens, cum injuriam reparare debeat, nequit velle ut metum passus contractum invitus impleat : is ergo rescindibilis est ad nutum metum passi, etiam ante judicis sententiam. Hinc sequitur eum qui metum intulit obligari ad exsequendum contractum si alter velit. Nihilominus, propter probabilitatem sententiae quae contractus etiam onerosos in hoc casu nullos esse propugnat, ad id obligandus non videtur, modo aliter damnum plene reparet.

In Jure nostro, contractus e metu relative gravi initi sunt validi, sed rescindibiles. (C. C. aa. 1112, 1113, 1117) Jure autem Canonico, plures contractus e metu initi, speciatim matrimonium et professio religiosa, sunt invalidi : de quibus suo loco dicetur.

592. IV. *Metus relative levis* probabilius contractum facit rescindibilem ad nutum illius qui metum passus est, si constituit unicum motivum consensus dati vel motivum quod cum aliis quidem concurrit, sed solum, etiam sublatis ceteris, ad consensum determinasset, vel etiam si, metu cessante, consensus propter cetera motiva datus non fuisset. Ratio potissima est, quod qui metu levi, ex. gr. secreti manifestandi, reapse alterum inducit ad contrahendum, injustitia formali et efficaci influit in totum damnum e contractu oriundum : quare obligatur ad alterum in pristinum statum reponendum. Verum nequiret contractus rescindi a metum passo si, ablatis ceteris motivis, consensus non daretur propter metum, et, ablato metu, adhuc propter cetera motiva daretur : quo casu tamen reparandum est damnum forte illatum, pro quan-

titate influxus quem metus in consensum habuit. Ita Lugo (disp. 22. n. 135 seqq.), Ball. P. (n. 107 seq.), etc. contra S. Alph. (n. 718) et alios, qui opinantur hujusmodi contractus probabilius universim valere.

Hinc saepe rescindibilis est contractus initus propter importunas preces: quippe quae non raro levis mali metum injiciunt. (Ball. P. n. 112)

V. Si metus incutitur quidem ad extorquendum assensum, sed *a tertio quodam*, nullatenus connivente altera parte, contractus est validus, jure tamen civili rescindibilis. (C. C. a. 1111) Ideo metum passus hanc nullitatem petere poterit; interim altera pars, cum sit injuriae expers, contractum tamquam validum urgere potest. (Ball. P. n. 114)

VI. Si metus *ad alium finem incutitur*, contractus, qui ad hoc malum vitandum initur, per se validus est, quando initur cum eo qui hujus injuriae nullatenus est particeps, ex. gr. si promittas mercedem viro ut te a latronibus insidiantibus tueatur: is enim metum tollit, nedum inferat; quando autem initur cum eo ipso qui hunc metum incutit, rescindibilis est ad nutum metum passi; ex. gr. si sponte promittas pecuniam inimico ut a vita tua aggredienda desistat: nam injuriam inferens tenetur ad reparandum omne damnum inde exortum.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE E CONTRACTU ORTA.

§ 1. DE OBLIGATIONE SUBSTANTIALI.

593. Sufficit hic quaedam generalia principia praestituere. Multas particulares determinationes de exsecutione contractuum effert C. C. (aa. 1136-1167) quae confessario minus scitu necessariae sunt vel e principiis hic positis satis intelliguntur.

I. Obligatio contractus imprimis determinatur ex ipsius tenore: id enim de quo expresse conventum est, legis instar habendum est (a. 1134), etiamsi forte legis vel consuetudinis determinationibus contrarium sit. Cfr. n. 578.

II. Contractus *bona fide* sunt exsequendi (a. 1134), ideoque obligant non tantum ad ea quae explicite enuntiant, sed ad omnia consectaria quae, juxta aequitatem, consuetudinem vel legem, ex hujusmodi obligatione oriantur. (a. 1135)

Hinc patet injustum esse qui debiti solutionem differt ultra terminum quo communiter hujusmodi debita a probis debitoribus solvuntur, nisi creditor omnino libere in majorem dilationem consentiat: nam, ubi nullus terminus expresse a vendente, locante, etc. statutus est, implicite obligat se emens, conducens etc. ad solvendum tempore quo solutio fieri solet, ex. gr. infra annum. Neque excusatur amplior dilatio eo quod creditor non petat, nisi hic omnino sponte ita dispositus sit ut solutionem recipere velit tantum quando eam petiturus est: nam multi mercatores a petenda solutione abstinent, metuentes ne clientem a se removeant, ac proinde hujusmodi tacitus consensus nullus est. (n. 499) Manifestum est dilationem illam injustam tanto magis peccaminosam fore quanto major est necessitas in qua versatur creditor. Hinc facile peccatum grave, saltem contra caritatem, admittunt qui procrastinant solvere salarium eorum qui ex eo singulis hebdomadis mensibusve accepto aluntur, vel merces emptas a mercatoribus qui pecunia solvenda indigent ad se alendos vel negotiationem prosequendam.

III. Regulariter obligationes contractus solos contrahentes afficiunt. (a. 1119 seqq.) Attamen obligationes contractuum ad haeredes, creditores aliosve qui contrahentibus succedunt, transmittuntur, nisi contrarium expresse inter eos convenerit vel e natura contractus sequatur, ut contingit, ex. gr. in contractu locationis operarum. (aa. 1122, 1795)

IV. Contractus qui lege civili *nulli*, i. e. rescindibiles declarantur, unam partem obligant donec altera pars, in cujus favorem rescissio lege concessa est, eam postulet. Cfr. n. 580 seqq. Haec autem pars rescissionem petere potest, nisi ei libere et valide renuntiaverit: quod facere potest quando concessio facta est tantum in privatum ejus favorem, non autem quando facta est e motivo boni communis. Sic nulla foret renuntiatio juris ad rescindendum contractum facta a minore quem ad eam induceret pars quacum contraxisset: nam contra bonum commune foret quod homines perversi hoc facile medium haberent quo imprudentes adolescentes a beneficio restitutionis excluderent. Cfr. Lehmk. I. n. 1070.

594. Non leviter inter AA. controvertitur utrum contractus qui legibus civilibus declarantur nulli, quando certis formalitatibus carent, jam ante judicis sententiam sint, etiam in foro conscientiae, invalidi an tantum rescindibiles. Qua de re cfr. Ball. P. (nn. 24-44); Marres (l. 3.

n. 21 seqq. et Epilogum ad vol. I. 2ª edit.); Van Gestel (de Just. et lege civ. p. 172 seqq.). Ad praxim sufficiet sequentia statuisse:

1° Nequit denegari legislatori civili potestas condendi leges quae contractus etiam in foro conscientiae et ante judicis sententiam irritent. Tales enim leges possunt ad bonum commune conducere, neque apparet qua ratione denegaretur legislatori facultas quae sententiae judicis adstruatur. Supponitur tamen, ut per se patet, legem hanc civilem non ferri in contractum qui, ut matrimonium christianum, ipsius auctoritati minime subjaceat.

2° Quaestio igitur huc redit ut determinetur quaenam fuerit legislatoris civilis mens, legis verbis expressa et usu recepta, utrum scil. legem ipse tulerit et cives communiter observent eo sensu quod contractus jam ante judicis sententiam, in foro conscientiae, sit nullus, an nullitas in eodem foro tantum post hanc sententiam vigeat. Jamvero, ut patet e dictis n. 464, haec mens legislatoris, in plerisque regionibus, jam non est quaerenda, saltem directe, in Jure Romano ejusque interpretibus vel apud Theologos morales eidem Juri innixos. Ubicumque viget Jus novum, ad leges novas earumque interpretes vel ad consuetudinem virorum proborum recurrendum est.

3° De legislatore nostro (idem dic de codice Gallico, Batavo, Austriaco, etc.) theoretice parum constat utro sensu hanc nullitatem pro foro conscientiae intellexerit. Neque ipsi Juris civilis interpretes unanimes sunt in lege declaranda. Multi opinantur, ex Jure nostro, plures contractus in foro conscientiae, ante omnem judicis sententiam, irritari. Hi ergo distinguunt contractus *nullos* seu rescindibiles et contractus *inexistentes*, qui nempe, ob defectum alicujus formalitatis, nullos omnino effectus producant, perinde ac si ipsis deesset elementum jure naturali requisitum, puta voluntas deliberata. Nihilominus et ipsi fateri debent hanc distinctionem in codice expresse non reperiri. His adhaerent etiam plures Theologi recentes, ex. gr. Marres (ll. cit.) et Waffelaert (t. I. n. 352 seq.), quorum doctrina sane probabilis est.

Probabilior tamen videtur sententia opposita, quam fuse tuetur Van Gestel (l. c.) et cui adhaerent Ball. P. (nota ad n. 44), Lehmk. (I. n. 1073), etc. Neque ipsi adversarii ejus probabilitatem negare solent. Cfr. Marres, Epil. cit. n. XX. Ratio praecipua est: contractus jure naturali validos (ut supponitur) non esse habendos ut nullos, donec de hac nullitate clare constet. De hac autem clare non constat in Juribus plerisque recentioribus, sicut nec sub Jure Romano, ut liquet e defectu clarae determinationis in Codice civili et e controversiis jurisperitorum. Adde: communem persuasionem timoratorum, in nostris saltem regionibus, restringere has nullitates ad effectus mere civiles, nempe ad jus alteri parti concessum ut a judice sententiam nullitatis obtineat. Haec

autem sententia, omnium consensu, etiam in foro conscientiae obligat : id enim et publicus ordo requirit et legislator merito intendisse censetur.

4° Regulariter ergo licet rem e contractu jure naturae valido, sed forma legali destituto, puta e donatione carente formalitate quam requirit C. C. a. 931, accipere et retinere donec legitime repetatur. Regulariter, inquam : nam interdum restituenda esset, eo quod secus ordo publicus perturbaretur vel jus tertii per accidens laederetur.

5° Prorsus nulli censendi sunt contractus quidam *ob specialem materiam* circa quam versantur. Ita nullus est contractus de re turpi (n. 596) vel cujus absolutam nullitatem postulat commune bonum, ut in exemplo supra dato (n. 593) minorennis renuntiantis juri suo ad petendam rescissionem contractus quo laesus est.

De testamentis informibus speciatim infra dicetur. (n. 674 seq.)

§ 2. DE OBLIGATIONIBUS ACCIDENTALIBUS.

595. Obligatio contractus quandoque per conditionem adjectam suspenditur, quandoque variis clausulis seu modis adjectis augetur vel minuitur. De his quasi-speciebus obligationum agit C. C. aa. 1168-1233. Hic breviter quaedam principia statuemus.

I. Sola **conditio de futuro contingente** contractum proprie conditionatum efficit ejusque obligationem suspendit, ex. gr. " si legatum mihi relinquit avunculus meus, tibi dimidium tribuam. „ Obligat hujusmodi contractus ad eventum hunc exspectandum, nec potest interim aliquid fieri quo jam impleri nequeat, ex. gr. alienando rem conditionate promissam. Quando conditio impleta est, contractus, absque novo consensu, fit absolutus ; ex quo autem certum fit conditionem numquam impletum iri, evanescit.

Quodsi adjecta fuerit conditio de praeterito vel praesenti, statim contractus valet vel irritus est, prout conditio cum rerum veritate congruit vel ab ea discedit.

Conditio de futuro necessario per se pro non adjecta habetur ; attamen quandoque suspendere potest obligationem ex intentione contrahentium, ex. gr. si quis dicat : " Dabo tibi equum si pater meus morietur „, vel quia ignorant utrum res sit eventura necne. (Lugo, disp. 22. n. 336)

596. II. Si additur **conditio de re impossibili** et quae ut talis a contrahentibus cognoscitur, contractus fit nullus : quia nemo potest se ad rem manifeste impossibilem obligare, ideoque censetur nugari. (C. C.

a. 1172) Si tamen contrahens nesciret rem impossibilem esse, posset dari verus consensus : nempe ex adjunctis videndum utrum, si cognovisset conditionem hanc esse impossibilem, voluisset absolute se obligare. Nam, ubi quaestio de valore contractus in foro conscientiae agitatur, ante omnia inspicienda est contrahentis intentio, a qua pendet ut consensus ipsius tali conditioni alligetur vel non. (Ball. P. n. 22)

Conditio de re inhonesta seu turpi reddit contractum de jure naturae et positivo nullum : quia nemo se ad rem inhonestam obligare potest. Insuper rescindibilis est e Jure civili (C. C. a. cit.) contractus initus sub conditione legibus prohibita : quae erit etiam conditio turpis, nisi leges illae sint mere poenales.

Attamen in donatione inter vivos et testamento, Codex civilis (a. 900) tamquam non adjectas reputat conditiones impossibiles aut contrarias legibus vel moribus : quare contractus substantia intacta manet. Haec dispositio desumpta ex Jure Romano, quatenus saltem testamenta complectitur, in se nihil absonum habet : nam. praesertim quando contrahens defunctus est, merito censeri potuit addidisse hanc conditionem ex errore et voluisse ut nihilominus substantia contractus valeret (Lugo, n. 343) ; quatenus autem extensa fuit ad donationes inter vivos, parum rationabilis est et prodiit e voluntate legislatoris infensa Ecclesiae et societatibus religiosis. Videsis Laurent, Cours él. t. II. n. 224. Ideo in foro conscientiae nulla obligatio oriretur e testamentis vel donationibus e quibus judices sustulissent conditiones quibus manifeste substantialem consensum suum testator vel donator affigeret, et quae falso declararentur contrariae legibus vel moribus. Ex. gr. si legatum relinqueretur Petro protestanti dummodo catholicus fieret, conditio haec expungi non posset, quasi adversa legibus quae libertatem conscientiae tuentur.

597. III. Conditio censetur impleta quando debitor, qui sub ea obligabatur, impedivit ne verificaretur. (C. C. a. 1178) Ratio est, quod hic fraude sua alteri parti detrimentum infert.

IV. Conditiones adimplendae sunt ea ratione qua partes eas impletum iri intenderunt (a. 1175): legem enim supremam constituit contrahentium voluntas. Quare poterunt impleri non formaliter sed aequivalenter, quoties aequivalens impletio intentioni partium, per clausulas contractus aliterve manifestatae, satisfaciet, vel si impletio formalis exigi non posset quin turpis evaderet. Ideo aliqui AA., ut Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 18. n. 123), existimant legatum relictum puellis, *etiam indeterminatis*, ut nubant, dari posse iis quae religionem ingrediantur : quia, si testator expressisset excludendas esse a beneficio suo puellas religionem ingredientes, talis dispositio esset turpis. Merito tamen S. Alph. (l. 4. n. 930)

contrariam sententiam dicit certe probabiliorem, quamvis, ob dispositiones positivas Juris Romani, teneat dari posse personae *determinatae*, quae religionem ingredi velit, legatum eidem relictum ut nubat.

V. Dies praeflxus contractui adimplendo non suspendit ejus valorem, sed differt tantum adimpletionem donec dies ille advenerit. (a. 1185) Talis autem terminus praesumitur semper in favorem debitoris additus, nisi ex ipso tenore vel circumstantiis appareat eum etiam in favorem creditoris statutum esse. (a. 1187)

598. VI. In contractu **alternativo**, ex. gr. ubi convenit ut pro locatione agri praestetur vel pecuniae summa vel pars fructuum determinata, debitor eligere potest utra e duabus rationibus pacto statutis satisfacere velit, nisi expresse conventum fuerit hanc electionem penes creditorem fore. (a. 1190)

Quando una e duabus rebus in individuo determinatis, quarum alterutra praestanda erat, periit, altera tradenda est; attamen si jus eligendi est penes creditorem et una res debitoris culpa periit, creditor petere potest vel alteram rem vel pretium illius quae periit.

Quando vero utraque res periit, et debitoris culpa saltem alterutra periit, regulariter solvendum est pretium illius quae ultimo loco periit: siquidem haec, priore pereunte, simpliciter creditori debita fuit. Attamen, si quando jus eligendi est penes creditorem, is pro libito alterutrius rei pretium petere potest. (aa. 1194 seq.)

Tandem si ambae res, sine culpa debitoris et antequam hic in mora culpabili versaretur, perierunt, contractus, deficiente materia, evanescit. (a. 1195)

VII. Quando contractui additur **poena** ab eo luenda qui obligationem suam nullatenus vel tardius quam convenerat, impleat, haec poena praestanda est ante judicis sententiam si, ex culpa theologica, omissa vel dilata est impletio contractus: nam apponitur pro damni compensatione et non in poenam delicti. Verum, ubi sola culpa juridica omissio vel dilatio contigit, poena non est praestanda ante judicis sententiam, nisi expresse contrarium inter paciscentes convenerit: nam praesumendus est poenam accipiens id intendisse tantum de culpa vera seu theologica. Ubi autem casu tantum fortuito, absque ulla culpa vel negligentia, contractus conditiones non servantur, nullo jure poena peti potest. Cfr. Lugo, disp. 22. sect. 15; Marres, l. 3. n. 266.

VIII. Quando contractui, praesertim gratuito, apponitur **certus finis** ad quem datur, aliquando non oritur vera obligatio ad hunc finem pro-

curandum, quia alter contrahens absolute rem donare intendit, ex. gr. si datur alicui pecunia a consanguineo ut possit studere vel ludere; si quis a Statu accipit, ratione officii, hordeum ad alendum equum quem non habet, etc. Ubi autem constat voluisse donatorem ut res ad illum finem adhibeatur, non tamen semper donatio est in foro conscientiae invalida; videndum nempe e tenore vel adjunctis, utrum haec fuerit donantis intentio an tantum ut obligationem implendi hunc modum imponeret. (Lugo, disp. 23. n. 111)

§ 3. DE JURAMENTO CONTRACTIBUS ADDITO.

599. I. Quando juramentum additur *contractui valido*, inducit obligationem religionis, praeter obligationem justitiae e contractu ortam, ad hujus tenorem exsequendum. Cfr. dicta n. 304 seq.

II. Quando juramentum additur *contractui qui servari nequeat sine peccato etiam levi*, nullam inducit obligationem : nam nequit esse vinculum iniquitatis, ut liquet.

III. Quando juramentum additur *contractui qui nullus est jure naturae*, vel *qui jure positivo nullus declaratur ob rationem e bono communi quaesitam*, certum est tales contractus non firmari per hoc juramentum ita ut ex justitia implendi sint et alteri parti jus tribuant. Ratio prioris partis est, quod firmari nequit id quod nulla ratione existit; posterioris, quod quidquid ob bonum commune prohibetur, censetur esse contra bonos mores. (Ball. P. tract. 6. de Juram. n. 91)

Communis autem sententia hanc regulam generalem ponit : juramentum promissorium servandum esse, quoties id fieri possit sine peccato. Rationes hujus asserti afferunt, tum quod reverentia divini nominis exigit ne Deum in testem falsitatis adducamus, tum plures textus Juris Canonici (ut Decr. l. 2. t. 24. c. 6.) quibus jubentur praestari ea quae jurejurando promissa sunt, ex. gr. usurae, licet statim postea eadem sint ei qui praestitit restituenda. Attamen, cum hic nullum jus alteri parti quaesitum sit et tota obligatio e religione descendat, concedunt eam tolli posse ab eo qui facultatem ordinariam vel delegatam habet dispensandi in juramentis. (Lugo, disp. 23. n. 194; S. Alph. l. 4. n. 177)

Nihilominus probabilis videtur sententia : neque illam obligationem ex religione subsistere, quia juramentum hic se habet ut accessorium; quare, cadente principali, cadet et accessorium. Ad rationes autem communis sententiae responderi potest : 1° Vix intelligitur quomodo Deus auctoritate sua firmare velit obligationem inutilem, cum juramenta

vana et inutilia, omnium consensu, non censeatur acceptare; inutilis autem videtur obligatio solvendi rem propter jusjurandum si statim, ob defectum juris in altera parte, eamdem rem possis repetere. Nec appareret quomodo secum constent communis doctrinae assertores, dum concedant eam obligationem, quae tamen unice est ad Deum, evanescere si altera pars praestationi renuntiet : nam qui nullum jus habet, renuntiatione sua nihil efficere potest. 2° Textus Juris Canonici commode intelligi possunt de prudenti oeconomia a RR. PP. statuta ne facile homines juramenti obligationem infringerent, sed, relaxationem petentes, sanctitatem jurisjurandi melius agnoscerent; valde dubium tamen est num haec positiva disciplina, inductis aliis moribus, adhuc vigeat. Cfr. Ball. P. l. c. n. 86.

600. IV. Quando juramentum additum est *contractibus qui jure naturae valent, jure autem positivo rescindibiles sunt,* hi quandoque, in Jure Romano, propter divinae Majestatis reverentiam firmabantur et irrescindibiles fiebant ita ut alteri parti jus strictum darent; juribus vero civilibus recentioribus nulla talis efficacia juramento asseritur. (Marres, l. 3. n. 275) Ideo, cum unice e jure positivo talis confirmatio repeti posset, hodie tales contractus manent quod absque juramento essent; neque ullum jus firmum alteri parti tribuunt. Juramentum tamen, utpote contractui de se valido inhaerens, obligat e virtute religionis, sed a competenti auctoritate ecclesiastica relaxari potest. Hic casus est minoris qui juramento promisit se rescissionem contractus a se initi non esse petiturum.

V. Juramentum *metu extortum,* secundum communem sententiam, obligat ad servandum e religione contractum cui annexus est, licet hic nullus sit vel saltem ad nutum metum passi rescindibilis. (III) Practice tamen probabilis est sententia quae hanc obligationem negat, ut supra expositum est. (ib.) Ideo non videtur, in rigore juris, vigere obligatio petendi relaxationem juramenti quo aliquis metu mortis promisisset latroni se ei certam pecuniae summam daturum esse ; tale juramentum, quo nullum jus latroni acquisitum est, ab Ecclesia relaxari posse consentiunt omnes. Neque, ob eamdem rationem, teneretur ad redeundum in carcerem qui illud jurejurando promisisset, si probabilis esset timor mortis vel gravissimi damni injusti, quamvis plerique DD. contrarium opinentur. (Ball. P. l. c. n. 102)

CAPUT VI.

DE CESSATIONE OBLIGATIONIS CONTRACTUUM.

§ 1. REGULAE GENERALES.

601. Modi quibus contractuum obligationes exstinguuntur, sunt, juxta C. C. (a. 1234 seq.) :

1° Solutio, seu exsecutio rei de qua conventum est.

2° Novatio, seu substitutio novi debiti, debitoris vel creditoris, qua debitum prius exstinguitur vel prior debitor liberatur. (a. 1271)

3° Voluntaria condonatio a creditore facta.

4° Compensatio quae ex lege oritur, ex. gr. quoties duae personae sibi invicem debent eamdem quantitatem pecuniae vel rerum fungibilium. (a. 1291)

5° Confusio, quae habetur cum obligatio debitoris et jus creditoris in eamdem personam conveniunt, puta per haereditatem.

6° Amissio rei determinatae quae e contractu debebatur, dummodo non culpa debitoris, sed casu fortuito amissa fuerit. (a. 1302)

7° Rescissio contractus, ex. gr. a minore initi.

8° Eventus conditionis quae resolutoria dicitur, eo quod obligatio contractus, cui apponitur, tollitur quamprimum ipsa verificatur, ex. gr. si quis merces vendit ea conditione ut, si iisdem infra mensem indigeat, eas repetere possit. (a. 1183)

9° Praescriptio. Cfr. n. 493.

Manifestum quoque est quandoque excusari unam vel utramque partem ab implenda obligatione quam per contractum assumpserit ; perinde ac de obligatione legis a Superiore latae dictum est n. 114. Nullum dubium esse potest, ubi obligationis susceptae exsecutio facta est *physice impossibilis*. Ita etiam in lege civili (C. C. a. 1148) ab omni indemnitate praestanda excusatur qui vi praevalente vel casu fortuito impeditus fuit quominus pactum exsequeretur. Ubi vero implendo contractui obstat tantum *moralis impossibilitas* seu magna difficultas, pro foro conscientiae prudenter pensandum est e momento contractus, e specialibus stipulationibus (si quae adfuerint), e consuetudinibus receptis, etc. ad quantum incommodum ferendum se adstringere contrahens voluerit.

Speciatim in contractibus onerosis, ratio excusans unam partem a

praestanda re ad quam se obligavit, haec esse potest quod altera pars non praestat onus quod ipsi incumbebat. Regula enim aequissima est et contractui oneroso implicita : frangenti fidem, fides servanda non est. Attamen, ubi de contractu agitur qui juridice probari potest, contractus ipse nequit censeri irritatus ob alterius partis infidelitatem, antequam judex contractum irritaverit vel declaraverit alteram partem aliquid fecisse quod, ex ipsa conventione, nullitatem contractus secum trahat: nemo enim sibimetipsi jus dicere potest. (Marres, l. 3. n. 184) Insuper attendendum quandoque a lege civili, ob alterius partis infidelitatem, non concedi irritationem contractus, sed tantummodo media quibus eadem pars cogatur praestare quod debet. Ita de contractu census vitalitii statuit C. C. a. 1978.

602. QUAER. Num, in foro conscientiae et ante sententiam judicis (quae certe servanda foret), debitor teneatur ad solvendum debitum cui jam *probabiliter* satisfecerit.

RESP. Plures AA. qui nobiscum admittunt (n. 80), saltem in praxi, neminem teneri ad satisfaciendum obligationi certo a se contractae, sed cui probabiliter jam satisfecerit, excipiunt debitum ex justitia. Aliqui tamen, ut Marres (l. 3. n. 368) et Ball. P. (tr. de Consc. n. 171 seqq. et tr. de Just. et J. n. 421), opinantur manere tantum obligationem solvendi pro rata dubii.

Nos vero satis tutam existimamus sententiam quam fuse tuetur Waffelaert (de Just. II. n. 260 seqq.) : debitorem jam non teneri ad solvendum. Nam cum debitum *hic et nunc* jam non sit certum, sed probabiliter tantum urgere pergat, non apparet quare debitor debeat se spoliare re sua ; ad hoc enim nemo videtur obligandus nisi cum ratio obligationis non tantum fuerit, sed actu sit moraliter certa. (n. 521) Neque obstat ratio sententiae quae integram solutionem in casu faciendam esse tenet : non satisfieri debito certo per solutionem dubiam. Etenim si debitum adhuc certum foret, omnino concederemus ei non satisfieri per solutionem quae probabiliter tantum sit aequalis debito. Verum, in hypothesi nostra, jam incertum est debitum, ac proinde aequalitas laederetur in detrimentum debitoris qui pro debito incerto cogeretur facere solutionem certam. Pariter infirma est ratio eorum qui opinantur pro rata dubii solvendum esse: solutione probabili jam ex parte exstinctum esse debitum, ac proinde aequalitatem justitiae propriam postulare tantum ut compensetur jus probabile quod creditori maneat. Etenim non est apta ad aequalitatem perfecte attingendam via quae necessario ducet ad inaequalitatem. Scilicet, facta hac solutione pro rata dubii, laedetur necessario vel creditor si debitum reapse nondum erat exstinctum, vel debitor si jam exstinctum erat.

Patet eamdem solutionem aptari posse cuilibet restitutioni, etiam ex delicto, quae certe facienda fuit, sed jam probabiliter facta est. Ceterum sat raro hypothesis quam hic facimus verificabitur. Nam plerumque, facta diligenti investigatione, apparebit vel dubium pro solutione facta non esse vere probabile, ac proinde manere solvendi obligationem, vel pro solutione haberi moralem certitudinem ac proinde, omnium consensu, nullam superesse obligationem.

§ 2. SPECIALIA DEBITORIBUS OBAERATIS.

603. Non raro dubia conscientiae oriuntur de officiis et juribus debitorum qui aeri alieno integre exsolvendo impares sunt. Magnum autem discrimen in eorum conditionem inducit cessio bonorum quam sponte vel inviti facere solent. Quare prius declarabimus quo ordine creditoribus suis satisfacere possint vel debeant antequam bonis suis cesserint, deinde eorum jura et officia post factam bonorum cessionem praestituemus.

I. Ordo in solvendis creditoribus practice his regulis satis definiri videtur :

1° Imprimis legitimo domino reddenda esset res aliena quae, ex. gr. per depositum, locationem, etc. apud debitorem in individuo exstaret : nam *clamat ad dominum*. Id tamen probabilius non est applicandum pecuniae quam ex.gr.depositarius cum majore pecuniae propriae massa miscuisset. (Ball. P. partis II. n. 372) Quodsi res empta, pretio nondum soluto, apud debitorem exstet, probabilius (S. Alph. n. 685) non est reddenda venditori : siquidem, dominio jam translato, remanet eidem creditum tantum personale adversus emptorem, sicut et reliquis creditoribus. Attamen non esset inquietandus venditor qui rem suam occulte recuperaret,cum plures graves AA., ut Salmant.(de Restit. c. 1. n. 232), non improbabiliter censeant rem tacite subjici hypothecae erga venditorem pro valore pretii.

2° Nullum praejudicium inferri potest iis creditoribus qui jus *reale* in quaedam debitoris bona acquisiverint : quod praesertim per hypothecam contingit. Non videtur tamen per se ulla specialis obligatio incumbere debitori, qui bonis nondum cesserit, erga creditores lege civili *privilegiatos* : quos enumerat C. C. aa. 2095 seqq. vel lex Belgica diei 16 Dec. 1851 (aa. 12-40), quae huic codicis parti substituta est. Nam legislator hoc privilegium ita constituit ut vim habeat tantum quando creditor aut legitime ipsas res privilegio gravatas apprehendit, aut saltem legitima intimatione significavit se suo privilegio uti velle. Ergo,

ante hujusmodi intimationem, hi debitores non sunt a reliquis discernendi.

3° In solutione facienda creditoribus *jus reale* habentibus circa bona debitoris, certe praeferendi sunt anteriores posterioribus : his enim bona obligantur tantum quatenus eorum valor prioribus obligationibus non erat exhaustus. (1) Nullatenus autem praeferendi sunt reliqui creditores qui tempore sunt priores : nam communia debita non afficiunt bona, sed personam debitoris. Attamen damnari non posset qui prius satisfaceret creditoribus tempore prioribus : nam S. Alph. (n. 690) censet probabilius eos esse reliquis praeferendos, quia " creditor anterior personalis, quamvis directe personam debitoris, indirecte tamen habet obligata etiam ejus bona, in quibus non debet praejudicari a creditore superveniente. „

4° Nihil cogit debitorem ut satisfaciat pauperibus prius quam ditioribus, ut communissime docent Theol. (Carrière, de Contr. n. 392) Attamen quandoque, ex praesumpto ceterorum creditorum consensu, licebit integram solutionem facere iis qui in gravi necessitate versantur, aut in eam, negata solutione, inciderent. Imo S. Alph. (n. 691) universe probabile censet posse praeferri pauperiorem diviti vel non egenti.

5° Nullo jure obligatur debitor ut prius solvat debita ex delicto quam debita ex contractu (S. Alph. n. 688), neque ut praeferat creditores certos pauperibus qui incertis creditoribus quandoque substituuntur (S. Alph. n. 687) : quamvis probabilius censeamus prius restituendum esse creditoribus certis, quorum jus ex lege naturae oritur, dum jus pauperum a solo jure positivo originem trahit. (n. 552)

6° Prius solvenda sunt debita e contractu oneroso quam debita e contractu gratuito. Huic enim semper apponitur tacita conditio : *si absque nimio incommodo id praestare potero*, quae certe in casu non verificatur. (S. Alph. n. 689)

7° Si creditor, qui neque ex tempore, neque ex paupertate, probabilem praelationis rationem habet, solutionem petit, probabile est eam ipsi integre fieri posse (Marres, l.3. n. 310), tum quia ita fert usus in commercio receptus, saltem ubi dies solvendi advenit, tum quia plerumque solutio sine magno incommodo denegari nequiret. (2)

8° Debitor qui, sine justa causa, offerat solutionem integram vel majorem quam ceteri mox habituri sint, peccat contra caritatem ob damnum quod ex illa solutione ceteris oriturum praevidet. Quin et contra

(1) Ex C. C. (a. 2134) vel lege Belgica cit. (a. 81), ordo inter hypothecas computandus est a die qua ab earum Conservatore inscriptae sunt.

(2) Hic nihil dicitur de petitione juridica, de qua loquuntur antiquiores AA. Nulla enim efficacia eidem, in Jure nostro, agnoscitur.

justitiam probabilius peccat, ut sentiunt plerique (Bus. ap. S. Alph. n. 692), quia laedit jus reliquis creditoribus competens ut sibi *pro rata* satisfiat. Attamen non improbabilis videtur sententia contraria. Nam si licet integre satisfacere petenti, non apparet quare injustus sit qui creditorem amice moneat ut solutionem postulet vel etiam non petenti solvat : siquidem vel ante vel postquam soluta acceperit, poterit facillime petitionem praemittere. (Ball. P. n. 380; Lehmk. I. n. 1027) Plerique autem opinantium debitorem, qui solutionem offerat, peccare contra justitiam, existimant creditori fas esse ut solutum retineat, quia suum recipit, neque habet obligationem, quae soli debitori incumbit, invigilandi ut omnibus creditoribus pro rata satisfiat. (D'Annib. l. c.)

9° Saepe solutiones factae a debitoribus, qui solvendo impares erant, a judice irritantur. (Cod. Commerc. aa. 445 seqq.; C. C. a. 1167) Hac rescissione facta, creditores in conscientia tenentur ad reddendum quod acceperunt : applicantur enim leges justae et secundum quas tacite ineuntur contractus e quibus debita orta sint.

II. 604. Cessio bonorum in eo sita est quod debitor, omnibus debitis solvendis impar, bona sua omnia creditoribus tradit. (C. C. a. 1265) Eadem vel *judiciaria* vel *voluntaria* nuncupatur, prout a judice invitis creditoribus imponitur vel sponte a creditoribus acceptatur.

Jam hodie, in Belgio, nullus locus est cessioni judiciariae, quam legislator Gallicus (a. 1268) infelici debitori concesserat ne in carcerem truderetur ; lege enim 27 Julii 1871 cautum est ne haec poena irrogetur ei qui, bona fide, debita vires excedentia contraxerit. Cessio autem voluntaria nullos alios effectus gignit quam quos continent stipulationes contractus inter ambas partes initi. (a. 1267) Hac peracta, omnino etiam in conscientia tenendus est ordo solutionis inter creditores a lege statutus, vid. ut primum privilegiatis, deinde hypothecariis creditoribus satisfiat ; reliqua vero bona inter ceteros creditores, vid. communes seu chirographarios, pro rata dividantur.

QUAER. I. Num cessio bonorum, sub quocumque nomine fiat, debitorem a reliqua parte debitorum solvenda, in foro conscientiae, liberet.

RESP. Nullus est ambigendi locus quando creditores in contractu diserte addunt debitorem vel liberum fore vel manere obligatum : contractus enim servandus est.

Quodsi nihil exprimitur, certe manet obligatio quando lex ipsa eam manere diserte edicit, ut fit in lege Belgica 29 Jun. 1887 (a. 25) pro concordatis quae mercatores solvendo impares cum creditoribus ineunt ad praeveniendam decoctionem (faillite).

Seclusa expressa stipulatione vel legis determinatione, juxta communem DD. sententiam, suspenditur tantum, sed minime exstinguitur obligatio solvendi reliqua. (S. Alph. n. 699) Attamen sicubi communis persuasio invalesceret, denegata propter cessionem bonorum nova actione judiciaria, etiam desinere omnem obligationem in conscientia, id practice admitti posset. Nam, cum creditoribus singulis fas sit expressam apponere conditionem ne cessio valeat ad reliqua debita exstinguenda, ipsi sibi imputare deberent quod, vigente tali persuasione, non melius sibi consuluissent. Praeterea, ut scite advertit Lehmk. (I. n. 1035), homines negotiationi dediti, inter quos praecipue talis persuasio facilius enascitur, saepe pecuniam mutuam accipiunt cum usura tanta ut haec justa non esset nisi mutuantes in antecessum consentirent ad jacturam sortis faciendam, si forte negotia infeliciter mercatoribus cesserint. Numquam tamen a restitutione integra excusari possunt qui mala fide pecuniam aliorum, qui rei sint inconscii, maximis periculis objiciunt, parati, post cessionem bonorum, fortunam iterum experiri : hi enim injustum damnum scienter inferunt. Cfr. Crolly, de Just. et J. t. 3. n. 1232 ; Aertnys, t. I. de Praec. Dec. n. 365.

605. QUAER. II. Quid sibi retinere possint qui bonis cedunt vel in statum decoctionis similemve cadunt.

RESP. Principium generale est : eos posse servare ea quae necessaria sunt ad *parce* vivendum juxta conditionem suam : nam licet restitutionem differre ne quis a statu suo decidat. (Lugo, disp. 21. n. 41 seq.) Ipsi autem creditores quandoque censeri possunt consentire ut aliquid amplius retineatur si ita, ope commercii vel laboris, major sit spes fore ut debitor postea integre illis satisfacere queat. Insuper possent quandoque cedentes bonis quaedam occultare quae ipsi in magno pretio habeant, puta ob memoriam parentum, aliis autem minus pretiosa sint, cum spe fundata pretii postea creditoribus refundendi. (Waffelaert, I. n. 522)

Attamen, quotiescumque res auctoritate publica componuntur, hodie relinquuntur debitoribus bona quae ipsis ad sustentationem stricte necessaria sunt. Ideo cavendum est ne, praeter ista, alia retineant, saltem ubi bona relicta reapse sufficiunt ad *parcam* sustentationem, juxta principium generale supra positum.

SECTIO II. — DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

CAPUT I.

DE PROMISSIONE.

606. I. Promissio simplex, seu non mutua, est deliberata et spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona ac possibili. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 18. n. 1)

Imprimis discernenda est a *proposito*. Hoc enim, etiam exterius expressum, est solum praesens voluntas aliquid postea faciendi, ita ut proponens minime intendat se nova aliqua obligatione ligare; promittens vero necessario intendit novam obligationem assumere, ita ut promissionis violatio alicui virtuti, puta justitiae vel fidelitati, adversetur. Hinc nullum omnino jus datur, ex. gr. ancillae cui domina manifestavit suam intentionem ei legatum aliquod relinquendi, si mors inopinata impedivit ne hoc propositum exsecutioni daretur.

II. De *deliberatione*, quae ad validam promissionem requiratur et sufficiat, haec notasse juvabit:

1° Promissio mere externa, sine animo se obligandi, proprie loquendo, non foret promissio: nihilominus, si verba exterius prolata talia sunt ut, in iis adjunctis, non solum propositum et intentionem actualem enuntient, sed veram promissionem significent, exsurgit obligatio ex fidelitate ad rem faciendam. Nam virtus fidelitatis postulat ut conformentur facta cum verbis praeteritis. Sicut enim tolleretur magna ex parte commercium humanum, si homo licite posset exterius affirmare contrarium suae menti, sic etiam tolleretur magna ex parte si homines possent contra fidem exterius datam pro libito operari. (Lugo, disp. 23. n. 11 seqq.)

2° Ut promissio obliget, etiam in materia levi, requiritur advertentia plena, quae ad mortaliter peccandum sufficiat. Ratio est, quod quae sub pleno hominis dominio sunt, sine pleno consensu amitti nequeunt. Haec autem ratio de quacumque re, etiam levi, procedit. (Lugo, ib. n. 21 seq.) Hinc vi obligandi carent non tantum promissiones quae fiunt ab ebrio, amente etc., sed illae etiam quae a semi-ebrio, semi-dormiente etc. eliciuntur.

III. Promissio *non spontanea*, sed metu vel dolo extorta, est saltem rescindibilis ad nutum metum passi vel decepti. Neque valet ulla pro-

missio antequam promissario intimata et ab eo acceptata fuerit; numquam vero valere potest promissio de re mala vel impossibili. Constat e dictis de contractibus in genere n. 585 seqq.

607. QUAER. I. Quanta obligatio e simplici promissione oriatur.

RESP. Quamvis AA. de hac re discrepent, ita ut triplicem sententiam probabilem ponat S. Alph. (n. 720), nihilominus practice satis convenit a voluntate promittentis pendere utrum ex justitia an ex fidelitate se obligare velit; quodsi voluerit ex fidelitate tantum se obligare, promissio, etiam in materia magni momenti, per se sub levi obligat; quodsi etiam ex justitia se obligare intenderit, promissionis violatio ex genere suo gravis est. Attamen ut peccatum mortale sit, censet S. Alph. (l. c.) requiri materiam quadruplo majorem illa quae peccatum grave furti relate ad promissarium efficeret.

Ratio autem ob quam,praeter obligationem fidelitatis, de qua nemo dubitat, assumi possit et obligatio ex justitia, haec afferri potest (Lugo, disp. 23. n. 90) : quia, sicut potest per donationem transferri jus in re, sic etiam per promissionem transferri potest jus ad eamdem rem. Quidquid enim propter pretium dari potest alteri, potest quoque illi gratis conferri. Hoc autem si contingit, jam non habetur obligatio solius fidelitatis quae nullum jus promissario confert et obligat tantum ex eo, quod quilibet debet sua facta conformare promissis, sed vera justitiae obligatio, propter jus alteri quaesitum, exsurgit. Advertunt quidam (Marres, l. 4. n. 6) in hoc posteriore casu jam non haberi simplicem promissionem, sed donationem imperfectam : haec tamen quaestio de nomine est.

Si quis promissionem in re gravi fecit, non attendens utrum se sub gravi an sub levi obligaret, censendus est sub levi tantum teneri : obligatio enim gravis, seu ex justitia, non est adstruenda nisi de intentione a qua pendeat clare constet. Plerumque homines tantam obligationem per promissiones assumere non intendunt, nisi juramentum addant vel publicum instrumentum conficiant. (S. Alph. n. 720)

Per accidens posset quandoque promissio communis obligare sub mortali,ex.gr. ratione gravis damni, quod alias promissarius pateretur ; ut si promisisses ei dare mutuum, et ille tibi confisus aliunde sibi non prospexisset.

608. QUAER. II. Quomodo cesset obligatio e promissione orta.

RESP. Praeter ea quae supra (n. 601) de cessatione obligationis contractuum in genere statuta sunt, haec speciatim notentur :

1° Cessat obligatio, universe loquendo, quoties supervenit notabilis rerum mutatio, quae si praevisa fuisset, non fuisset facta promissio. Cfr. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. Hinc ad dandam pecuniam promissam jam non teneretur qui notabilem fortunarum partem amisisset vel eam dare non posset sine gravi incommodo. Promissio enim gratuita semper intelligitur facta sub conditione quod sine tali incommodo impleri posset.

2° Cessat quoque obligatio si res promissa, sine culpa promissoris, facta est impossibilis, illicita vel promissario inutilis.

3° Cessat morte promittentis, si ex intentione promittentis vel rei natura patet eum voluisse tantum seipsum, non autem haeredes suos obligare. In ceteris casibus, transit ad haeredes obligatio ex justitia vel ex fidelitate, prout a promittente suscepta est, perinde ac de votis realibus dictum est. Qui enim se obligat ad rem praestandam, res quoque suas obligat : hae autem transeunt ad haeredes cum omnibus oneribus quae ipsis a defuncto imposita sunt. (Lugo, disp. 23. n. 98)

4° Cessat plerumque morte promissarii, quia promissiones in ejus gratiam tantum fieri solent. Excipe si quando etiam haeredibus favere promittens intenderit.

CAPUT II.

DE DONATIONE.

609. I. Donatio est contractus gratuitus quo, absque obligatione vel debito justitiae, dominium rei propriae in alterum transfertur. His ultimis verbis patet quomodo differat a promissione, quae summum confert jus ad rem, minime vero jus in re.

Dividi solet donatio ab antiquis DD. in donationem inter vivos et donationem mortis causa. Haec, utpote magnam affinitatem cum testamentis habens, breviter explicabitur n. 672, ubi de ultimis voluntatibus. Hic igitur agemus tantum de donatione inter vivos, quam solam, praeter testamentum, Jus nostrum agnoscit. (C. C. a. 893)

610. II. Donatio inter vivos est contractus quo donator actu et irrevocabiliter transfert dominium rei suae in donatarium acceptantem. (C. C. a. 894) De hac, pro conscientiae foro, advertenda sunt praesertim sequentia :

1° Donatio est essentialiter gratuita : quod tamen non impedit quominus fiat ad remuneranda donatarii merita vel quominus obligationes, rei donatae minime aequivalentes, eidem imponantur.

2° Actualis translatio quam C. C. requirit, non ita est intelligenda ac si statim res donatario tradenda foret. Lex enim unice intendit significare jus quaesitum esse donatario, dum per testamentum jus nullum legatario acquiritur.

3° Irrevocabilis esse debet translatio eo sensu quod revocatio nullatenus a donantis voluntate pendeat; valent tamen, etiam in foro civili, donationes sub conditione suspensiva vel resolutiva.

4° Donatio est contractus *solemnis* ita ut ad ejus valorem, saltem in foro civili, prorsus necessariae sint formalitates quas explicat C. C. a. 931 seqq. In foro autem conscientiae, non est certo invalida donatio nisi quae careat aliqua conditione jure naturae requisita, ex. gr. facta ab ebrio vel amente. Ubi adsunt omnia jure naturali requisita, lex autem civilis donatorem incapacem declarat, ut fit in Jure nostro de minoribus, uxoribus, interdictis, et, sub certis conditionibus, etiam de negotiatoribus qui solvendo impares sint, probabilius in foro conscientiae valet contractus donec rescindatur.

5° Quando donator donatione sua laedit jus alterius cui res debetur, puta debitor qui debitis suis solvendis impar est et praevidet se aliunde non esse probabiliter acquisiturum unde solvat, valida quidem est donatio, sed donator injuriam facit creditoribus qui jus strictum habent ut sibi e bonis debitoris satisfiat. Ejusdem injustitiae particeps est donatarius qui, conscius talis impotentiae debitoris, hunc nihilominus inducit ad donationem faciendam : ideo rem restituere debet. (Marres, l. 4. n. 39 seqq.) Neque aliter dicendum videtur si donatarius non induxit quidem ad donandum, sed tamen conscius illius impotentiae donum accepit : nam cooperatur actioni in se injustae, dum acceptatione sua contractum donationis injustum perficit. (Lugo, disp. 20. n. 116; S. Alph. n. 722) Nihilominus, in hoc ultimo casu, non videtur omnis probabilitas, saltem extrinseca, deneganda opinioni Lessii (l. 2. c. 20. n. 168) et Molina (disp. 327), qui censent donum licite accipi et retineri posse, quia donatarius non est causa quod debitor velit donare, sed, supposita hac voluntate, utitur jure suo; neque justitia aut caritas eum obligant ut commodum proprium omittat, licet inde per accidens alteri damnum oriatur. Tandem, si quis donationem accepit, ignorans impotentiam donatoris ad debita sua solvenda, nihil restituendum esse opinamur : quia, propter bonam fidem, accipit sine injustitia quod alter valide donat.

6° Donationis acceptandae per se vel per alios qui eorum curam gerunt, *capaces* sunt omnes homines qui saltem concepti sint.

Attamen, e jure positivo, plures, saltem in determinatis adjunctis, *incapaces* declarantur. Sic liberi adulterini vel incestuosi pensionem tantum alimentariam recipere possunt (C. C. a. 762) ; liberi naturales nihil possunt accipere praeter partem quam lex ipsis tribuit. (a. 908)

Regulariter medici, pharmacopolae et ministri cultus, qui curam impenderunt aegroto, durante ultimo morbo, nihil ab eo per donationem inter vivos vel testamentum accipere possunt. Nomine ministri cultus designari solum confessarium, docent Jurisperiti. (a. 909) Insuper lex civilis varios limites apponit donationibus quas sibi invicem faciant conjuges (aa. 1091-1100) easque semper revocabiles esse edicit. (a. 1096) Attamen donationes his legibus contrariae, dummodo adsint conditiones quas lex naturalis postulat, haberi possunt ut validae donec a judice infirmentur. Imo tali sententia non irritaretur donatio ad causas pias, quae ex. gr. confessario a moribundo committeretur : siquidem hujusmodi donatio unice Jure Canonico regitur. Sed, ne oriantur gravia scandala, saepe abstinere debebit sacerdos ab accipiendis donationibus rerum sive mobilium, sive immobilium quae, pro conditione donatoris vel testatoris, magni sint valoris. Ideo sapienter suadet Gousset (Th. Mor. I. n. 791) ne talia a poenitentibus suis sacerdos acceptet, inconsulto episcopo : non enim expediunt quaecumque licent.

Tandem lex civilis irritas declarat donationes quae fiant personis moralibus, puta hospitiis, communitatibus, etc. nisi specialem approbationem a Deputatione Consilii Provincialis vel a Gubernio obtinuerint (C. C. a. 910 ; leges Belgicae 30 Martii 1836, etc.) : quam approbationem numquam consequerentur pleraque Instituta religiosa, cum a Gubernio non agnoscantur. Hae civiles dispositiones aperte adversantur juri independenti possidendi et acquirendi bona temporalia, quod Ecclesia a Christo accepit et inferioribus societatibus, ex. gr. Ordini religioso, vel Instituto pio, a se probatis communicat. Igitur tales donationes in foro conscientiae validae manent, dummodo adsint conditiones jure naturali requisitae.

Quatenus autem valeant in utroque foro donationes inofficiosae, seu quibus laeditur pars legitima haeredibus necessariis servanda, dicetur ubi de ultimis voluntatibus agetur (n. 677) : nam lex in eodem gradu ponit hujusmodi donationes, sive inter vivos, sive per testamentum fiant.

7° Juxta principia supra posita (n. 587), donatio incipit valere, de jure naturali, a momento quo acceptata est, etiamsi acceptatio nullo signo exteriore manifestata est. Jure autem nostro (C. C. a. 932), donatio solemnis non valet antequam acceptatio actu pariter authentico consignata fuerit. Insuper donator potest velle ut ipse tantum post notitiam acceptationis obligetur : quod non raro contingit, quando postulat ut donatarius sibi rescribat num rem donatam gratam habeat.

8° Utrimque probabiliter controvertitur num, post mortem donantis, possit donatio valide acceptari, et num, mortuo donatario ante acceptationem, illius haeres donationem acceptare possit. (S. Alph. n. 729 seqq.) Imprimis ergo exploretur num donator voluntatem suam circa hanc rem

aliqua ratione manifestaverit : omnia enim ab ejus nutu pendent. Si de ejus voluntate non constat, nihil erit reddendum vel dandum.

9° Donationes solemnes in Jure nostro (C. C. a. 953) revocari nequeunt nisi ob tres causas : eo quod conditiones sub quibus donatum est, non fuerint impletae a donatario ; — eo quod donatarius se ingratum exhibuerit erga donatorem, ejus vitae attentando, ei gravem injuriam faciendo vel denegando alimenta (a. 955) ; — eo quod donatori nati sint liberi. Ob duas priores causas, donationes fiunt rescindibiles ; ob tertiam, ipso jure nullae.

CAPUT III.

DE COMMODATO.

611. I. Commodatum (prêt à usage) est contractus quo unus alteri rem tradit cum facultate ea utendi et obligatione eamdem post usum reddendi. (C. C. a. 1875) Hic contractus est essentialiter gratuitus : si enim pro usu rei daretur pecunia, fieret *locatio;* si quid aliud, *contractus innominatus.*

Commodari possunt, quaecumque dominii objectum esse possunt, neque usu consumuntur ; imo nec repugnat commodari res fungibiles, ex. gr. vinum, ad ostentationem. Id autem quod commodatur manet in dominio commodantis. (aa. 1877, 1878)

612. II. Obligationes commodatarii hac ratione definiuntur in lege civili :

1° Commodatarius rem commodatam tamquam bonus paterfamilias custodire et servare debet. (a. 1880)

2° Rem commodatam reddere tenetur, quando elapsum erit tempus ad quod commodata est : hoc autem tempus determinatur vel expressa partium conventione, vel natura usus ad quem res commodata est. (a. 1888)

3° Si res commodata fortuito perit vel deterior fit, per se hoc damnum commodanti ferendum est : siquidem ipse dominus manet. Nihilominus si res fortuito perit, quando commodatarius eam ad alium usum adhibet quam ad eum qui e contractu licebat, vel eamdem diutius quam poterat detinuit, detrimentum ipse ferre debet. (a. 1881) Haec obligatio, in foro conscientiae, si abfuit culpa theologica, probabilius non urget ante judicis sententiam (Marres, l. 4. n. 110 ; Waffel. t. I. n. 450) : non constat enim legem voluisse aliquid amplius concedere quam judicialem actio-

nem ad damni compensationem. Ceterae vero obligationes directe conscientiam ligant.

4° Re commodata uti nequit nisi ad usum ex ejus natura vel conventione determinatum ; quodsi alia ratione rem adhibuerit et commodanti detrimentum intulerit, saltem post judicis sententiam, damnum reparare debet. (a. 1880)

5° Expensae ordinariae, ex. gr. alimenta equo commodato praestanda, solvendae sunt a commodatario ; extraordinariae autem, quae forte ab ipso faciendae fuerint ad rem conservandam, a commodante restituendae sunt, nisi forte commodatarius omisisset commodantis consensum, in re non urgente, petere, isque rationabiliter invitus fuisset quominus tales expensae fierent, quae ex. gr. vetustae valorem aequarent. (a. 1890)

613. III. Obligationes commodantis facile e praedictis derivantur. Tenetur praecipue :

1° Rem commodatam non repetere antequam tempus ad quod concessa est elapsum sit. Eam tamen antea repetere poterit si ipsi orta fuerit necessitas urgens, neque praevisa : nam commodando noluit se obligare ad se re sua in talibus adjunctis spoliandum. (a. 1888 seq.)

2° Tenetur, saltem ex caritate, monere commodatarium de iis defectibus rei commodatae qui ipsi nocumentum afferre possent. Quodsi hoc nocumentum reapse secutum sit, non tenetur ad illud compensandum, seclusa culpa theologica, ante judicis sententiam. (1)

CAPUT IV.

DE MUTUO.

§ 1. DE MUTUO SIMPLICI.

614. I. Mutuum simplex (prêt de consommation ou simple prêt) est contractus quo una pars alteri tradit rem usu comsumptibilem, cum onere ut sibi ab hac altera parte res ejusdem speciei et qualitatis red-

(1) Multi, ex Jure Romano, commemorant *Precarium*, de quo tacet Jus nostrum. Contractus iste a commodato in hoc tantum differt quod semper licet ei qui precarium rei usum concedit, eamdem repetere, quando voluerit. Hinc easdem inducit obligationes, praeter eas quae a conventione de re ad certum tempus commodatario relinquenda oriuntur.

datur. (C. C. a. 1892) Quae definitio ut rite intelligatur, juvat notare sequentia :

1° Contractus mutui non solo consensu, sed traditione ipsius rei perficitur : non est ergo confundendum mutuum cum promissione mutuandi.

2° Per rem *usu consumptibilem* non intelligitur unice res quae usu physice destruitur, ex. gr. vinum, panis, sed etiam res quae physice post usum manet, nequit autem numerice eadem reddi, ex. gr. quia alienatur. Ita bibliopola posset mutuari exemplaria libri cum obligatione postea totidem ejusdem operis exemplaria reddendi, coementarius lapides quos in aedificanda domo adhibeat, quivis pecuniam qua debita solvat, etc.

3° Res mutuo data transit in dominium mutuatarii ideoque ipsi perit, quacumque ratione pereat. (a. 1893)

II. Obligationes mutuatoris facile e praedictis intelliguntur. Nempe :

1° Tenetur ad monendum mutuatarium de vitio rei traditae quod illi nocivum esse possit, eadem ratione ac dictum est de commodante (n. 613), ex. gr. si mutuum dat vinum quod brevi acescit. Quodsi mala fide omittit monere, tenetur in conscientia ad damnum ferendum vel reparandum ; ad quod etiam per judicis sententiam cogi potest. (a. 1898)

2° Si contractum mutui simplicis fecit, nulla addita stipulatione de fenore, nihil exigere potest praeter compensationem rei mutuo datae.

3° Nequit res mutuo datas repetere ante terminum de quo convenit. (a. 1899) Quodsi de nullo termino expresse conventum est, duratio mutui e fine per mutuatarium intento et manifestato prudenter definienda est. Attamen rem suam mutuator repetere posset ante hunc terminum, si hunc absque gravi incommodo, quod ex improviso oriatur, exspectare nequiret. Cfr. n. 623.

615. III. Obligationes mutuatarii sunt praesertim sequentes :

1° Res mutuo acceptas in eadem qualitate et quantitate ac termino praefixo reddere tenetur ; quodsi fieri non posset, deberet solvere valorem quem haberent tempore et loco quo restituendae essent. (a. 1902 seq.)

2° Si mutuam accepit pecuniae summam, nihil aliud reddere tenetur quam summam numericam in contractu scriptam ; quodsi moneta aucta vel minuta est ante solutionis terminum, debitor reddere debet summam numericam mutuo datam nec quidquam aliud, nummis qui tempore solutionis recipiantur. (a. 1895)

3° Si res earumve valorem tempore statuto non reddit, tenetur ad

solvendum interesse (legale) a die juridicae petitionis. (a. 1904) Quae dispositio, utpote justam poenam irrogans, etiam ante judicis sententiam, in conscientia obligat, quia in singulis casibus e tacito contractu nascitur. (Marres, l. 4. n. 114)

N. B. De obligatione mutuum dandi, quam Christus commemorat (Matth. V, 42) et Bened. XIV in Encycl. *Vix pervenit* (1 Nov. 1745) multis in casibus vigere affirmat, non est quod hic speciatim dicatur. Oritur enim e praecepto caritatis et necessitate temporali proximi, ideoque iis subjacet regulis quae de eleemosyna propositae sunt. (n. 218 seqq.) Saepe tamen deficiet obligatio mutuam dandi notabilem pecuniae summam, eo quod caritas cum gravi incommodo non obligat. Nam crebro erit magnum periculum sortem amittendi: quod, ubi de summa notabili agetur, grave incommodum constituet. Sufficiet tunc necessitatem proximi parva eleemosyna ex parte allevare.

§ 2. DE MUTUO CUM FENORIS STIPULATIONE.

616. Talem stipulationem contractui mutui adjicere permittit Jus nostrum, sive pecunia, sive merces aliaeve res mobiles mutuo dantur. (a. 1905) Atque universe in hodiernis codicibus ejusdem stipulationis liceitas agnoscitur. Ut autem de illius liceitate in foro conscientiae judicium ferri possit. sequentes regulas statuemus, inhaerentes praesertim conclusionibus practicis quas S. C. de P. F., e pluribus S. Sedis documentis collectas, subjecit Instructioni quam anno 1873 de hoc difficili argumento edidit. (Coll. P. F. n. 2140)

I. Nullum lucrum percipi potest **vi mutui**, seu immediate et praecise ratione ipsius. Ita docuit Bened. XIV Litt. Encycl. *Vix pervenit:* " Peccati genus illud quod usura vocatur quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat quantum receptum est, plus sibi reddi velit quam est receptum. „ Neque, ut ibidem docet laudatus Pontifex, lucrum vi mutui petitum culpa vacat eo quod moderatum est, vel mutuatarius dives aut lucrum e summa mutuo accepta percepturus est: nam semper violatur lex mutui, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur. Igitur lucrum sic perceptum, vi ipsius legis naturalis, restitutioni obnoxium est.

II. Aliquid supra sortem percipere licet, quando mutuo accedit aliquis **titulus extrinsecus** seu qui ipsius mutui naturae non sit universim conjunctus et innatus. Tales sunt praesertim sequentes tituli:

1° *Lucrum cessans*, seu lucrum quod mutuator potuisset percipere servando rem quam mutuo dat.

2° *Damnum emergens*, seu damnum quod mutuans occasione mutui passurus est.

3° *Periculum amittendae sortis.*

4° *Insoliti labores* assumendi ad sortis recuperationem.

5° *Poena conventionalis*, seu pactum quo mutuatarius se obligat ad auctarium solvendum si sortem, tempore praestituto, e culpa sua saltem juridica non reddiderit. (S. Alph. l. 4. n. 766)

Ratio ob quam isti tituli justum efficiunt moderatum auctarium, haec est: quod, in quatuor primis casibus, mutuator, in favorem mutuatarii, se lucro faciendo privat vel alicujus damni periculo exponit, aut labores exsequitur: quae omnia sunt pretio aestimabilia; in quinto autem, justa negligentiae poena a mutuatario luitur.

617. III. Practice hodie licet fidelibus, etiamsi praefati tituli omnes deficere videantur, percipere auctarium quod **lege civili** statuitur (intérêt légal).

Disputatur tamen inter AA. de scientifica explicatione hujus regulae practicae quam plura documenta S. Sedis extra dubium ponunt. Cfr. Instr. cit. conclusionem 3.

Quidam, ut Gury (I. n. 863 seqq), opinantur legem civilem esse reapse titulum a reliquis discrepantem. Eorum sententia, legislator civilis, vi alti dominii quod ipsi in civium bona competit, transfert a mutuatario in mutuatorem dominium auctarii quod statuit. Id autem juste facit in hodiernis adjunctis, eo quod talis translatio, incitans homines ad pecuniam mutuo dandam, magnopere conducit ad progressum commercii et industriae, ac consequenter ad temporalem totius societatis felicitatem.

At communior et probabilior sententia etiam recentiorum, ut Lehmk. (I. n. 1102) et Marres (I 4. n. 131), tenet gratis supponi in principe civili hanc dominii transferendi voluntatem, neque legem illam justam esse nisi quia merito praesumit adesse alios titulos mutuo extrinsecos. Hoc potissimum apparet ubi auctarium lege civili statutum nequaquam determinat quid cives privatis pactis tamquam fenus exigere possint (n. 619), sed tantum ad quosdam casus lege determinatos refertur: tunc enim liquidum est legalem dispositionem frustra invocari ut legitimentur pacta quae nullatenus respicit. Insuper contrariae sententiae fautores videntur augere praeter veritatem altum dominium Status: quod quam angustis limitibus contineatur, dictum est n. 466. Neque controversiam hanc theoreticam S. Sedes dirimere intendit variis responsis quae de titulo legis civilis dedit, ut expresse declaravit 7 Martii 1835 Cardin. Major Poenitentiarius. Cfr. cit. Instr. n. IX et concl. 3.

IV. Etiam quando titulus mutuo extrinsecus adest, peccatur contra caritatem quando fenus exigitur a pauperibus in iis adjunctis in quibus eadem virtus jubet iis gratis mutuari. Ideo declarat Bened. XIV Encycl. *Pervenit* : " Falso sibi quemquam et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac praesto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque, recipere. „

618. V. Qui **fenus immodicum** exigit, contra justitiam commutativam peccat, ideoque ad partem nimiam restituendam obligatur. Quaenam autem usura dicenda sit moderata, quaenam excessiva, universe determinari nequit, " cum hoc dimetiri oporteat in singulis casibus, respectu habito ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum ac temporum. „ (Instr. cit. concl. 5) Ideo S. Poenit. (18 Apr. 1889) episcopum consulentem monuit periculosum esse fructum pecuniae per modum regulae taxare, eumque remisit ad " praxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus. „ (Coll. P. F. n. 2143) Reapse S. Sedes non reprobavit fenus valde magnum quando videbatur titulo, praesertim sortis periculo, respondere. Sic S. C. de P. F. jam anno 1645 (Coll. P. F. n. 2118) respondit non esse inquietandos Christianos Sinenses qui in mutuo recipiebant triginta pro centum, quantitatem nempe legibus patriis taxatam, " dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur. „

619. VI. Ad determinandam **justam auctarii mensuram** juvabunt sequentes animadversiones :

1° Non licet augere auctarium propter necessitatem quam patitur mutuatarius vel lucrum quod ipse cum pecunia mutuo accepta facturus est : haec enim nihil conferunt ad aequalitatem dati et accepti.

2° Taxa auctarii in ordinariis adjunctis commensuranda est aptitudini pecuniae ad fructus gignendos in his determinatis locis et temporibus. Haec mensura facile dignoscitur e praxi recepta, praesertim inter argentarios. Hanc taxam hodie exigere potest etiam is qui pecuniam vel merces servasset prorsus otiosas. Nam cum, saltem in hodierna societate humana, communiter unicuique facultas detur collocandi sortem in negotiatione vel industria lucrosa, praestatio pecuniae universe in seipsa continet titulum lucri cessantis, qui non tollitur eo quod alicui in particulari nullum lucrum cesset : valor enim rerum e *communiter* contingentibus desumitur.

3° Augeri potest taxa praedicta propter titulos qui *in casu determinato* adsint, puta ob lucrum solito majus quod commodator e pecunia sua percipiebat, ob magnum sortis amittendae periculum, etc.

4° In nostra regione, sicut et in pluribus aliis, libera contrahentibus fit facultas taxam auctarii determinandi. (Legis Belgicae 5 Maii 1865, a. 1) Usurae autem scelus punitur tantum si usurarius habitualiter fenus poposcit supra taxam legalem et debilitate vel passionibus mutuatarii abusus est. (Cod. Poen. a. 494) Auctarium legale, quod hodie in Belgio est 4 1/2 % in materia civili et 5 1/2 % in materia commercii, eo tantum fine statuitur ut determinetur quid solvendum sit ubi lex ipsa aliquod fenus, de quo non convenerat, pendi jubet, ex. gr. a debitore moroso. Insuper, pro foro conscientiae, praebet normam cuique tutam. Nullatenus tamen prohibet quominus (si id justum fuerit) de majore taxa solvenda privati paciscantur. Sed generatim, ubi magna securitas pro sorte recuperanda habetur, jam multo minus auctarium (3 vel 2 1/2 %) poscunt mutuam pecuniam dantes.

In regionibus in quibus lex civilis statuit certam taxam mutui quam transgredi non liceat, haec norma per se in foro conscientiae obligat : nam Status, sicut ob bonum commune rerum vendendarum pretium determinare, ita et hujus quasi-locationis pecuniae taxam statuere potest. Ideo qui eam transgrederetur per se ad restitutionem teneretur. Excipe tamen si quando extraordinariae rationes lucri cessantis, periculi sortis, etc. accederent : nam lex ordinarium valorem praestationis pecuniae tantum considerat. (Lehmk. I. n. 1107)

5° Interdum mutuum sumitur, ex. gr. a municipio vel societate, ea conditione ut debitor accipiat minorem pecuniae summam quam postea creditori reddere debeat, et insuper jam de integra summa postea reddenda fenus solvat, ut puta si debitor accipiat 80 pro 100 postea reddendis et tamen de hisce 100 jam fenus solvat. Talis contractus justus est si utrumque emolumentum simul conjunctum non superat vulgare fenoris pretium, vel si excessus honestatur titulo quodam extraordinario, ex. gr. peculiari sortis periculo; secus fenus, quoad excessum, injustum erit. (Marres, l. 4. n. 135)

6° *Anatocismus*, quo fenus debitum et nondum solutum novum auctarium producit (intérêts des intérêts), per se nihil illiciti continet : nam fenus nondum solutum tamquam novam sortem constituit, quae auctarii percipiendi jus, servatis justitiae regulis, tribuit. Quare, spectato jure naturae, nihil prohibet quominus de hac re conventio fiat. Verum attendenda erit lex civilis, quae poscit ut auctarium quod ita in novam sortem constituitur, saltem pro integro anno sit debitum. Excipiuntur reditus jam debiti, puta pretium locationis praediorum vel domorum aut praestationes census perpetui vel vitalitii ; hi aucta-

rium ferunt a die petitionis judiciariae vel conventionis. (C. C. a. 1154 seq.) Hae leges in foro conscientiae obligant: necessariae enim sunt ad impediendos funestos effectus anatocismi, quo facile supra vires gravantur debitores, si post breve tempus auctarium debitum in novam sortem constituitur. Non sunt tamen applicandae eaedem leges argentariis qui solent crediti et debiti rationem (compte-courant) ita conficere ut post tertium vel sextum quemque mensem fenus utrimque debitum in sortem, auctarii productivam, computetur, et praeterea sorti addunt certam compensationem (commission) sibi debitam ob onus semper praesto habendi pecuniam. Etenim hic non habetur verus mutui contractus, qualem spectant leges praefatae, sed plane diversus, quo uterque contrahens sua vice creditor aut debitor fieri potest, ac proinde neuter anatocismi stipulatione nimis gravari potest, dum compensatio ab argentario petita modum non excedat. (Marres, l. 4. n. 137 seq.)

Negari nequit nostris diebus saepe iniri contractus mutui cum stipulatione fenoris immoderati, seu usurarios, et, saltem in pluribus regionibus, magna ex iis fluere mala. Nam Leo PP. XIII in Encycl. *Rerum novarum* haec scribit: " Malum auxit usura vorax, quae, non semel Ecclesiae judicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem. „

Quomodo hodie sub variis speciebus lateat usura in contractibus quibus pecunia vel alia res fungibilis mutuo datur cum lucro injusto, exponunt Oeconomistae, ex. gr. Antoine, Cours d'Économie sociale, p. 545 seq.

620. SCHOLION. Plurimum discrepant AA. in explicanda mutatione, saltem apparenti, quae in Ecclesiae disciplina de mutuo cum fenore cernitur, quippe quod per multa saecula universim damnatum fuisse, nunc autem universim permitti videatur. Quam ob causam non leviter ab adversariis impetita est Ecclesia catholica, quasi in ipsa doctrina morali mutationem subiisset et, hodierno progressu illustrata, antiqua praejudicia abjecisset. De hac scientifica controversia pauca addemus, quae ostendant Ecclesiam sapienter immutabilium principiorum applicationem variis temporum adjunctis accommodasse.

Nempe etiamnunc docet Ecclesia, sicut antea docuit, nihil a mutuatore, vi mutui, percipi posse, neque desiit reprobare auctaria immoderata vel imposita iis quibus caritas mutuum gratis dare praecipiat. Nihilominus hodie universim cunctis fidelibus fenus moderatum stipulari permittit, eo quod hodie *universim* cum mutuo connectuntur illi tituli qui antiquitus eidem tantum *per accidens* et propter *speciales* mutuatoris conditiones adnectebantur. Praesertim hodie communiter in omni mutuo habetur titulus lucri cessantis. Nam propter relationes

frequentissimas et facillimas inter omnes orbis partes, propter ingentem industriae et commercii extensionem, datur unicuique, etiam modicam summam habenti, facultas eam collocandi in commercio vel industria lucrosa. Quare si eam mutuam dat, privat se re quae ipsi cum morali certitudine facile lucrum pariat: quae privatio pretio aestimabilis est et compensationem meretur. Ideo, sicut antiqui merito asserebant pecuniam esse sterilem, ita nostris diebus eam virtualiter fecundam dicere possumus, non quod immediate, sicut labor humanus, divitias novas procreat, sed quia velut instrumentum est quo laborantes iis producendis apti fiant. Adde: in plurimis pecuniae praestationibus reperiri sortis periculum, propter summam rerum tum privatarum, tum etiam publicarum instabilitatem. Mirum quoque non est ecclesiastica documenta antiquiora generatim de mutuo cum fenore tamquam de exitiali abusu loqui solere: nam plerumque mutua pecunia accipiebatur tantum in casibus necessitatis, non ad negotiationem promovendam, sed ad inopiam sublevandam; insuper feneratores publici passim poscebant auctarium prorsus excessivum. Sic, ineunte saec. XVII°, testatur Lessius (Append. de Monte Pietatis) eos solitos fuisse in Belgio percipere 33 %, nec quidquam amplius facere potuisse Archiducem Albertum ad populum sublevandum quam ut fenus ad 22 % reduceret. Hodie vero communiter pecunia mutua accipitur ab iis qui minime in necessitate versantur, sed ea uti volunt ad negotiationes promovendas, ad vias ferreas vel alia quae communi utilitati prosint, construenda, etc. Neque solet exigi auctarium ingens et mutuatario exitiosum, ubi pecunia datur societatibus, municipiis, statibus, etc. sed valde moderatum, puta, ubi deest speciale sortis periculum, 3 %. Ideo consuetudo passim recepta pecuniam ad fenus collocandi et, quae inde nascitur, facultas congregandi magnas summas multis negotiis necessarias, per se ad temporalem civium prosperitatem augendam tendunt. (1)

Solet tamen S. Sedes in responsis suis de mutuo cum fenore, etiam nuperis, ex. gr. S. Inqu. 4 Jul. 1883 (Coll. P. F. n. 2141), dum edicit non esse inquietandos qui modicum fenus percipiant, addere: " Dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis. „ Haec clausula nullam specialem interrogandi monendive fideles obligationem imponit; indicat tantum praxim hodiernam Ecclesiae non esse ita firmam ut, si forte societatis

(1) Jam antiquitus, ubi commercium florebat, eadem consuetudo dandi pecuniam mutuam, cum auctario moderato, sponte enata erat. Ita testatur Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 20. n. 124) solitos esse mercatores Antverpienses in Bursa sua statuere pretium carentiae pecuniae ad annum inter 6 % ad 12 % per annum. Hanc eorum consuetudinem ipse quidem reprobat, sed valde modeste proferens opinionem suam et supponens (quod negari potuisset) istud auctarium non fuisse petitum ad compensandum lucrum cessans.

humanae conditiones mutarentur, S. Sedes non rediret ad pristinam severitatem : cujus rei ratio in explicatione a nobis data facile intelligitur.

Fatendum quoque est plures abusus et pericula reperiri in societate humana quae legibus oeconomicis hodiernis regitur et saepe capitalistica audit. Cfr. Antoine, op. cit. p. 380 seqq. Verum ista mala non videntur orta ex ipsa facilitate dandi et accipiendi pecuniam cum moderato fenore, sed ex abusibus quos homines cupidi invexere, qualia sunt injusta monopolia et inde orta laborantium servitus, speculationes bursae, negotia non veris sed fictis capitalibus nitentia, ideoque crebro latam ruinam trahentia, etc, Haec et alia mala morum emendatione legumque sanctionibus tolli vel saltem magnopere minui possent, illaesa manente cooperatione capitalis ad aliorum labores juvandos. Neque sapientis foret aut oblivisci maxima beneficia quae ex humana industria, qualis hodie exercetur, in temporalia commoda plurimorum derivantur, aut sperare tempora a quibus absint abusus magni, quales historia jugiter sub variis formis viguisse testatur, aut regimini quo labor et capitale hodie uniuntur mala imputare quae ex aliis causis manifeste proveniunt, puta alcoolicis excessibus, nimiis tributis vel exercitibus, etc. (1)

Non deerant antiquis temporibus media justum lucrum e pecunia percipiendi, potissimum ope censuum (n. 621) et contractus societatis. (n. 651 seqq.) Injuste igitur Ecclesia a quibusdam incusatur quod progressum temporalem impediverit jubendo ut pecunia otiose servaretur.

§ 3. DE CENSU ET CAMBIO.

621. I. Census antiquis temporibus saepissime usu veniebat, nunc autem jam raro usurpatur eo quod homines plerumque malunt mutuum cum stipulatione fenoris inire, ex quo id licitum esse tum a Jure civili, tum ab Ecclesia declaratum est. Ideo sufficiet brevissime de hoc contractu census agere.

Census paulo aliter a veteribus DD. et a Jure civili hodierno exhibetur.

Juxta Theologos, est jus percipiendae annuae pensionis ex re vel persona alterius. Nulla, ut patet, difficultas moralis reperiri potest in censu quem iidem vocant *reservativum*, et qui in eo consistit quod aliquis rem frugiferam alteri tradit, puta agrum vel domum, sibi vel alii reservans

(1) Alias vias excogitatas ad explicandam apparentem mutationem in doctrina Ecclesiae de mutuo cum fenore, videsis apud Palmieri (nota ad Ball. P. n. 347) vel Antoine (op. cit. p. 538 seq.).

jus singulis annis partem fructuum ejusdem percipiendi. Sed quaedam controversiae agebantur de censu quem *consignativum* vocabant, et qui in eo est quod aliquis, soluto pretio, emit jus percipiendae certae partis fructuum seu pensionis annuae ex re quae erat et est alterius, vel ex alienis laboribus. Nam talis emptio, praesertim si emptor seu creditor habet facultatem repetendi pretium, habet aliquam similitudinem cum mutuo cui fenoris stipulatio accedat. Discrimina tamen assignabant Theologi, etiam quando census est redimibilis ad arbitrium emptoris. Nam, dum in mutuo nihil emitur, in censu emitur jus percipiendi fructus : dum in mutuo principalis obligatio est ad reddendam sortem, accessoria ad usuras, in censu principalis est obligatio ad pensionem solvendam, nulla autem per se ad sortem reddendam. (Ball. P. n. 478)

In jure civili, census qui ab antiquis *consignativus* dicebatur, assimilatur omnino mutuo cum fenore. Nam C. C. postquam de hoc mutuo egit, statim addit : " Licet stipulari fenus propter sortem quam mutuator se obligat ad non repetendum. Tunc mutuum nomen census assumit (constitution de rente). „ (a. 1909) Distinguitur autem duplex hujusmodi census : nempe perpetuus et vitalitius. (a. 1910) De priore agit C. C. aa. 1911-1913 : de posteriore aa. 1968-1983, inter contractus aleatorios, ad quos reapse census vitalitius pertinet. Prior, non autem posterior, semper redimi potest a debitore.

Hodie, cum universim liceat moderatum fenus e pecunia, tamquam e re frugifera, percipere, jam in constituendis censibus nulla est per se moralis difficultas. Servandae sunt regulae quae de moderato auctario positae sunt, et quae infra de justo pretio in emptione venditione tradentur.

Quaestionem de censibus, pro usu antiquiorum temporum expositam, videsis apud S. Alph. nn. 839-849. De celebri Bulla S. Pii V *Cum onus*, 19 Jan. 1568, qua modo valde arcto determinabantur conditiones sub quibus licitus esset census, cfr. praeter S. Alph. (l. c.) Ball. P. n. 482 seqq.

622. II. Cambium quod, vi nominis, omnium rerum permutationes designat, hic restringitur ad solam permutationem pecuniae cum pecunia. Per hunc contractum permutatur non tantum pecunia praesens, uti aurea, argentea, chartacea, sed etiam promissa, puta per litteras cambiales (lettres de change). Solet etiam servitium alteri ope hujus permutationis praestitum mercede compensari.

Ad justitiam hujus contractus onerosi requiritur :

1° Ut servetur justum pretium pecuniae quae permutatur. Justum autem pretium pecuniae praesentis non est semper illud quod monetae inscribitur. Etenim propter varias causas, puta majorem vel minorem

valorem metalli e quo nummi confecti sunt, distantiam regionis in qua valorem legalem habent, etc. ab isto pretio legali differre potest pretium vulgare. Ita etiam crescere minuive potest pretium pecuniae quae post aliquod tempus solvenda promittitur, puta propter temporis spatium quo alter contrahens, qui pro pecunia promissa tradit pecuniam praesentem, re sua carere debet (n. 617), propter periculum ne pecunia promissa non recuperetur, etc. Pretium istud vulgare pecuniae, tum praesentis, tum promissae, hodie foliis publicis nuntiari solet, nec quidquam prohibet quominus in conscientia ut justum habeatur.

2° Ut non exigatur major merces quam quae servitio, per permutationem praestito, aequivaleat. Ita minor merces juste exigi potest ubi in eodem loco pecunia unius regionis cum pecunia alius regionis commutatur; major, si praeterea virtualiter saltem transfertur pecunia in locum dissitum, in quo alter contrahens eam habere cupit, vel etiam variae expensae faciendae sunt ad hujusmodi servitia habitualiter praestanda, ut contingit campsoribus, etc.

De cambio litterisque cambialibus fusius dicere supersedebimus : ne, absque magna utilitate practica, plurimas notiones exponere cogamur quae potius ad negotiatorem quam ad theologum moralem pertinent. Eas, secundum leges Batavas, explicat Marres. (n. 302 seqq.) In Belgio consulendus Codex commercialis Tit. VIII. *De la lettre de change et du billet à ordre.* (Leges Belgicae 20 Maii 1872 et 10 Julii 1877) Ceterum justitia fere semper nihil aliud, etiam in conscientia, jubebit quam ut serventur legis determinationes vel proborum negotiatorum usus.

CAPUT V.

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO.

623. I. Depositum est contractus realis quo res aliena mobilis suscipitur custodienda et in individuo restituenda. (C. C. a. 1917 seqq.)

Contractus ille, in Jure nostro, dicitur essentialiter gratuitus ; postea tamen mentio fit de deposito pro cujus custodia depositarius salarium poposcerit. (a. 1928) Reapse, si de salario convenit, potius locatio operae quam depositum est. Attamen quae hic dicuntur, de utroque contractu procedunt, facto tantum discrimine in culpa juridica quae inducat restituendi obligationem, ut infra exponetur.

Distinguitur depositum *voluntarium* et *necessarium*. Prius oritur e mutuo consensu deponentis et depositarii ; posterius, e necessitate quam inducit incendium, naufragium aliusve inopinatus casus. Huic etiam

assimilatur custodia quae hospitibus (aubergistes, hôteliers) incumbit circa res viatorum qui in eorum domo hospitantur. (C. C. a. 1952) Iisdem legibus regitur depositum, seu voluntarium, seu necessarium sit.

II. Praecipuae **obligationes depositarii** sunt sequentes :

1° In deposito custodiendo eamdem diligentiam adhibere debet quam suis rebus adhibet. Ad strictiorem autem seu *boni patrisfamilias* diligentiam praestandam tenetur : si se sponte obtulit ad depositum custodiendum ; — si pro custodia salarium stipulatus est ; — si depositum unice in gratiam depositarii factum est ; — si conventum est ut de quavis culpa responderet. (a. 1927 seq.)

2° Petenti depositori reddere debet rem cum fructibus quos ex ea forte perceperit, non tamen pecuniae depositae fenus, nisi a die qua rogatus fuerit ut eam restituat. (a. 1936) Quandoque justitia eum obligaret ad rem depositori non reddendam, nempe si certo comperiret eam esse furto sublatam et legitimo domino eam reddere posset ; quandoque caritate ab ea statim reddenda prohiberetur, nempe si praevideret depositorem ea male usurum esse, praesertim in tertii detrimentum ; sed reddere eam posset si grave incommodum in ea deneganda experiretur, ut e generalibus principiis de caritate liquet.

3° Depositarius damnum reparare debet, etiam ante judicis sententiam, si res periit vel deterior facta est ob gravem ipsius culpam theologicam, vel si expresse quodcumque rei periculum in se suscepit. Insuper ad compensationem tenetur, sed post judicis sententiam tantum, si res periit vel deterior facta est ex ipsius culpa juridica. Tandem si idem casu, absque ejus culpa, accidit, non tenetur ad hoc damnum reparandum nisi rogatus fuerit ut rem restitueret : quod ultimum tamen intelligendum est, tantum post judicis sententiam. (a. 1929) E principiis generalibus de restitutione patet, eum teneri ad reddendum id quod adhuc in aequivalenti de re aliena possideret, ex. gr. pecuniam quam e deposito bona fide vendito haberet. (a. 1934 seq.)

4° Deposito uti nequit sine licentia expressa vel praesumpta deponentis. (a. 1930) Haec autem licentia ut prudenter praesumatur, attendendum est ad varias rerum et personarum circumstantias, praesertim ad detrimentum vel periculum cui res per hunc usum exponi possit. In specie, quando res est usu consumptibilis, ut pecunia, communis sententia Theologorum docet (Lugo, disp. 33. n. 4) non committi grave peccatum ab eo qui eam consumat, dummodo certus sit se in promptu habiturum esse rem aeque bonam quam restituat : nam haec infidelitas conditionibus contractus non videtur gravem injuriam depositori inferre. Sed cavendum est a periculo impotentiae ad restituendum, quod praesertim hodie magnas negotiationes vel speculationes tentantibus

frequentissime occurrit et procul dubio gravem hanc infidelitatem reddit. Quodsi depositarius lucrum vel fenus perceperit e pecunia aliave re quam otiosam servare debebat, hunc industriae fructum retinere poterit. (Marres, l. 4. n. 95 seqq.)

III. Depositoris obligatio duplex est: ut solvat expensas a depositario pro re custodienda factas, et reparet, saltem post judicis sententiam, damna quae ille occasione depositi passus fuerit. (a. 1947)

624. IV. Sequestrum arctam connexionem cum deposito habet, et potest vel privata conventione vel auctoritate judicis effici.

Sequestrum *conventionale* est depositum ab uno vel pluribus factum rei litigiosae apud tertium, qui vel gratis vel statuta mercede se obligat ad eam, finita controversia, reddendam cui de jure competet. (a. 1956 seq.) Si gratis hoc onus suscipitur, iisdem legibus subjacet ac depositum proprie dictum; secus, applicandae sunt regulae quae pro locatione operae ponuntur. (a. 1958) Antequam controversia sit finita, nequit depositarius ab onere quod suscepit liberari, nisi de consensu omnium partium interesse habentium, vel ob causam quam judex legitimam esse pronuntiarit. (a. 1960)

Sequestrum *judiciale*, ex. gr. rei litigiosae, datur personae quam vel partes elegerunt vel judex designavit; secum trahit omnes sequestri conventionalis obligationes. Custos ille, ex ipsa contractus natura, jus habet ad congruam mercedem, res autem sibi commissas, tamquam bonus paterfamilias, custodire debet. (C. C. a. 1961 seqq.)

CAPUT VI.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

§ 1. DE NATURA ET EFFECTIBUS HUJUS CONTRACTUS.

625. NOTIONES. Emptio venditio definiri potest: Contractus quo certa res datur pro certo pretio. Igitur ad eam constituendam requiruntur tria: res, pretium, consensus. Quodsi unum ex his tribus elementis deficit, venditio nulla est, ex. gr. si res totaliter periit eo quo venditur momento. (C. C. a. 1601) Actus coram notario vel sub privato chirographo, in Jure nostro (a. 1341) requisitus ut coram judice constet

de obligatione solvendi summam 150 fr. excedentem, minime necessarius est ut eadem obligatio in foro conscientiae vigeat : ideo injuste agunt qui a contractu venditionis recedunt eo quod nulla scriptura de eo constat.

Vendi possunt res omnes quae in commercio sunt, etiam jura incorporea, ut credita, chirographa, jura in tertium vel in haereditatem apertam, jura etiam litigiosa pro rata probabilitatis fortunae secundae. (a. 1689 seqq.) At prohibetur vendi haereditas viventis, etiam consentientis. (a. 1600) Si res vendita aliena erat, non venditoris, venditio haec in Jure nostro declaratur nulla ; attamen si venditor scivit, emptor vero ignoravit eam alienam esse, prior ob dolum hunc tenebitur, etiam in conscientiae foro, indemnem praestare posteriorem. (a. 1599) Disputant autem jurisperiti utrum nullitas illa sit absoluta et ante judicis sententiam completa, an relativa et per judicem inducenda. Cfr. n. 526.

Dominium rei venditae, in Jure nostro, transfertur ad emptorem statim ac de re et pretio conventum est, etiamsi res nondum tradita, nec pretium solutum est. (a. 1583) At non transfertur dominium quando res non est determinata, nempe quando merces non globatim (en bloc), sed juxta pondus, numerum vel mensuram venduntur, ex. gr. decem modii frumenti ex acervo. Neque venditio rerum quae, antequam emantur, gustari solent ut vini, olei, etc., perfecta est antequam emptor eas gustaverit. (aa. 1585, 1587) Adverte tamen has determinationes juris positivi mutari posse per voluntatem contrahentium, ut non raro fit; insuper alia jura aliter disponere, ut Jus Romanum, cum nonnullis recentioribus, ex. gr. Batavo, quae statuunt dominium rei in emptorem sola traditione transferri.

De venditione quae fiat sub conditione suspensiva vel resolutoria, nihil est speciatim dicendum, sed applicanda generalia principia de contractibus conditionatis. (n. 595)

626. Obligationes venditoris sunt praesertim sequentes :

I. Tenetur rem venditam emptori tradere eo loco et eo modo qui privata conventione, vel, ea deficiente, legibus civilibus (C. C. a. 1604 seqq.) aut consuetudinibus receptis determinati sunt. Eam autem tradere debet cum suis accessoriis et iis omnibus quae ad ejus usum perpetuum destinata sunt : quaenam illa sint declarat C. C. a. 517 seqq. Insuper cum, in Jure nostro, dominium solo consensu transferatur, manifestum est omnes rei fructus a die venditionis ad emptorem pertinere.

Si res casu perit ante traditionem, venditor ad nihil tenetur : perit enim

domino, i. e. emptori; at, si perit ex venditoris negligentia, is tenetur ad emptorem indemnem servandum, idque ante vel post judicis sententiam, prout ejus culpa fuerit theologica vel mere juridica. Ipse enim, tamquam depositarius, curam rei venditae gerere debet. (n. 623)

Si res uni vendita, antequam tradatur, alteri venditur, manet integrum jus prioris emptoris quamdiu res posteriori tradita non fuerit. At si jam posteriori emptori fuerit tradita, videndum utrum hic eam bona an mala fide possideat. Si eam bona fide possidet, ipse, e Jure nostro (a. 1144) et plerisque aliis, est verus rei dominus; manet tamen venditori qui eam mala fide iterum vendiderit, puta ad majus pretium obtinendum, obligatio indemnem praestandi priorem emptorem. At si emptor posterior prioris emptionis conscius erat, manet suum jus priori.

II. Tenetur, nisi contrarium expresse statutum fuerit, emptorem indemnem servare in casu evictionis vel onerum quae rei venditae incumbant et in venditione declarata non fuerint.

Haec fusius exponit C. C. aa. 1626-1640. Cfr. dicta n. 525 seq.

627. III. Tenetur emptori, ex Jure civili, securitatem praestare pro vitiis rei occultis, ea ratione quam explicat C. C. aa. 1641-1649.

Pro foro conscientiae, imprimis hic applicanda sunt quae n. 589 seq. dicta sunt de errore et dolo in contractibus onerosis. Hinc patet esse obligationem manifestandi vitia mercis occulta quae substantiam vitiant, vel merci auferunt illam qualitatem quam emptor ut contractus conditionem statuit. Sic nulla foret venditio vini quod cito acescit, si emptor expresse petierit vinum quod post plures annos tantum sumat. (Ball. P. n. 340) E Jure civili nostro (a. 1641 seqq.), quotiescumque res habet defectum occultum qui eam reddat ineptam fini ad quem destinatur, vel qui adeo hunc usum minuat ut emptor, vitio cognito, non emisset aut saltem tantum pretium non dedisset, is poterit ad libitum, vel, reddita re, pretium reposcere, vel, re servata, recuperare pretii partem quam viri periti ei assignabunt. Haec legis dispositio obtinet etiam quando venditor vitia rei ignorasset. Attamen in venditione animalium domesticorum, ut equorum, asinorum, ovium, etc. jam, in Belgio, nulla vitia admittuntur ut *redhibitoria*, nisi quae designavit Edictum regium 3 Sept. 1885. (ex lege 25 Aug. 1885)

Si res perit vitio intrinseco quo jam tempore venditionis inficiebatur, perit venditori: is enim vendidit rem nullius valoris. Igitur, in utroque foro, tenetur restituere pretium et expensas, si quas fecit emptor occasione venditionis. (a. 1647)

628. QUAER. I. Num liceat vendere *quid pro quo* seu unam rem pro alia simili, inscio emptore.

RESP. Juvat, praesertim nostris diebus quibus tantos progressus fecit ars sophisticandi, distinguere cum Ball. P. (n. 431) substitutiones rerum artificialium et rerum naturalium.

Si res quaesita est naturalis, res vero substituitur artefacta, ex. gr. vinum vel butyrum quod non e vite vel lacte originem trahat, per se error est substantialis : nam penitus differunt quaesitum et datum. Attamen valet contractus si merx artefacta non est nociva et communiter ejus venditio in societate toleratur, vel si ars eo usque progressa est ut res artificialis prorsus eumdem effectum producat ac naturalis ; sed semper requiritur ut emptor non specialiter determinaverit se velle rem a natura profectam, puta dum tendit ad mercatorem qui publice nuntiat se vendere mercem naturalem, non autem artefactam.

Si res substituta est et ipsa naturalis, ex. gr. si ad usum mensae unus piscis alteri prorsus simili substituitur, non deficit per se substantia contractus. Licet enim physice res penitus differant, moraliter, seu in ordine ad fines quos emptor intendit, plane conveniunt.

Quotiescumque valor rei substitutae minor est quam rei petitae, postulat justitia ut substitutae, non petitae, pretium exigatur. Unde in talibus casibus, vendendo ex. gr. carnem equinam pro bubula, sat facile gravis injustitia committi potest.

QUAER. II. Num liceat mercem mixtam vendere tamquam puram, pretio communi.

RESP. Probabiliter id licet quando merx ante mixtionem perfectior est ea quae communiter occurrit, post mixtionem autem non est eidem inferior. (S. Alph. n. 820) Idem dicendum de iis mixtionibus quae passim a mercatoribus etiam probis fiunt, ideoque a peritis emptoribus minime ignorantur : his enim, cum valde moderatae sint, non censetur merx notabiliter adulterata. Non licerent certe mixtiones, quae si ab ementibus cognoscerentur, nemo mercem emere vellet eo pretio quod petitur.

629. QUAER. III. Num venditor teneatur manifestare vitia rei accidentalia.

RESP. 1° *Si emptor expresse vel tacite interrogat* de vitiis in genere vel in specie, tenetur venditor illa manifestare ; secus contractus est rescindibilis ad nutum emptoris, cum ei causam dederit dolus. (n. 590, IV) Attamen si, re cognita, emptor nihilominus empturus fuisset, sufficeret minuere pretium pro rata. Licite etiam occultarentur defectus tam parvi momenti ut eorum notitia non videretur remotura emptorem ab eodem pretio tribuendo. (Lugo, disp. 26. n. 133)

2° *Si emptor nihil interrogat;* venditor vero sine ullo artificio res aperte exponit, regulariter non tenetur venditor ad manifestandos *defectus apparentes.* puta si equus sit monoculus. Excipe, si emptor esset adeo hebes aut imperitus ut defectus per se apparens pro ipso foret quasi occultus : tunc enim de apparente defectu judicandum ac si occultus esset. De *defectibus autem occultis* ita distinguendum cum Lugo (l. c. n. 134) : si res adhuc cum illo vitio occulto digna est tali pretio, justa erit venditio, licet huic emptori particulari non deserviat ad usum ad quem illam emit, dummodo non diserte significaverit se hunc usum intendere. Ita si vinum quod diu conservari nequit, vendis pretio quo communiter vendi solet, neque emptor significat se velle vinum quod diu conservatur, justa est venditio. Interdum tamen caritas obligabit ad eum post venditionem de hoc defectu monendum, si absque gravi incommodo fieri poterit. Si vero, e communi modo quo merces venales proponis in tali loco, significatur eas ad talem usum utiles esse, ad quem tamen, propter occultum vitium, inutiles vel notabiliter minus utiles sunt, obligatio erit hoc vitium manifestandi : secus enim tacitus dolus intervenit, ex. gr. si in foro piscario, ubi pisces recentes communiter venduntur, exponerentur pisces saliti quasi recentes essent. Quodsi res ad finem intentum utilis esse potest, minus tamen quam communiter contingit, pretium erit pro rata minuendum, ex. gr. si galerus qui per annum durare solet, propter minus bonam qualitatem, sex tantum menses duraret, nonnisi dimidium pretium petere liceret.

Semper tenetur venditor ad manifestanda vitia occulta quae emptori *nocere* queant, ex. gr. quod equus sit furiosus, caro animalis morbo infecti, etc.

630. Obligationes emptoris sunt praesertim sequentes :

I. Solvere debet pretium, die et loco in contractu venditionis determinatis ; quodsi nihil determinatum fuit, die et loco traditionis rei. (a. 1650 seq.) Utrum solvendum sit pecunia, an sufficiat solvere alio valore, ex. gr moneta papyracea, imprimis eruendum e contractu juxta receptas consuetudines explicato. Quodsi lex determinatum valorem monetae papyraceae adnectit, solvi potest hac moneta, dummodo contrarium pactum non obstet. Imo etiam conditio adjecta in chirographo, de solutione in pecunia sonante tantum facienda, vim suam regulariter amittit in utroque foro, per subsequentem legem quae illam irritat, ut declaravit S. Poenit. 21 Jan. 1873. (Buccer. Enchir. de 7° praec. n. 708)

Si quis ab alio falsam monetam accepit, nequit eam adhibere ad debitum solvendum : quod enim deceptus fuit, nullum dat ei jus ut alium decipiat. Idem dicendum de moneta quae, licet a legitimo gubernio

excusa sit, in aliqua regione in usu non est vel jam antiquata est : nam, eam transmittendo, detrimentum infertur creditori, cum valor talis pecuniae sit multo inferior quam valor correspondentis pecuniae legitimae. Excipe, si forte vulgus nihilominus talem pecuniam pro nativo valore adhibere soleret. Neque regulariter falsam monetam aliis donare licet : ne injustitiae incitamentum praebeatur. Si quis autem bona fide pecuniam falsam accepit et expendit, neque inde ditior factus est, non tenetur probabilius ad iteratam solutionem, quando is cui eam dedit nullum inde detrimentum passus est, puta quia et ipse eam aliis ignotis transmisit. (Lugo, disp. 28. n. 6) Quodsi mala fide eam transmisit, neque constat aliquem particularem civem inde laesum esse, restitutio facienda esset soli aerario publico, si tamen inde passurum est verum detrimentum.

II. Solvere debet interesse pretii usque ad sortis solutionem : si ita in contractu conventum est, et tunc solvendum est juxta mensuram de qua convenit ; — si res vendita et tradita fructus naturales vel civiles producit ; — si interpellatus est ut solveret : in quo casu interesse currit tantum ab interpellationis die. (a. 1652). Adverte tamen eum in foro conscientiae non teneri ad solutionem hujus interesse, antequam a judice imperata fuerit, quotiescumque solutio dilata est absque culpa theologica gravi, siquidem probabilius nemo tenetur, ante judicis sententiam, reparare damnum quod, non servato contractu ob culpam mere juridicam, alteri parti intulit. (n. 520, III)

Tum venditori, tum emptori communis est obligatio ut justum pretium in contractu servent : de qua obligatione, propter rei momentum, distincta paragrapho dicetur.

§ 2. DE JUSTO PRETIO.

631. NOTIONES. Pretium alicujus rei dicitur expressio ejus valoris venalis per certam pecuniae summam. Valor autem venalis non determinatur unice ex utilitate quam res humanis usibus praestat : plura enim, ex. gr. aqua, utilissima sunt, licet nullius pretii esse soleant. Formaliter reponitur in aptitudine quam habent singulae res ut, in humano commercio, cum aliis permutentur. Ex ipsa justitiae commutativae natura liquet pretium non fore justum, nisi detur aequalitas inter mercem et pretium. Nempe emptio venditio pro communi utriusque contrahentis utilitate introducta est, dum unus indiget re alterius et e converso : quod autem pro communi utilitate inductum est non debet esse magis in gravamen unius quam alterius. (2. 2. q. 77. a. 1)

Triplex pretium justum distinguitur : *legale, naturale* seu *vulgare, conventionale.*

Legale illud dicitur quod auctoritate publica statuitur. Antiquitus crebro determinabatur, praesertim in favorem egentium et in rebus ad victum necessariis, ne eas pretio immodico comparare cogerentur. Hodie jam vix in usu est.

Naturale seu vulgare dicitur pretium quod quaelibet res habet e communi aestimatione in eo loco eoque tempore quo res est tradenda emptori. Manifestum est hoc pretium non esse mathematice determinatum : ideo complectitur pretium *summum, medium* et *infimum.* Quanta autem esse possit distantia inter summum et infimum, nequit, e communi DD. sententia, una regula assignari, cum a variis circumstantiis id pendeat. (Lugo, disp. 26. n. 39)

Conventionale pretium illud est quod libera emptoris et venditoris pactione determinatur.

632. ASSERTA. I. Pretium legale servandum est ex justitia commutativa, quotiescumque non constat Superiorem ob munera, odium vel ignorantiam crassam, inique egisse in eo taxando. Ratio est, tum quod Superior, melius quam reliqui, omnes circumstantias ad justam taxationem faciendam aestimare potest ; tum quod respublica in communem utilitatem disponere potest de bonis subditorum et, ob justam causam, prohibere ne plus accipiant vel minus dent pro re aliqua. (Lugo, l. c. n. 38)

Plura de hoc pretio disputant antiquiores AA. quae, utpote nostris diebus minus practica, omittemus.

II. Deficiente, ut hodie contingit, pretio legali, justum habendum est **pretium vulgare** seu quo res communiter, sine vi vel fraude, emi et vendi solet in tali loco et tempore. Ratio est, quod illa communis aestimatio apte, quantum fieri potest, repraesentabit valorem venalem quem res ista habet pro omnibus ejusdem regionis incolis. Nulla enim alia ratio hujus communis judicii dari potest nisi quod incolae, naturali aequitate ducti, rem aestimarunt juxta varias circumstantias quae in ejus valorem influunt, quales sunt potissimum expensae faciendae ad mercem aliquam comparandam seu elaborandam, et aequa remuneratio eorum qui tales labores suscipiunt. Haec regula valet etiamsi imprudens videatur communis aestimatio, ut contingit ex. gr. pro Nigritis aurum vel ebur dantibus pro vitro vel pannis candidis. Nam si talis error est communis, jam reapse objecta illa, quae alibi minimi sunt pretii, magnum valorem in eorum regione acquirunt, et a detentoribus quibuscumque cum aliis rebus pretiosissimis commutari possunt. (Lugo, l. c. n. 42)

Inter circumstantias quibus pretium vulgare augetur, reperiuntur istae : rerum vendendarum raritas, eas offerentium parvus numerus, emptorum multitudo, pecuniae abundantia, ratio vendendi minutatim, quae omnibus ita vendentibus majores labores et, proportione servata, majores expensas imponit. Circumstantiae autem his directe oppositae ad pretium minuendum concurrunt. Cfr. Marres, l. 4. n. 179 seq.

633. III. Generatim injustum est vendere rem supra pretium summum et emere infra pretium infimum : siquidem aequalitas servanda laeditur. Ideo venditor tenetur reddere quod supra pretium summum accepit (nisi forte alter intenderit sciens volens donare); emptor tenetur complere pretium infimum. (Lugo, l. c. n. 81)

IV. Injustum quoque est emptorem fraude vel mendaciis adducere ad rem emendam supra pretium quod, his mediis sepositis, dedisset, etiamsi pretium summum non excedatur. Nam emptor jus habet ne mediis fraudulentis impediatur quominus emat pretio justo, quale est etiam mediocre vel infimum quod dare voluisset.

Attamen mera mendacia quibus mercatores pretium exaggerant, plerumque non sunt habenda ut verae fraudes: siquidem nullus iis fidere solet, cum tam crebro a mercatoribus usurpentur ut ad moderatum pretium perveniatur. Excipiendus foret casus quo emptor, ob specialem fiduciam quam in vendentis persona collocaret vel ob extraordinarias sinceritatis protestationes ab altera parte emissas, nullatenus ab errore cavere posset.

V. Nulla committitur injustitia ab iis qui res supra pretium vulgare summum vendunt vel infra infimum emunt, sed cum titulo particulari. Hujusmodi tituli sunt (Marres, l. 4. n. 186 seqq.):

1° *Damnum venditori emergens aut lucrum cessans*, puta si quis in gratiam emptoris statim vendit mercem quam servasset in aliud tempus quo majoris pretii futura fuisset: haec justa ratio est ob quam ultra pretium summum vendatur. E contra, infra infimum emi poterit ob damnum emptoris emergens aut lucrum cessans, ex. gr. si quis in gratiam venditoris jam nunc emit rem qua tantum indigeat tempore quo minoris constabit.

2° *Peculiaris affectus venditoris* erga rem vendendam, ex. gr. erga domum paternam : nam privatio rei erga quam quis specialem affectum gerit, est digna pretio quod supra vulgare summum addatur. (S. Alph. n. 807) Communius autem cum S. Th. (2. 2. q. 77. a. 1) negatur idem dicendum esse de re quae emptori specialiter utilis vel cara sit, " quia utilitas quae alteri accrescit non est ex vendente, sed ex conditione

mentis: nullus autem debet vendere quod suum non est. „ Nihilominus non caret sua probabilitate opinio contraria, quam tuentur Marres (l. c. n. 188) et Waffelaert (t. I. n. 615) cum aliis recentioribus. Rationem isti afferunt, quod alterius commodo aut voluptati inservire, ex communi aestimatione, est obsequium cujus pretium digne aestimatur ex majore aut minore commodo quod alteri obvenit: ergo valor venalis hujus obsequii quod venditor emptori praestat, dum ei libere rem suam vendit, rei vendendae pretium augere potest. Accedit usus valde communis virorum timoratorum. Injustus tamen foret qui, ubi aliquis morali necessitate cogeretur ad emendum, ex. gr. solum quo prorsus indigeret ad aedes suas amplificandas, pretium exigeret quod omnino excederet utilitatem quam alter ex ista acquisitione obtenturus sit: haec enim necessitas nullatenus ingreditur rem quae venditur vel obsequium quod praestatur.

3° *Ultronea oblatio rei vendendae* efficit ut infra pretium infimum emere liceat. Nam, e communi aestimatione, res ultro oblatae vilescunt: quod fundamentum habet in eo quod valor rei venalis " tanti minuitur quanti valet obsequium quod venditor sibi praestari petit ab emptore, qui ad illud praestandum nullatenus obligatur. „ (Marres, l. c. n. 189) A fortiori id valet, si res quae offertur, parum utilis est emptori.

Necessitas venditoris, puta paupertas vel discessio in alium locum, ratio esse potest ob quam, spectata tantum justitia, liceat infra pretium infimum emere ea quae non ita facile emptorem reperiunt, puta libros, domus supellectilem; non autem res quotidianis vitae usibus inservientes quae facile emptorem reperiunt, ideoque sponte oblatae servant, in communi aestimatione, valorem suum solitum. Attamen, etiam ubi salva esset justitia, graviter laedi posset caritas quando de paupere ageretur. (S. Alph. n. 802; Ball. P. n. 385 seq.)

4° *Dilatio solutionis* est ratio carius vendendi, sicut anticipata solutio est ratio vilius emendi, dummodo proportio servetur cum fructibus qui e pretio, diutius servato vel citius obtento, acquiri possunt, juxta regulas datas de mutuo cum fenore. (n. 619)

634. VI. Privata notitia mutationis in pretium legale vel vulgare inducendae non obest quominus res currente pretio emantur aut vendantur: justum enim pretium non pendet a privata notitia, sed a communi aestimatione. Peccaret tamen contra justitiam qui fraudibus vel mendaciis uteretur, ex. gr. spargendo falsos rumores, ut saepe fit, ad pretium augendum vel minuendum. Contra caritatem autem peccaret qui, etiam absque fraude, tales emptiones vel venditiones faceret e quibus praevideret alium in gravem necessitatem conjectum iri. (Marres, l. c. n. 192)

VII. Probabilius justum est **pretium conventionale** pro iis rebus quae, utpote rarae et extraordinariae, pretium vulgare non habent. Tales sunt gemmae extraordinariae magnitudinis, picturae eximiae, equi praemiis lucrandis apti, res antiquae rarissimae, etc. His assimilantur actiones quaedam humanae quae raro pro pretio dantur, puta vitam pro alterius salute periculo exponere. Ratio est quod, deficiente quavis alia taxandi pretii ratione, id arbitrio contrahentium relinquendum est. Excipiendus tamen videtur casus quo pretium postulatum ita rei valorem excederet ut omnium prudentum judicio irrationabile censeretur.

635. QUAER. Num justa sit venditio rei pretiosae quae parvo pretio emitur, eo quod unus vel uterque contrahens valorem verum ignorat.

RESP. 1° Si uterque pretium ignorat, venditio justa est: nam uterque se aequali damni periculo exponit et contractum quasi-aleatorium init. Ideo nihil priori venditori, in rigore juris, tribuendum est ab emptore qui postea rem, puta picturam eximiam vel codicem antiquum, tertio cuidam cum ingenti lucro vendidit.

2° Si verum pretium unus cognoscit, alter ignorat, ita videtur distinguendum: venditio injusta est, ideoque compensatio facienda, quotiescumque verus rei valor facile ab omnibus peritis agnosceretur; justa autem est venditio, quando idem valor tantum ob singularem emptoris peritiam detectus est: tunc enim lucrum, tamquam industriae fructus, servari potest. Ita fere Lehmk. I. n. 1120; Ball. P. n. 403.

3° Si quis, suspicatus rem suam esse magni pretii, peritum virum adiret ut ab eo verum ejus valorem sciret, is injuste ageret si, consulentis ignorantia abusus, rem sibi vel alii emeret infra pretium infimum. (Marres, n. 195) Attamen non sunt injustitiae arguendi quicumque in talibus adjunctis pretium tribuunt notabiliter minus quam quod brevi post accepturi sunt: nam, cum res rarae vel antiquae non soleant habere pretium aeque determinatum ac res quae passim venales prostent, emptores plerumque in antecessum scire nequeunt quanti eas postea venditurі sint.

N. B. Praesertim in hac justi pretii materia, cavendum est ne peccata materialia in formalia mutentur. Nam passim homines bona fide existimant justum esse quodcumque pretium libere et sine fraude inter partes convenerit. Hanc bonam fidem confessarius turbare non debet, nisi error sit evidens et fructus monitionis probabilis.

§ 3. DE QUIBUSDAM SPECIEBUS VENDITIONIS.

636. I. Venditio **cum pacto retrovenditionis**, spectato tantum jure naturali, pluribus modis fieri potest. Nempe pactum illud adjici potest in gratiam venditoris ut, si isti placuerit, emptor teneatur rem revendere venditori, vel in gratiam emptoris, ut iste possit obligare venditorem ad rem iterum emendam, vel in gratiam alterutrius, ut, quando alterutri placuerit, alter debeat rursus alteri vendere quod accepit aut emere quod dedit.

In talibus pactis nihil esse quod per se justitiae repugnet, manifestum est : nam venditor, sicut rem suam libere alienat, ita alienationi quasvis conditiones honestas adjicere potest. Cfr. Coll. P. F. n. 2139. In Jure nostro (C. C. aa. 1659-1673), agitur tantum de pacto retrovenditionis (faculté de rachat ou de réméré) quod in gratiam venditoris adjiciatur. Insuper contractum hunc non exhibet legislator Gallicus sicut communiter a Theologis proponitur, scil. ut fiat revera altera emptio venditio, sed venditionem cum tali pacto exhibet tamquam sub conditione resolutoria factam, ita ut, cum venditor jure suo usus fuerit, prior venditio prorsus concidat. Ideo, ex ipsa definitione (a. 1659), restituendum est idem pretium quod acceptum fuerit.

637. Ut justitia in tali contractu servetur, Theologi praecipue *quinque conditiones* requirunt :

1° Ut partes reapse intendant vendere et emere : nam, si fingitur tantum venditio, potest sub hac specie latere contractus usurarius. Ideo damnatus est ab Innoc. XI (Prop. 40ª) contractus ille qui a Theologis, nomine Hispanico, *Mohatra* dici solet. Is in eo consistit quod res quaepiam summo pretio, puta 1000 fr. venditur ei qui pecunia indiget, sed ea conditione ut statim eadem res pretio multo minori, puta 800 fr. priori venditori retrovendatur ; venditor iste tunc solvit hanc summam minorem, altera autem pars manet eidem obligata pro discrimine quod inter utrumque pretium intercedit. Consideranti patet hanc esse fraudem qua immodica usura, sub specie retrovenditionis, extorqueatur. Practice idem est ac si mutuatarius, ut quandoque fit, acceptis 800 fr., cogatur se scribere debitorem pro 1000 fr.

2° Ut compensetur onus quod venditioni adjicitur : hoc enim postulat aequalitas in omni emptione venditione servanda. Ideo pretium est minuendum, si pactum retrovenditionis additur in gratiam venditoris, augendum, si additur in gratiam emptoris. Quantum autem debeat esse hoc augmentum vel haec imminutio, probabilius e circumstantiis prudenter judicandum est. (S. Alph. n. 812)

3° Ut generatim res eodem pretio redimatur quo empta est. Ratio hujus conditionis clara est, quando contractus iste concipitur, ut in Jure nostro, tamquam emptio venditio cum conditione resolutoria. Ubi autem concipitur tamquam duplicem venditionem continens, probabile est pretium posse augeri vel minui quantum in priore venditione minutum vel auctum fuerit, siquidem jam venditur sine onere quod huic priori venditioni adnexum erat. (Lugo, disp. 26. n. 196)

4° Ne periculum rei venditae imponatur venditori, cum, e natura venditionis, incumbat emptori. Haec tamen conditio injusta esse desineret, si pro aestimatione periculi augeretur pretium. (S. Alph. n. 812)

5° Ut restituatur res qualis tradita est, vacua vel cum fructibus. In Jure nostro non restituuntur fructus : quod generatim justitiae non adversatur, siquidem fructus compensantur auctario quod altera pars e pretio accepto hodie legitime lucrari potuit.

638. II. Venditio sub hasta (vente aux enchères), quae et *licitatio* vel *auctio* dicitur, in hoc reponitur quod res, vel publice, vel inter personas quasdam, puta familiae membra, vendatur eo pacto ut cedat plus offerenti. Hanc justam esse probant et universalis consuetudo et communis AA. sententia (S. Alph. n. 808), quamvis interdum pretium plus offerentis sit supra summum vel infra infimum. Nam ex eo quod res ultro offertur, justum pretium infra infimum esse poterit ; si autem multi emptores accedunt, poterit, per eorum contentionem, juste supra summum crescere, cum talis incrementi ratio detur in copia ementium et mercis raritate. (n. 632)

Quandoque licitatio sponte fit a rei domino, quandoque lege imperatur, ex. gr. ut satisfiat creditoribus quibus debitor solvere recusat.

Ad forum conscientiae quod attinet, de licitatione sequentia prae oculis habere juvat :

1° E natura licitationis res a domino relinquenda est *plus offerenti*, etiamsi pretium infimum non obtineatur. Ideo communiter AA. injustitiae damnant dominum qui rem suam in iis adjunctis cedere nolit. Nihilominus non est reprobanda consuetudo quae, apud plures nationes, in licitationibus voluntariis viget, ut dominus rem suam retrahat, quando non datur pretium justum infimum. Nam emptores, saltem implicite in consuetudinem consentientes, de jure laeso conqueri non possunt. (Ball. P. n. 401)

2° Potest dominus per se vel per alios *res suas redimere* : quod nullam difficultatem patitur ubi de coacta licitatione agitur, cum in hac potius creditores quam dominus sint veri venditores. Ubi autem licitatio est voluntaria, nihil prohibet dominum amicos mittere, qui, pretium augentes, impediant ne res infra valorem vendantur : quod praesertim

patet quando consuetudo confert domino jus rem suam retrahendi. At si mitterentur ficti licitatores qui, sine vero animo rem pro se redimendi, unice intenderent pretium augere, id injustum foret erga alios licitatores : hi enim jus habent ut pretium per legitimas tantum rationes seu concursum emptorum, non autem per fraudem, augeatur. (Lehmk. l. n. 1122)

3° Emptori licet, juxta sententiam communissimam (S. Alph. n. 808), alios *hortari ut a licitatione abstineant :* nam medium hoc in se justum est, neque venditor ullum jus habet ut quidam determinati homines licitationi intersint. Multi autem censent cum S. Alph. (l. c.), injustum esse ut hoc *in pactum deducatur :* quia venditor jus habet ut cuivis perfecte liberum sit licitationi intervenire. Alii tamen (ut Lehmk. l. c.; Ball. P. n. 400) talem injustitiam abesse, probabiliter opinantur. Nam, si quidam paciscuntur ut abstineant, hoc non impedit quominus alii licitatores concurrant. Neque apparet quomodo prohiberi possit ne in pactum deducatur quod fieri liceat. Contra caritatem tamen peccaret qui, in auctione coacta, alios induceret ut, a licitatione abstinentes, res infra pretium justum vendi sinerent : is enim alterius necessitate abuteretur. Ubi vero liberum est domino rem retrahere, illius injuriae periculum et consequenter peccatum abest.

639. III. Proxenetae a Theol. Moralibus dici solent quicumque alterius nomine emunt vel vendunt. Quidam munus quasi-publicum gerunt (courtiers, commissionnaires) ; quidam per modum actus transeuntis proxeneiam agunt, ut filiifamilias ementes vel vendentes pro parentibus, famuli pro heris, opifices pro iis a quibus aliquod opus, puta domus aedificationem, peragendum susceperunt. Liquet eos semper esse mandatarios illorum pro quibus emunt venduntve : unde eorum obligationes praecipue ex iis quae de mandato dicentur, dimetiendae sunt. Si de mercede accipienda cum principali convenerunt, habendi sunt tamquam operam suam locantes. Insuper haec advertantur :

1° Qui munus quasi-publicum gerunt, in juribus et obligationibus suis definiendis imprimis attendere debent ad leges vel consuetudines receptas : nam, nisi contrarium expresse convenit, contractus ex iis est interpretandus.

2° Regulariter proxeneta qui emit infra vel vendidit supra pretium sibi a mandante statutum, lucrum istud sibi servare nequit. Nam regulariter dominus, dum tale pretium indicat, nihil aliud intendit quam ne res minoris vendatur vel carius ematur, neque vult renuntiare juri quod ipsi naturaliter competit ex emptione venditione ipsius nomine facta. Lucrum hoc sibi servare poterit proxeneta in his casibus : *a)* Si dominus libere consentit, puta declarando se nihil velle praeter pretium indi-

catum. — *b)* Si proxeneta, industria extraordinaria et ad quam vi contractus non tenebatur, rem meliorem fecit, carius vendidit, etc. Nam in hoc casu aequum est ut servet lucrum quod huic indebito labori respondeat. — *c)* Si lucrum est parvi momenti ideoque merito supponi potest consensus domini. (S. Alph. n. 825)

3° Proxeneta sibi servare potest ea quae reapse mercatores in ipsius, non autem in mandantis favorem de justo pretio remittunt. Attamen videndum num forte haec sit mera mercatorum simulatio, qui (ut plerumque fit) mandanti prorsus eodem pretio merces suas vendere parati sint. Facilius sincera erit remissio ubi proxenetae sunt opifices, qui, cum crebro pro variis hominibus emant, solent a mercatoribus minore pretio quam ceteri (prix de faveur) merces obtinere. Rarius id continget pro famulis vel filiisfamilias, quia, cum pro eodem tantum emant, huic, non autem illis, favere intendunt mercatores. (Waffelaert. l, n. 660)

4° Spectato jure naturali, nihil obstat quominus proxeneta rem pro seipso emat pretio quod dominus designarit eamdemque postea cum lucro vendat, modo, adhibita ordinaria diligentia,neminem invenerit qui eam carius emere voluerit, et emptionem serio peragat, suscepto in se rei periculo. (Gury, I. n. 916) Nihilominus haec agendi ratio hodie a lege vel saltem a recepta consuetudine reprobatur, ut notat Marres (l. 4. n. 286), propter fraudes quae ex ea facile orirentur. Ideo generatim illicita est, nisi dominus expresse hanc facultatem proxenetae fecerit.

§ 4. DE MONOPOLIO.

640. NOTIONES. Monopolium dicitur potestas exclusiva certas merces vendendi, penes unum vel paucos existens.

Distinguitur in *publicum* et *privatum*, prout ex lege vel ex facto privatorum oritur. Publicum autem et ipsum duplex est : alterum, quo gubernium sibi mercis alicujus fabricationem et venditionem reservat ; alterum, quo gubernium simile privilegium exclusive uni vel paucis civibus tribuit. Privatum vero oritur ex eo quod unus paucive omnes merces cujusdam speciei coemunt, vel impediunt ne merces similes aliunde advehantur : quae monopolii species hodie, ob commeatuum facilitatem, non continget nisi quoad res quae e paucis regionibus proveniunt ideoque facilius a viris ditissimis coemuntur.

Monopolii privati nomine a multis AA., sed satis improprie, comprehenditur conventio qua omnes ejusdem mercis venditores conspirant ne infra certum pretium ulli vendant. Tales conventiones non raro hodie incuntur, sive inter eos qui in eadem civitate minutatim vendunt, puta .

pistores vel laniones, sive inter omnes homines vel societates in quadam regione certam mercem fabricantes et in magna quantitate vendentes (consortium, kartelle, trust, ring etc.).

641. ASSERTA. I. Monopolium quod **a gubernio exercetur** per se justum est, etiamsi propterea pretium quarumdam mercium multum superaret pretium summum quod, secluso monopolio, foret : excessus enim considerandus est tamquam tributum indirectum. Per accidens posset hujusmodi monopolium adversari justitiae commutativae, nempe si in eo non servarentur conditiones ad justitiam tributorum requisitae, puta si ita notabiliter augeretur pretium rerum quae ad victum necessariae sint.

II. Monopolium quod **a gubernio conceditur privatis,** ex. gr. inventoribus, auctoribus, per se justum est : confert enim ad reipublicae utilitatem, addito stimulo fere necessario privatorum industriae. (Lugo, disp. 26. n. 171) Practice vix potest assignari limes justi pretii quo privilegiati res, praesertim nuper inventas, vendere debeant : unde fere locus est pretio conventionali. Supponimus hic non agi de monopolio rerum quae communiter civibus necessariae sunt : id enim hodie concedi non solet. Insuper, si ultra omnem rationabilem limitem augeretur pretium ab eo qui privilegium accepit, ut puta si 20 fr. venderetur quod vi materiae et laboris vix 1 fr. valeret, arbitramur injustitiam committi, neque in conscientia inquietandos esse qui illud monopolium eludere conentur, cum haec sit velut justa defensio.

III. Monopolium **privatum** per se non adversatur justitiae, modo omnes merces fuerint justo pretio coemptae. Neque probabilius injusti sunt qui has merces vendunt pretio quod, secluso monopolio, summum fuisset; imo iidem, saltem seclusa conspiratione cum aliis (cfr. IV), non videntur peccare contra caritatem, cum non teneantur justum lucrum suum ob aliorum commodum dimittere. (Lugo, l. c. n. 178) At injustitiam committunt qui monopolio suo abutuntur ut pretium exigant quod sit omnino supra pretium summum quod, secluso monopolio, exstitisset. Concedunt quidem Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 21. n. 151) et Molina (de Just. et J. disp. 345. nn. 7-10) eos posse, salva justitia, exigere pretium majus, non quidem pro mero arbitrio suo, sed juxta augmentum quod ex ipsa monopolii circumstantia originem ducat. Attamen practice haec ipsa circumstantia pretium ultra omnes justos limites extolleret. Quare hanc sententiam rejiciendam ducimus. (Ball. P. n. 423 seqq.) Neque alii mercatores videntur absque injustitia vendere posse merces pretio injusto quod per monopolium inductum sit, siquidem illud injustum est pro omnibus

(S. Alph. n. 817), nisi forte et ipsi pretium nimium in iis acquirendis impendere coacti fuerint.

IV. Si **conventio initur** inter omnes cujusdam mercis venditores, ut ne infra determinatum pretium vendant, haec conventio non adversatur justitiae, nisi pretium illud superet summum quod, seclusa tali conspiratione, foret : per se enim singuli utuntur tantum jure quod habent non vendendi merces suas nisi pretio summo.

Attamen, si agitur de rebus quae non sint voluptariae vel paucis utiles, sed quibus multi indigeant, graviter peccabitur contra caritatem conspiratione exigendi pretium summum. Nam caritas, licet non obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur tamen obligare ne aliis dissuadeatur quominus mitiori pretio vendant : fere sicut caritas, etiam quando non praecipit dare eleemosynam, vetat ne alium ab ea danda avertam. (Lugo, disp. 26. n. 172)

Insuper certe emptoribus injuriam inferunt qui alios mercatores mediis injustis, puta minis vel dolo, impediunt quominus minoris vendant : emptores enim jus habent ne mediis injustis impediantur quominus minore pretio apud alios mercatores emant. (Lugo, l. c.)

CAPUT VII.

DE LOCATIONE.

642. Locatio est contractus consensualis quo res vel persona ad usum vel ad fructum pretio conceditur.

Hinc duplex locationis species distinguitur : rerum et operae. Prior, in Jure nostro, definitur : contractus quo una pars se obligat ad praestandam alteri cujusdam rei fruitionem, per determinatum tempus, pro pretio ab altera parte solvendo. Posterior est contractus quo una pars se obligat ad aliquid in alterius favorem faciendum pro pretio de quo convenerint. (C. C. a. 1709 seq.) Utrobique necessarium est pretium *in pecunia solvendum*, ne pro locatione fiat commodatum, si nihil rependatur, vel contractus innominatus, si quid aliud.

Magna similitudo inter locationem et emptionem venditionem viget : ideo pleraeque regulae de emptione datae hic quoque locum habent, imprimis quae ad justum pretium spectant.

§ 1. DE LOCATIONE RERUM.

643. In C. C. nostro (a. 1714 seqq.) dantur regulae quaedam generales pro pluribus subdivisionibus hujus locationis, puta pro locationibus domuum (baux à loyer), praediorum rusticorum (baux à ferme), gregum (baux à cheptel). Hae regulae, ope principiorum generalium de contractibus, sat facile percipiuntur, quatenus pro foro conscientiae necessarium est. Quaedam in specie hic adnotabimus :

I. Locatio perficitur scripto vel verbo. (a. 1714) Ideo injustus foret qui ab ea resiliret eo quod, ob defectum probationis scriptae, ad contractum servandum a judice adigi non posset.

II. Conductor habet jus sublocandi vel etiam alteri transmittendi conductionem, nisi haec facultas ipsi partialiter vel totaliter per clausulam expressam adempta fuerit. (a. 1717)

III. Durante locatione, conductor tenetur ad faciendas suis expensis reparationes, quae a C. C. *locativae* dicuntur et juxta consuetudinem locorum ipsi incumbunt, nisi contrarium convenerit. Plures enumerat a. 1754. Ceterae a locatore praestandae sunt. (a. 1720)

IV. Vitia occulta rei locandae, quae conductori nocere vel usum rei impedire possunt, locator manifestare tenetur, fere ut de venditore dictum est. (n. 629) In foro externo ad compensationem tenebitur propter talia vitia, licet ea ignoraverit. (a. 1721)

V. Conductor re locata uti debet tamquam bonus paterfamilias, et secundum finem qui huic rei datus est per contractum vel qui e circumstantiis determinatur. (a. 1728) Ita conductor domus privato civi destinatae nequit eam in tabernam mutare.

644. VI. Damna quae rei locatae accidunt, conductor, in foro conscientiae, reparare tenetur: *a)* Si iis, per culpam theologicam gravem, causam dedit. — *b)* Si expressa conventione pericula *quaelibet* rei locatae in se suscepit. Huc refertur laesio clausulae qua conductor aedium se obligarit ad quaedam valde periculosa non exercenda : si, propter hanc contractus violationem, domus incendio periit, conductor ad damnum reparandum tenebitur. (Lehmk. I. n. 1126) — *c)* Si ad ea reparanda per sententiam judicis, legibus conformem, damnatus est. Has leges exponit C. C. aa. 1732-1735. Attamen tum Theologi, ut Lehmk.

(l. c.), tum Jurisperiti, ut Laurent (Elém. de Droit civ. t. 3. n. 848), merito carpunt, tamquam aequitati naturali oppositum, a. 1734, quo omnes conductores partiales alicujus domus tenentur in solidum ad compensandum incendii damnum, nisi se culpae expertes esse probent. Atque in Gallia (lege 5 Jan. 1883) ex parte sublata est haec iniqua dispositio, dum conductores jam non jubentur damna resarcire nisi pro valore partis a se conductae.

VII. In conductione agrorum illud peculiare habetur quod omnia fere Jura, speciatim Romanum et Gallicum (aa. 1767-1773), aliquam pretii locationis partem remittunt quando, ob infortunium fortuitum, puta grandinem, ager magna ex parte fructibus caruit : quod omnino cum aequitate naturali congruit, siquidem agrorum fructus magis quam aliorum laborum emolumenta aleae subsunt. Quousque se illa remissio extendat, e Jure positivo cognoscendum est. In Jure nostro, non conceditur nisi cum saltem dimidia pars messis ordinariae amissa est, neque conductor per expressam clausulam huic juri renuntiavit. Nequaquam vero tamquam principium generale admitti potest : jus esse conductoribus agrorum et praediorum ex istorum fructibus ea sumere quae ad suam et suorum sustentationem requirantur, et tantum de iis quae supersint pretium conventum locatoribus solvendum esse. Nam accidentalia detrimenta quae alicui contingunt, etiamsi ea absque ulla ejus culpa accidisse supponimus, nequeunt impedire quominus solvat ea quae ex justa conventione debentur. Neque iniquum est pretium annuum ita determinari ut conductor nihil plus solvere debeat ubi lucrum extraordinarium faciat, sicut pretium locationis minuere nequeat ubi fructus infra mediocritatem decrescant : nam sic inter plures annos quaedam fit compensatio. Insuper manifestum est quam incerta fierent omnia si hujusmodi regula admitteretur : nam facile conductores sibi persuaderent nihil superesse quod locatori rependant, quamvis eorum indigentia unice oriretur e nimiis expensis, defectu diligentiae vel peritiae, etc. Verae indigentiae conductorum, in foro conscientiae, satis provisum est dilatione solutionis debitorum, quae eis permittitur donec eam facere nequeunt nisi excidendo e statu suo. (n. 557) Libenter tamen fatemur justitia requiri ut communiter pretium locationis praedii tale sit quod sinat conductorem in ordinariis adjunctis e fructu laboris sui cum familia sua vivere. Sed raro fiet ut locatores hanc regulam non servent, modo pretium locationis non excedat id quod communiter in eadem regione postulatur. Etenim, excepto casu quo solum fere universum alicujus regionis in paucorum dominio sit, vix fieri potest ut locatores communiter pretia immodica exigant a conductoribus. Nam si forte, ob minuta agriculturae emolumenta, pretia vigentia fierent nimia,

brevi ob spontaneam diminutionem a probis dominis factam, ob acres conductorum querelas, ob multorum impotentiam ad solvendum, etc. contractus ad justitiae normas *generatim* reducerentur. Id experientia comprobatur : nam ab anno 1876 pretia locationis agrorum, quae plurimum creverant in tota Europa occidentali, jugiter, cum ipsis emolumentis agriculturae, minui coeperunt. Cfr. Antoine, op. cit. p. 522.

§ 2. DE LOCATIONE OPERAE.

645. Operam seu laborem suum locant quamplurimi : alii prorsus intellectualem, ut advocati, medici; alii, prorsus corporeum, ut famuli domestici, opifices; alii mixtum, ut scribae. De quorum omnium justa mercede eadem principia statui possunt et reapse ab antiquis Theologis ponuntur. Nihilominus nostris diebus, ob speciales difficultates, quaestio de justa mercede operam suam locantium restringi solet ad eos qui laborem corporalem diurna mercede remunerandum locant et, proprio sensu, operarii seu opifices vocantur. Hos ergo unice, vel potissimum, in sequentibus assertis stabiliendis intuebimur.

I. Injustitiae argui nequit systema communiter hodie vigens, ut conductor operae humanae operario suo tribuat praemium quoddam determinatum et immutabile, minime vero eum, tamquam socium, in opere suo industriali vel commerciali adsciscat. Nam, dummodo rependat operario justum valorem laboris quem praestat, nihil amplius iste reposcere potest : siquidem a libera voluntate principalis pendet ut ineat cum adjutoribus suis contractum vel societatis (n. 651) vel locationis operae. (Lugo, de Just. et J. disp. 30. n. 2 seq.) Id clare patet ex universali praxi et ex consensu Theologorum. Manifestum quoque est ex Encycl. Litt. SS. D. Leonis PP. XIII *Rerum novarum*, in quibus perpetuo supponitur salarium quoddam fixum juste operariis tribui, non autem dari ipsis partem aliquotam beneficiorum quae ex opere suscepto proveniant. Hinc, nisi aliter conventum sit, non est operario *jus strictum* ad hanc partem aliquotam, quemadmodum nec detrimenta ex infelici successu operis orta herum a solvendi salarii onere liberant. Quatenus autem haec sic dicta *participatio in beneficiis* adhiberi possit ut legitimus ascensus operariorum ad meliorem conditionem foveatur et concordia inter eos herosque vigeat, Oeconomiae Socialis studiosis determinandum relinquimus. Horum etiam est inquirere num systema salarii in aliud mutare juvet, puta efficiendo ut penes ipsos operarios sit dominium instrumentorum laboris et capitalis.

II. Rejicienda est sententia opinantium justum esse quodcumque salarium inter herum et operarium convenerit et " tunc solum fieri injuste, si vel pretium dominus solidum, vel obligatas artifex operas reddere totas recusaret. „ (Encycl. cit.) Nam, si operarius consentit in mercedem quae infra justam haereat, consensus ille, e morali quadam necessitate victus quaerendi oriundus, reapse liber non est injustitiamque non tollit. (n. 499) Hinc reprobandum systema illorum auctorum qui ad " liberalem scholam „ pertinent et totam quaestionem justi salarii libera paciscentium voluntate definiendam putant (la loi de l'offre et de la demande).

646. III. Justum salarium " ex justitia naturali „ debet **sufficere** " **alendo opifici**, frugi quidem et bene morato. „ Hoc assertum suum Leo XIII (Encycl. cit.) probat ex ratione necessitatis quae labori operariorum, una cum ratione personalitatis, inest. Nempe : " Manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc jus reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur : quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat. „ (1)

Nempe labor operarii cum merce vendenda aliquam similitudinem habet, quamvis sub alio respectu ab eadem discrepet. Similis est, quatenus habet valorem venalem qui, fere ob easdem causas ac valor rerum homini extrinsecarum, crescere vel minui potest, qui intra justitiae limites, potest etiam esse infimus, medius et summus (n. 632), et, in alterius utilitatem e contractu praestitus, adaequatam compensationem postulat. Dissimilis est, quatenus vis agens qua labor praestatur, adhaeret personae (ratio personalitatis) et pro plerisque hominibus unicum est medium quo sibi comparent res quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae (ratio necessitatis). Non est igitur subducendus contractus locationis operae generali normae qua justum pretium in contractu emptionis venditionis statuatur, vid. ut opera compensetur, ex ipsa rerum natura et antecedenter ad privatam conventionem (justitia naturalis), vero valore quem in concretis adjunctis habeat. Sed e speciali ratione necessitatis, quae ab humana opera separari non potest, fit ut communiter et seclusis specialibus adjunctis (n. 648), valor hujus laboris

(1) Ex his verbis patet hic non esse attendendum ad valorem salarii nominalem, seu ad certam pecuniae quantitatem qua constat, sed ad valorem ejus realem, seu ad res vitae necessarias vel utiles quas operarius hac pecunia sibi comparare potest. Insuper tamquam pars salarii computanda sunt varia commoda temporalia quoad victum, habitationem, etc. quae ab hero operariis, praesertim in magnis officinis laborantibus, quandoque ex inito pacto praestantur.

nequeat juste aestimari infra illud pretium quod alendo operario frugi et bene morato sufficiat. Generatim ergo habebitur aequalitas inter laborem quo opifex totam operam, quae rationabiliter ab eo postulari potest, in utilitatem heri confert et expensas ab eo faciendas ut, pro regionis et temporis more, seipsum huic labori praestando parem servet. Ipsum igitur pretium rerum quae labore humano producuntur ita erit regulariter determinandum, ut operarii saltem habeant unde congruenter vivant. Manifestum autem est hic agi de norma minima quae a quolibet operario exigi queat, etiamsi nullam specialem peritiam, ampliore pretio dignam, a natura vel arte obtinuerit (unskilled-labour), neque posse ad eam normam detrudi salaria si, in adjunctis in quibus contrahitur, opera humana vulgo majorem valorem habeat.

Hinc peccant contra justitiam commutativam heri qui operariis tribuunt salarium quod honestae eorum sustentationi minime sufficiat, puta quia, ob multitudinem operariorum et paucitatem operum, plures sese offerunt qui hoc diminuto pretio contenti sint. Insuper, cum labor diei Dominicae rationabiliter exigi nequeat, postulat stricta justitia ut sex dierum salarium alendis etiam septimo die operariis sufficiat.

647. IV. Difficilius determinatur quatenus justitia requirat ut operariorum salarium sit **familiale.**

Hoc nomine communius intelligitur salarium quod sufficiat ad alendam operarii familiam in ordinariis fecunditatis adjunctis, puta constantem tribus quatuorve liberis cum uxore. Nullatenus autem requiritur ut stricta aequalitas vigeat inter singula stipendia diurna et expensas quotidie pro familia faciendas. Ut vere familiale dicatur salarium, sufficit ut operarius, adhibitis omnibus subsidiis quae prudentia suggerit, in vitae suae decursu par sit sibi suisque alendis. Inter ea subsidia potissima sunt: ut juvenes operarii et operariae adhuc coelibes ea seponant quae victui non sint necessaria, ut, inito matrimonio, parcius vivant eo tempore quod pro talibus familiis molestius est, nempe dum nullus liberorum adhuc labori ferendo par est, tandem ut uxor illum laborem assumat qui cum debita familiae cura componi potest. (1) Insuper nulla ratione postulari potest ut herus majus salarium solvat operariis matrimonio junctis quam caelibibus: nam primis justitiae commutativae principiis et universali consuetudini contrarium est eamdem operam varium valorem habere pro operantis necessitatibus.

1° Haec obligatio in Encycl. litt. de condit. opificum nullibi clare definitur. Etenim in solo loco in quo R. P. ex professo infimum justi

(1) Cfr. Nicotra, *Le minimum de salaire et l'Encycl.*" *Rerum novarum* „(1893), p. 25; Gayraud, *Questions du jour* (1897), p. 173.

salarii limitem determinat, de familia opificis tacet, rationes autem ita effert ut directe saltem soli operantis personae conveniant. Insuper si, quod quidam opinantur, intendisset quaestionem de salario familiali hoc documento dirimere, non sivisset Em. Zigliara (1891), responso ad Em. Archiep. Mechliniensem dato, scribere : herum qui mercedem tribuit, opificis sustentationi sufficientem, sed ejusdem familiae alendae imparem, non peccare contra justitiam commutativam. Verum quidem est hoc responsum non prodiisse cum approbatione vel ex auctoritate S. Sedis, ac proinde perperam invocari ab iis qui negant obligationem salarii familialis ex justitia commutativa, quasi S. Sedes ipsorum sententiam probasset. Nihilominus vix credibile est SS. D. Leonem XIII sivisse ut tale responsum daretur et ubique in lucem ederetur, si contrarium fuisset doctrinae in Encycl. litt. clare propositae.

2° Non censemus laborem operarii, *in se solo inspectum*, exigere ex justitia commutativa salarium familiae sustentandae sufficiens. Justitia enim commutativa intendit aequalitatem : quae clare apparet inter laborem unius hominis et ea quae ad ipsum alendum requiruntur. At nullatenus apparet quomodo labor unius hominis in se solo inspectus aequivaleat mercedi quae pluribus alendis sufficiat.

Neque dicatur : E stricto officio quod incumbit homini propriae vitae tuendae, seu e ratione necessitatis, deducit R. P. salarium, vi justitiae naturalis, sufficere debere alendo operario ; igitur a pari, e stricto officio quod incumbit homini alendae familiae deducendum est oportere ut salarium sufficiat alendis iis quorum curam, in adjunctis ordinariis, aeque stricto officio gerere debet, neque alia ratione potest quam ope salarii. (1)

Etenim : *a)* R. P. hanc obligationem merito deducit ex officio quod operanti incumbit alendi seipsum, quia haec necessitas est ipsi labori intrinseca : quare vera aequivalentia inter laborem praestitum et personae laborantis sustentationem exsurgit. Perperam vero idem ratiocinium applicaretur officio quod patrifamilias incumbit alendi uxorem et liberos, cum necessitas in qua versatur operarius eos alendi, sit aliquid labori extrinsecum : quod proinde supputandum non est ubi de compensando labore isto in se sumpto agitur.

b) Non est aeque necessarium officium familiae alendae ac sui ipsius alendi. Hoc enim absolutum est; illud, universe pro hominibus spectatum, hypotheticum est, nempe urget tantum si quis matrimonii statum iniit, quod a libera uniuscujusque voluntate pendet, neque ulli determinato homini obligatorium est. Quodsi utraque necessitas aequiparetur, non videmus quomodo logice vitetur haec absona conclusio : salarium

(1) Cfr. Nicotra et Gayraud, ll. cc.

sufficere debere alendis omnibus personis quarum cura singulis operariis jure naturae imponitur. Cfr. De Gryse, De contractu conduct. p. 45 seqq. ; Antoine, op. cit. p. 608 seq.

3° Justitia legalis seu socialis (n. 462) postulat ut salarium familiale operariis tribuatur. (Antoine, op. cit. p. 611) Etenim commune societatis humanae bonum omnino postulat ut operarii vulgo habeant unde matrimonium inire et prolem susceptam, saltem in ordinariis adjunctis, alere possint. Jamvero operarii communiter nullum aliud medium haec praestandi habent quam salarium. Neque a sola caritate ea subsidia pendere possunt. Etenim ordo socialis penitus perturbaretur, si maxima hominum pars et ea quidem cujus labore potissimum comparantur quaecumque ad vitam congruenter ducendam inserviunt, jugiter in necessitate versaretur et solis eleemosynis paucorum ditiorum alenda esset.

Neque exspectandum est singulis donec per legem civilem hujusmodi salarium determinetur. Necessitas enim ad commune societatis bonum satis manifesta est ut unumquemque urgeat sine ampliori determinatione, modo tale salarium dare per adjuncta liceat. Quodsi plures heri hoc officium negligunt, non propterea efficacia sua privabitur quod probi praestiterint, praesertim cum salarium justum taxare primario pertineat ad privatim contrahentes, ad legislatorem autem civilem secundario tantum, ubi privati a norma justitiae pertinaciter aberrare solent. In hunc sensum Leo XIII (Encycl. cit.) de justo salario definiendo : " Ne magistratus, ait, inferat sese importunius, praesertim cum adjuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res judicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae. „ Collegia autem intelligit R. P. " societates, sive totas ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas. „

Itaque in omni societate christianae justitiae legibus serviente, neque inopia universali laborante, spontanea conventione tum herorum, tum operariorum, quos societatis initae robur ab injusta vi tuebitur, in usum inducetur salarium familiale, sensu supra explicato. Quod ubi factum fuerit, salarium hujusmodi etiam ex justitia commutativa dandum erit, sicut in contractu emptionis venditionis pretium vulgare stricta justitia debetur. (n. 633, III) (1)

(1) Profecto haec erat mens antiquorum Theologorum. Nam, ex una parte, justum salarium operariorum, famulorum et similium constanter dicunt illud esse quod attingat saltem infimum gradum mercedis quae in eo loco talibus personis pro talibus ministeriis tribui soleat. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 24. n. 23; Lugo, de Just. et J. disp. 29. n. 62 etc.) Ex altera parte, clare innuunt

Atque ita apte conciliantur duo loci Encycl. de cond. opif. qui prima fronte diversam mensuram salarii indicare videntur. Scilicet, ubi Rom. Pont. determinat quodnam sit justum stipendium operarii, spectato labore ipsius personali et necessario, de solo operario alendo loquitur. Sed brevi post innuit congruam mercedem esse debere " satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat. „

648. V. Quidam tamen casus recensentur in quibus salarium minus dare liceat quam quod, juxta normas praedictas, tribuendum foret :

1° Si conductor solum ex misericordia operarium conducit, neque illius opera utilitatem percipit quae infimum justi salarii limitem attingat. (Lessius, de Just. et J. l. 2. p. 24. n. 25)

2° Si communiter in aliqua regione labor quidam seu industria tam exiguos fructus producit ut herus ipse nequeat simul solvere operariis consuetum salarium et seipsum juxta conditionem suam alere, deductis expensis quae necessario faciendae sunt ut laborem suum prosequi possit. A fortiori idem dicendum si herus cum detrimento suo industriam susceptam prosequeretur, tempora meliora exspectans. Ubi vero alicui hero singulari res minus prospere cedunt, haec ratio esse nequit ob quam stipendium operariorum infra infimum pretium consuetum deprimatur. Nam valor laboris illorum pendet a communi aestimatione, non ab unius alteriusve heri prospera vel adversa fortuna. Pariter injustum foret aliquam industriam incipere quae praevideretur non posse ad felicem exitum duci nisi minutis infra regionis usum salariis operariorum, puta ob nimium auctarium pro capitali solvendum, excepto casu quo, omissa tali industria, iidem operarii in conditione etiam pejore, puta absque ullo labore, viverent.

mentem suam esse ut ii qui nullos alios proventus habeant, sed *toti* in aliquem laborem incumbant, in hoc reperiant unde non tantum se ipsos, sed et familiam suam alant : quare supponunt illo pretio usuali minimo conferri quidquid ad hunc finem necessarium est. Sic Lugo (l. c.) : " Tertio, inquit, (adverto) neque etiam esse injustam semper mercedem, quae non sufficit ad victum et vestitum famuli, et multo minus qua non possit famulus se suamque uxorem et liberos alere. Contingit enim obsequium non esse tanta mercede dignum et multos ea mercede contentos esse, quia possunt simul rebus aliis attendere quibus id quod ad victum et vestitum deficit, supplere et providere sibi possint. „ Similia prorsus habet Molina (de Just. et J. disp. 506. n. 3), quem citat et sequitur Reiffenstuel (Jus Can. in Decr. l. 3. t. 18. n. 110). Ex his ratiociniis concludi potest eos DD. tamquam justum salarium operarii, qui toto tempore libero in utilitatem alterius laborat, illud reputare quod illi ejusque familiae alendae sufficiat. Atque idem salarium usuale esse reputabant : siquidem hoc a justo non differre opinabantur. Id autem ex justitia commutativa deberi tenebant, ob hanc solam rationem quod hoc erat pretium justum infimum, etiamsi de nullo pretio cum operario conventum esset. (Lessius, l. c.)

3° Si operarius nondum viribus plene evolutus vel infra mediocritatem ad laborandum aptus est : nam, ubi de justo stipendio agitur, supponitur semper operarius in conditionibus ordinariis virium et aptitudinis, quae ex mente sana in corpore sano oriri solent. Quemadmodum enim pauper laborandi plane incapax a sola caritate victum suum exspectabit, ita qui capax erit dimidiati tantum laboris, partim etiam a caritate pendere debebit.

Qua proportione in his similibusque adjunctis stipendium operariorum minui possit, definiendum est ex natura causae ob quam illud minuatur. Raro tamen et graves tantum ob causas, licebit minus dare quam quod ad ipsum operarium alendum sufficiat.

649. VI. Ex his regulis patet generatim satisfacturum esse justitiae herum qui solvit salarium quod libenter operarii in aliqua regione pro tali labore accipiunt. Hujusmodi salario soluto, numquam erit obligatio restituendi eo quod non esset datum salarium familiale : hoc enim, in hypothesi praemissa, neque ob naturam laboris, neque ob vulgarem ejusdem valorem, e stricta justitia debebatur.

Attamen fieri potest ut salarium usuali majus tribuendum foret, sive ex justitia commutativa, quia, sine causa excusante, salaria usitata imparia essent alendo operario frugi et bene morato, sive ex justitia sociali, quia eadem imparia essent alendae talis operarii familiae in ordinariis adjunctis. Sed, ut hujusmodi obligatio singulos urgeat, manifeste necessarium est ut industria quam exercent ea emolumenta praebeat quae sufficiant ad moderatum lucrum hero tribuendum simulque augenda stipendia. Hoc autem saepe in potestate singulorum non erit, quia, propter intensam aliorum concurrentiam, pretium laboris notabiliter augere non possunt quin simul mercis pretium augeant ac propterea a clientibus suis deserantur. Quin etiam, ob concurrentiam variarum nationum inter se, tale augmentum inducere saepe nonnisi per industrialium gentium conventionem *internationalem* efficaciter procurari posset. Insuper, si in aliqua regione *passim* salaria non essent familialia, aegre determinaretur quatenus salaria ibidem usitata augenda forent ut justum limitem attingerent. Hunc limitem facile assignat ipsa praxis, ubi supponitur passim tribui salaria alendae operarii familiae sufficientia.

Saepius injustitia committitur dum tribuitur salarium usitato minus, sive operariis individuis, sive etiam, ob quamdam conspirationem herorum, iis omnibus qui certae cuidam industriae sunt addicti, neque ita facile aliam assumere locumve mutare possunt.

650. Hic quaedam addere juvabit de obligationibus et juribus architectorum, redemptorum operum et similium qui, sive conventione

privata, sive post publicam licitationem, opus quoddam determinatum certo pretio peragendum suscipiunt.

1° Hi injuste agunt si operariis a se conductis justum stipendium non solvunt, quo majora beneficia lucrentur vel minore pretio opus oblatum suscipere valeant (1), vel si in exsequendo contractu fraudes adhibent e quibus operae conductor damnum pati possit, puta adhibendo materiam viliorem quam conventum erat, etc. Cfr. Lehmk. I. n. 1127 ; Aertnys, I. n. 505.

2° Si conqueruntur se non potuisse pretio pacto opus perficere, ideoque majorem summam postulant, aequitas saepe suadebit ut aliquid amplius concedatur ; ad strictam vero justitiam quod attinet, videndum quanam e causa illud expensarum incrementum proveniat. Ex communi enim consuetudine, quae hic plurimum attendenda est (n. 593), contractus illi ita fieri solent ut operae locator in se pericula ordinaria, non autem prorsus insolita, suscipiat. Hinc, si expensarum augmentum ortum est e casu plane improviso, puta aquarum extraordinaria vi inter fundamenta scatentium, compensatio e stricta justitia debebitur ; non debebitur vero, si causa est moderatum augmentum in pretium materiae adhibendae vel in opificum salaria inductum. Ubi majores fuere expensae eo quod in iis computandis erravit operis redemptor, probabilius putamus cum Aertnys (l. c.) contra Lehmk. (l. c.) non esse compensationem e stricta justitia faciendam. Id enim magis convenit cum natura aleatoria hujus contractus et cum praxi recepta.

CAPUT VIII.

DE SOCIETATE.

651. NOTIONES. Societas definitur : Conventio plurium contribuendi ad commune lucrum vel usum. (Lugo, disp. 20. n. 1) Hinc duplex potest esse societatis finis : *communis usus*, ut si plures conferant libros quibus singuli uti queant, et *commune lucrum*, ut si plures conferant pecuniam qua negotientur et singulis annis lucrum inter se partiantur.

Codicis nostri Civilis definitio tantum hanc posteriorem speciem, quae sane praecipua est, complectitur. Nam societatem definit : contractum

(1) His injuriis praecavendis sapienter ab aliquo tempore, in Belgio, Germania aliisque regionibus, mos invaluit ut publicorum operum redemptoribus praefigatur clausula solvendi operariis saltem minimum salarium, regionis usu probatum.

quo duo vel plures conveniunt de re quapiam in commune conferenda ut lucrum quod inde oriri possit inter se dividant. (a. 1832)

Res illa quae in commune confertur, consistit in pecunia aliisve bonis vel in industria personali. (a. 1822) Quare, sicut quidam solam sortem seu *capitale*, ita alii solam industriam conferre possunt. Essentiale autem est ut sit communitas in lucro quod e societate oriatur : nam si determinata quaedam et certa summa alicui solvenda statuitur, is jam non habendus est ut socius, sed ut mutuum praestans vel operam locans. Tales sunt ex. gr. administratores cum annuo stipendio a societate conducti.

Hodie in immensum auctus est societatum, praesertim commercialium, numerus : quarum naturam et species explicare potius ad Jus Civile vel Oeconomiam Socialem quam ad Theologiam Moralem pertinet. Hic tantum principia quaedam generalia exhibebimus. quae juvent ad valorem harum dispositionum in foro conscientiae dijudicandum.

652. ASSERTA. I. Finis singularum societatum debet esse licitus, non tantum in conscientia, sed etiam in foro civili (a. 1822), nisi lex civilis positive adversaretur legi naturali vel, quod crebrius continget, legi ecclesiasticae.

Itaque, si finis societatis *illicitus* est, puta pravas ephemerides edere, nemo e contractu quo eam inivit, ad aliquid in futuro faciendum obligatur, quamvis solvere debeat iis qui e contractu jam impleto jus aliquod acquisierunt. Cfr. dicta de contractu turpi n. 582 seq. Sin autem *injustus* est finis societatis, puta ad merces sophisticatas vendendas, socii damnum illatum reparare tenentur, et plerumque in solidum. (n. 548)

II. In dividendo lucro inter varios socios, servanda est proportio geometrica inter id quod socius apponit ex suo, et lucrum quod participat, ita ut qui plus apponit, vel in capitali, vel in industria, vel in periculo cui se exponit, cum eadem proportione plus de lucro participet. Hoc enim manifeste postulat hujus contractus aequalitas, nisi mixtus sit aliqua donatione, quae non oriatur e necessitate vel ignorantia, sed ex amicitia et liberalitate unius socii erga alios. (Lugo, disp. 20. n. 10)

III. In dividendis lucris vel ferendis damnis, quae ex societate oriuntur, ante omnia servanda sunt pacta inita, nisi speciali jure positivo

(1) Videri potest C. C. aa. 1832-1873, et praesertim C. Commercialis lib. I. Tit. IX, quo exhibentur dispositiones legum Belgicarum 18 Maii 1873 et 22 Maii 1886. Nam Codicis Civilis statuta non applicantur societatibus commercialibus nisi in iis rebus quae nullatenus contrariae sunt legibus vel usibus commercii. (C. C. a. 1873)

reprobata sint vel manifestam injustitiam contineant. Haec autem non facile asserenda est : nam saepe inaequalitas, ex uno capite apparens, compensatur ex aliis capitibus et circumstantiis individuantibus, quae facile variant et non minus debent in considerationem venire. Ideo fieri potest ut e duobus sociis unus habeat partem in lucro et nullam in damno : nam potest ejus industria et opera tanti aestimari ut compenset abunde has omnes inaequalitates. Illa ergo sola societas semper tamquam injusta reprobanda est in qua ad unum socium totum damnum et nihil lucri pertineat. (Lugo, l. c. n. 13) Ideo unica regula universalis de lucro et damno inter socios dividendis assignari potest : ut ex communi aestimatione et prudentum arbitrio, pro variis adjunctis, res decernatur. (Ball. P. n. 546)

IV. Deficientibus expressis conventionibus, observandae sunt, etiam in foro conscientiae, leges civiles et consuetudines inter negotiatores receptae. Nam singuli, societatem ineundo, contractum secundum has normas intelligere debuerunt, nisi contrarium expresse declaraverint.

V. Similiter tempus quo singuli teneantur in societate inita manere, primario e pacto expresso, secundario e legibus et usibus determinandum est. Ubi ex justitia non apparet stricta obligatio ad manendum in societate, fieri tamen potest ut eadem ex caritate oriatur, nempe si quis, poscendo ut res communis statim dividatur vel aliter se retrahendo, socios gravi damno exponeret, et sine gravi incommodo proprio exspectare posset. (1)

CAPUT IX.

DE MANDATO.

653. NOTIONES. Mandatum est contractus quo unus (mandans) alteri (mandatario) acceptanti dat facultatem aliquid pro mandante et illius nomine gerendi. (C. C. a. 1982)

(1) Veteres AA. multa scripsere de contractu hodie antiquato, qui *trinus* vocabatur eo quod in se triplicem contractum, nempe societatis, assecurationis sortis et assecurationis lucri continebat. Ex. gr. Petrus Paulo ad negotiandum dat 100 fr. e quibus probabiliter 15 fr. lucri sperare possit per initam societatem. Sed Paulo ut assecuret sortem, 5 fr. et ut lucrum assecuret, 5 alios e lucro probabili remittit : unde tandem Petrus percipit 5 %, perinde ac si pecuniam mutuam cum hoc fenore dedisset. Hunc contractum antiqui DD., dummodo lucrum sit moderatum, communiter licitum esse existimabant. (Lugo, l. c. n. 40) Hodie, cum universim liceat mutuum cum fenore moderato, jam penitus obsolevit contractus trinus.

In Jure nostro. mandatum potest vel gratis vel cum pacto mercedis expresso aut tacito iniri. (a. 1986) Ut ergo cognoscatur num mandatario sit jus ad mercedem, attendendum est tum ad conventiones expressas, tum ad receptas consuetudines. Manet tamen semper inter mandatum cum stipendio et locationem conductionem essentiale discrimen, quod mandatarius, non autem operae locator, agit nomine principalis in gerendis negotiis sibi commissis.

Plura de ratione qua mandatum oritur vel exspirat, videsis in C. C. tit. XIII. Hic quaedam tantum adnotabimus de praecipuis mandantis et mandatarii obligationibus in foro conscientiae.

654. I. Mandatarii obligationes praecipuae sunt :

1° Mandatum integrum exsequi nihilque ultra ipsius limites agere. (a. 1989) Si quid ultra limites agit, damnum vel lucrum jam non ad mandantem, sed ad mandatarium spectat.

2° In foro externo (a. 1992), compensare damna quae, non tantum ex dolo, sed ex culpa, in adimplendo mandato admissa, oriantur. Major autem diligentia a mandatario requiritur ubi mercedem accipit quam ubi gratis rem gerit. Ante judicis sententiam, ad talem compensationem faciendam non tenetur, nisi gravem culpam theologicam admiserit vel expresse strictiorem obligationem stipulatus fuerit. (Marres, l. 4. n. 395)

3° Fenus solvere pecuniae quam in usum suum adhibuit, vel quam adhuc detinet quando in mora solvendi ponitur. (a. 1996) Attamen exspectare potest donec mandans hoc fenus petat : nam, propter usum sat communem, merito supponere potest illum huic juri renuntiare, nisi contrariam mentem ostendat. (Marres, l. c. n. 292)

4° Nullam occultam compensationem facere nisi, ex antea dictis, jus ad mercedem habeat. Cfr. dicta de proxenetis, n. 639.

655. II. Mandantis obligationes praecipuae sunt :

1° Exsequi obligationes quas ipsius nomine, intra mandati limites, mandatarius iniit ; si quas extra hos limites iniit, mandans iis stare debet tantum ubi eas expresse vel tacite ratas habuit. (a. 1998)

2° Solvere expensas in exsequendo mandato factas et stipendium, si quod promissum est, etiamsi res, absque culpa mandatarii, juxta leges civiles interpretanda (n. 654), malum exitum habuerit. (a. 1999)

3° Compensare damna quae mandatarius, absque culpabili imprudentia, in negotio gerendo passus est. (a. 2000) Attamen si dubium est num revera, occasione mandati vel absque imprudentia culpabili, hujusmodi damna acciderint, exspectare potest sententiam judicis. (Marres, l. c.)

N. B. Huic contractui affinis est quasi-contractus qui vocari solet

negotiorum gestio, quo aliquis, sine expressa conventione, suscipit alterius rem gerendam, ex. gr. curam alendi et reducendi ad dominum animal aberrans. Negotiorum gestor, in Jure nostro (a. 1372), declaratur subjacere cunctis obligationibus quae e mandato domini expresso ipsi incumberent. Similiter, in foro conscientiae, ipsi et ei cujus negotium gessit, fere eadem applicari possunt quae de obligationibus mandatarii et mandantis, in eodem foro, dicta sunt. Probabilius jus habet ad aequam compensationem laboris quem in re aliena curanda vel ad dominum referenda assumpsit ; nihil tamen stricte exigere potest ex eo quod rem domino reddit vel non destruxit. (Ball. P. n. 559)

CAPUT X.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

§ 1. DE ASSECURATIONE.

656. NOTIONES. Assecuratio est contractus quo assecurator pro certo pretio (prime) se obligat ad praestandam assecurato compensationem damnorum quae iste passus sit ob casum fortuitum vel vim praevalentem. (Legis Belgicae 11 Jun. 1874, qua contractus iste regitur, a. 1 ; Cod. Comm. Tit. X et XI) Reducitur ad venditionem, quatenus pro pretio justo venditur obligatio periculum rei alienae subeundi. (Lugo, disp. 31. n. 93 seq.)

Assecurandi consuetudo hodie plurimum invaluit et ad res fere omnis generis extensa est. Quare regulas quasdam de talium contractuum justitia in foro interno statuere necesse est.

657. ASSERTA. I. Ante omnia, ut assecuratoris et assecurati tum jura, tum obligationes determinentur, contractus clausulae inspiciendae sunt ; his deficientibus, servandae sunt leges quae de hoc argumento fere ubique editae sunt. Excipe si qua clausula vel legis dispositio manifeste injusta foret.

II. Ad justitiam hujus contractus requiritur ut pretium sit aequale periculo quod suscipitur : quod tamen non ex eventu, sed e quantitate periculi, tempore contractus initi, judicio prudentum, determinandum est. (Lugo, l. c. n. 94) Patet ex iis quae de justo pretio emptionis venditionis dicta sunt. (n. 631)

Hinc, cum Ball. P. (n. 628) contra Lehmk. (I. n. 1135), opinamur non esse injustum lucrum etiam ingens quod assecuratores faciant. Nam, si singuli assecurati solvunt pretium quod respondeat servitio quod ipsis a societate praestatur, non officit justitiae quod per accidens, puta ob ingentem eorum numerum, lucrum extraordinarium ex. gr. 20 % a societatis membris percipiatur. Hoc enim tamquam fructus industriae vel aleae spectari potest. Deinde, cum non soleat lex civilis prohibere quominus novae societates assecurationis condantur, vix fieri poterit ut, si tantum lucrum soleat stabiliter percipi a societatibus jam exstantibus, non exsurgant aliae quae minuto pretio clientes ad se alliciant.

III. Requiritur etiam ad justitiam hujus contractus, ut periculum rei assecuratae integre declaretur, neque post assecurationem augeatur. In Jure nostro (Legis cit. a. 9), invalidus dicitur contractus assecurationis, quoties aliquid reticetur vel falso declaratur, etiam sine mala fide, quod periculi existimationem minuat vel ejus objectum mutet, ita ut assecurator, si hanc circumstantiam cognovisset, non fuisset iisdem conditionibus contracturus. Solent quoque addi variae clausulae quibus assecuratores se a fraudibus et augendo periculo tueantur.

Igitur contractus erit nullus, et soluta forte compensatio restituenda erit si, in declarando periculo rei assecurandae, circumstantia tanti momenti omissa vel falso expressa est ut, veritate cognita, assecurator nullatenus contrahere voluisset : nam, cum periculum rei sit materia hujus contractus, error notabilis in eo declarando substantialis est. Si autem error admissus talis fuit ut, veritate cognita, assecuratores nihilominus contractum iniissent, sed majus praemium postulassent, non videtur contractus nullus esse antequam sententia judicis irritetur : aequitas enim suadet ut ita legem interpretemur, ne facilius assecurati omni beneficio contractus sui priventur. Compensandum tamen erit quod praemio justo solvendo, pro taxa societatis de qua agitur, defuerit. Si hujusmodi error e dolo contigit, idem dicendum censemus : nam cliens in casu per hunc dolum non dedit causam contractui simpliciter sumpto, sed tantum decremento praemii. Cfr. n. 590. Eodem modo solvendum ducimus casum quo, post initum contractum, periculum augetur.

IV. Requirit quoque justitia ut assecurator par sit compensandis damnis pro quibus respondit: secus enim veram securitatem non praebet. Ut autem censeatur par damno compensando, non est necessarium ut disponere valeat de pecunia aequali bonis pro quibus respondet : nam, si illa bona, ut solet, non sunt uni periculo exposita, puta quia sunt in diversis navibus, domibus etc., plane improbabile est ea omnia simul peritura et compensanda esse. Quare assecurator par esse debebit tantum

compensandis damnis quae verisimiliter timenda sint. Qui impar fuerit, poterit tamen retinere partem pretii respondentem valori pro quo reapse securitatem praestitit, ut opinatur Gury (Casus I. n. 1013) contra Lehmk. (I. n. 1134), qui censet nihil retineri posse, quia in securitatem partialis valoris dominus non consensit. Nam rectius censendus est dominus voluisse ut per hunc contractum obligaretur assecurator ad securitatem praestandam, quantum praestare posset.

Quodsi res periit, manebit obligatio integrae compensationis praestandae partim e contractu, partim ex injusta fraude qua assecurator dominum impedivit ne alibi efficacem assecurationem quaereret.

658. V. Juxta legem civilem (a. 16), assecurator nullum damnum resarcire debet quod actione aut culpa gravi assecurati causatur ; saepe eadem dispositio per contractus clausulas extenditur ad proxime cognatos, qui in instrumento nominantur. Similiter lege excluduntur (nisi expressa stipulatio in contrarium fiat) damna orta e bello vel populari tumultu (a. 19), imo e vitio rei intrinseco (a. 18) : quod ultimum tamen, pro assecuratione contra incendium, valet tantum si constat vitium illud notum fuisse assecurato quando contractum iniit. (a. 35) Hinc, si culpa theologica gravi assecurati vel alius in instrumento designati damnum illatum est, nihil in conscientiae foro exigi aut servari potest : nisi forte, in rebus minoris momenti, assecurator sponte compensationem facere velit. Ubi vero culpa juridica tantum talis personae damnum contigit, jus ad compensationem amittetur tantum post judicis sententiam. Idem dicendum de casu quo dubitatur num culpa sit theologice gravis. (Marres, n. 480 seqq) Quodsi damnum culpa theologica alius personae acciderit, assecurator (nisi expresse contrarium stipulatus sit) ad damnum reparandum tenebitur : succedit tamen in omnia jura assecurati contra damnificatorem. (a. 22)

Nec potest petere damni compensationem qui de industria omisit ea facere quae damnum impedivissent vel minuissent, ex. gr. nolendo auferre ex incendio ea quae facile auferre potuisset. Ita e contractus natura et jure positivo. (a. 17)

VI. Assecurator tenetur tantum ad compensandum damnum quod assecuratus reapse passus est, attento valore rei consumptae eo tempore quo periit. (a. 20) Quodsi pretium pro parte tantum objecti assecurati solutum est, assecurator pro rata valoris istius tantum compensare debet, nisi contrarium expresse in contractu statutum sit : nam in hoc casu ipse assecuratus habetur tamquam assecurator pro reliquo valore. (a. 21) Quare injustus foret assecuratus qui majorem compensationem exigeret ; posset tamen majorem accipere quam assecuratores, nulla

fraude circumventi, sponte offerrent vel quam arbitri statuerent. (Marres, n. 477)

VII. Qui voluntariam incendii causam posuit et pro rebus combustis compensationem recepit, vel qui aliis fraudibus ab assecuratoribus compensationem obtinuit ad quam jus non habebat, pecuniam receptam restituere debet iis quibus suo scelere damnum intulit. Verum, cum soleant societates plures sibi invicem securitatem praestare, non facile innotescet quis reapse damnum passus sit, neque, ob varia pericula reo imminentia, plerumque indicari poterit societatis administratoribus pro qua re compensata fiat restitutio. Practice igitur videtur sufficere ut praefatis administratoribus restituatur, cum melius detegi nequeat persona laesa et, si ita regulariter fit, compensatio quaedam inter varias societates existat. Insuper, ob hanc incertitudinem et exiguam laesionem quae singulis actionum hujus societatis possessoribus infertur, plerumque etiam pauperibus vel causis piis restitui poterit. (Lehmk. n. 1134) Cfr. n. 552. In eodem casu sat crebro occurrere possunt causae ob quas restitutio differri queat, quales sunt impotentia physica vel moralis, timor infamiae vel poenae, etc.

VIII. Speciales difficultates morales praebet contractus qui dici solet **assecuratio vitae.** Multae enim et implexae quaestiones ab assecuratoribus proponi solent clientibus suis, ut, quantum fieri potest, cognoscatur qualem vitae durationem assecurandi sperare possint. Jamvero nunc fraude, nunc mero errore contingit ut his quaestionibus perperam responsum sit, ac proinde, de valore contractus dubium oriatur. Accurate harum quaestionum sensum et morale momentum explicat Huppert (Der Lebensversicherungsvertrag). Nos breviter praecipuas quasdam regulas statuemus :

1° Etiam ante judicis sententiam, invalidus est contractus si negata vel reticita est circumstantia qua notabiliter minuatur probabilitas vitae ab assecurando protrahendae, ita ut assecurator, veritate cognita, contractum nullatenus inire voluisset. Talis enim error est substantialis (n. 588) : siquidem substantialiter mutat contractus objectum, seu vitam assecurandam. Exemplum habes in cliente qui reticeret sanguinis vomitum vel alia indicia probabilia mortis praematurae. Igitur si cliens bona fide egit, jus servat ad recuperanda praemia a se soluta ; ii vero in quorum favorem assecuratio facta est, nullum jus acquirunt ad summam, de qua convenerat, percipiendam vel retinendam. Sin autem mala fide cliens decepit assecuratorem, debet praeterea ipse (vel ejus haeres) indemnem facere societatem assecurationis pro omnibus expensis quas, ob contractum istum invalidum, fecit.

Saepe tamen contractus, initio nullus, decursu temporis convalescit. Etenim :

a) Pleraeque societates in suis statutis declarant se renuntiare cuilibet juri contractum impugnandi ob falsas declarationes, postquam per quinque annos jam duraverit. (Huppert, op. cit. p. 45)

b) Quandoque, labentibus annis, apparebit circumstantiam reticitam jam non esse notabilem, puta dum sanitas assecurati praeter omnem spem convalescit. Quare, cum virtualiter perseveret assecuratoris consensus, contractus ipse validabitur.

Neque irritus censendus est contractus, si notabilis sanitatis defectus ita latebat ut nec clienti, nec medico innotescere posset. Nam, cum finis assecurationis vitae sit prospicere iis necessitatibus quae praevideri nequeant, assecurator debet in se suscipere ea pericula quae e causis omnem cognitionem fugientibus oriantur. (Huppert, op. cit. p. 43)

2° Contractus valet, et, prout jacet, ab utraque parte exsecutioni mandandus est, si falso declarata vel reticita est circumstantia exigui momenti, puta si quis falso negat remedia homoeopathica a se adhibita esse vel, interrogatus num chirurgicam operationem subierit, reticet carbunculum sibi excisum fuisse. Ratio est assecuratorem, etiamsi veritatem cognovisset, fuisse contracturum iisdem conditionibus quibus nunc contractum sit. Quod si statuta alicujus societatis universe declarant quolibet errore in responsis vitiari contractum, exspectari poterit judicis sententia : aequitati enim repugnat ut assecuratus, propter errorem levis momenti, omni jure careat.

3° Contractus etiam valet, si reticita est circumstantia qua cognita assecurator contractum inivisset, sed majus praemium postulasset ; similiter si falso expressa est circumstantia, ob quam minutum sit praemium quod assecurator, veritate cognita, postulasset. Exemplo sint qui reticent morbum quo non omnino leviter minuitur spes vitae protrahendae, vel se fingunt aetate minus provectos quam reapse sint. Sed in hoc casu, restituenda est aequalitas inter contrahentes, datis assecuratori praemiis qualia veritate cognita postulasset, et, si error e culpa theologica clientis ortus est, ab eodem compensandae sunt expensae quas forsan propterea fecit assecurator. Cfr. n. 589 seq.

§ 2. DE LUDO.

659. Ludus hic intelligitur contractus quo ludentes inter se paciscuntur ut res quaedam victori in praemium cedat. Alio sensu, eadem vox designat operationem quamdam artificialem, ad animi relaxationem vel corporis exercitationem ordinatam : quam moderatur virtus eutra-

peliae. (n. 253) Saepe tamen contractus ludi, quem solum hic consideramus, adjicitur ludo, posteriore sensu accepto : quare non raro AA. ab uno sensu ad alterum transeunt. (Ball. P. n. 570 seq.)

660. Ut **justitia** in contractu isto servetur, requiruntur sequentes **conditiones :**

I. Ut ludens juste *possit alienare quae ludendo exponit.* Ideo injustus est qui exponit rem alienam, vel rem suam, sed cujus liberam administrationem non habet, ut saepe contingit pro filiofamilias, vel rem suam et cujus liberam administrationem habet, sed quam amittere nequit quin se imparem faciat obligationi justitiae implendae, puta debitis solvendis.

Nihilominus qui ludit pecunia aliena et lucratur, per se lucrum servare potest, tamquam industriae fructum. Attamen, si in bonis propriis non habebat unde alteram partem, in casu adversae fortunae, indemnem faceret, nihil ab ea exigere potest : nam aequalitatem laesit, dum alterum voluit obligare ad aliquid dandum, ipse vero se ad nihil obligavit. At si ludo amiserit rem alienum, haec erit domino reddenda a victore, qui eam in se vel in aequivalenti detinet, ut fit in casu evictionis ; victus autem damnum e bonis propriis victori vel, si victor non restituerit, domino rei expositae compensare debebit. (Ball. P. n. 579 seqq.)

Saepius dubia oriuntur de filiisfamilias ludo indulgentibus. Ipsi possunt e bonis quae ad parentes pertinent, sed filiis dantur, ex. gr. ad sustentationem quando extra domum paternam degunt, 5 % ludo exponere, juxta communem DD. sententiam, eo quod recreatio honesta et moderata est pars necessariae sustentationis ; similiter probabilius exponere possunt lucrum quod jam e ludo obtinuerint, cum etiam ad hoc supponi possit parentum consensus. (Lugo, disp. 31. n. 20 seqq.) Qui vero ludendo cum filiofamilias victor fuit, lucrum servare potest, praesumendo illud licite potuisse ab eo exponi ; reddere tamen deberet, si vel parentes juste reclamarent vel summa adeo immodica esset, pro conditione adolescentis, ut, etiam ante parentum reclamationem, pateret eam non potuisse juste ab eodem exponi. (Ball. P. n. 582) Nihil profecto restituendum est a victore, si filiusfamilias ludo amisit ea quae ad eum pertinent, sed quorum administratio est penes patrem vel tutorem. Cfr. n. 470.

II. Ut contractus *libere ineatur.* Ideo victor restituere debet quidquid accepit, tamquam lucrum, ab eo qui lusit semi-ebrius : is enim contractus ineundi, saltem ubi materia notabilis est, incapax erat. (n. 586)

Ubi vero victor victum ad ludendum metu vel dolo induxit, disputa-

tur inter DD. num lucrum retinere possit. Negat Lugo (disp. 31. n. 28), propter obligationem, quam injuria secum affert, restituendi totum damnum ex injuria subsecutum. Affirmat vero tamquam per se probabilius S. Alph. (n. 880), quia damnum non provenit ex injuria, sed ex infortunio et casu. Admittit tamen et ipse S. Doctor teneri victorem ad restitutionem, si metum passus eam petierit. Cum insuper vix metu coacturus sit ad ludum qui non sit, propter fraudem vel praepotentem peritiam, de victoria certus, practice fere semper tale lucrum restituendum erit.

III. Ut *ne misceantur fraudes* contra ludi leges : hoc enim aperte injustum est. Ideo qui per fraudes lucratus est, tenetur et lucrum restituere et compensare spem victoriae quam colludens, cessante fraude, habuisset. Attamen injustitiae arguendi non sunt qui utuntur astutiis illis quas regulae lusus et recepta consuetudo patiuntur, ex. gr. si potiores chartas habens simulet metum ut adversarius sponsionem augeat, si quis inspiciat alterius chartas ex sola istius negligentia et absque fraude, si a tergo discat nosse inter ludendum chartas quas ante non signarat, nec noverat. (S. Alph. n. 882)

IV. Ut *servetur aequalitas inter ludentes*, cum contractus iste sit onerosus. Attamen de sensu hujus conditionis non conveniunt AA. Multi, ut Lugo (l. c. n. 46), existimant excessum notabilem peritiae in uno ludente, nisi melioribus conditionibus alteri factis compensetur, inducere injustitiam in ludum, ob defectum aequalitatis : unde qui, hujus peritiae suae multo majoris conscius, ludum instituerit, ad lucrum restituendum teneretur. Alii tamen, ut Ball. P. (n. 599), opinantur nihil esse restituendum, dummodo fraus abfuerit. Nam, si minus peritus noverat alterius praepotentiam, applicetur adagium quod *scienti et volenti non fit injuria* : si eam ignoravit, ipse sibi imputet quod temere luserit cum homine de cujus peritia diligenter inquirere debuisset. Utraque sententia probabilis est.

661. Praeter has conditiones quae ad justitiam contractus ludi requiruntur, et aliae quaedam observandae sunt ne contra alias virtutes peccetur, speciatim : 1° Ne exponatur pecunia qua quis indigeat ad familiam alendam. — 2° Ne ludi fiant lege prohibiti. Nulli tamen, in Jure nostro, prohibentur. Juris autem Canonici prohibitiones jam quoad laicos in desuetudinem iverunt. De eadem prohibitione quoad clericos dicetur Vol. II. n. 42. Per se autem nullum peccatum, etiam veniale, committitur ab eo qui principaliter vel unice ludit propter lucrum : nam nulla inordinatio in hoc est quod actio illa dirigitur ad finem ad

quem utilis est, etiam aliis finibus praetermissis: lucrum autem ad finem honestum ordinari potest. (Lugo, l. c. n. 4)

Magnam pecuniae summam una vice moraliter sumpta exponere, quidam, ut S. Franc. Sal. (Philot. p. 3. c. 29), injustum reputant, sed plerique probabilius a stricta injustitia per se excusant. (Ball. P. n. 575) Haec tamen videtur, natura sua, prodigalitas, opposita recto usui bonorum fortunae quem humanae societatis ordo requirit : qui defectus venialis est, dummodo non laedantur alia officia magni momenti, ex. gr. se imparem faciendo solvendis debitis vel familiae alendae. Practice igitur, sicut non est obligandus victus ad dandam talem summam, ita nec victor obligari potest ad eam reddendam, etiamsi victus rem tertio debitam injuste exposuisset. Cfr. n. 610, 5°.

Nullum dubium esse potest quin gravissimis peccatis scandali et cooperationis peccent qui publicas aedes aperiunt ludis, in quibus multi soleant suum et familiae patrimonium prodigere : unde ad omnimoda scelera et ad ipsum suicidium non raro inducantur. Idem dic de iis qui, majoris lucri gratia, pecuniam conferunt ad societatem ludorum constituendam, quae manifeste vel aequivalenter publica sit. Recte opinatur Lehmk. (I. n. 1140) gubernia tales domos tolerare tantum posse ut meretricum domos, nempe si haec tolerantia, propter morum corruptelam, necessaria sit ad majora mala cavenda, et quatenus ad hunc finem necessaria sit.

§ 3. DE SPONSIONE.

662. Sponsio, ut communiter initur, est contractus in quo duo, de veritate aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent ut id ejus sit qui veritatem assecutus fuerit.

Huic contractui applicari possunt, cum debita proportione, omnia quae dicta sunt de ludo, quocum magnam habet similitudinem. Insuper, ad obligationem in foro conscientiae definiendam, haec notentur :

1° Controvertitur inter AA. num is qui de futuro eventu certus est, sponsionem inire et pignus sponsionis retinere possit.

Plerique, cum Lugo (l. c. n. 81) et S. Alph. (n. 879), autumant id esse injustum : quia deficit omnino aequalitas. Nam spes lucri quae alteri traditur ab eo qui certus est se fore victorem, ab hoc cognoscitur nullius esse valoris ; unde hic alterius ignorantia abutitur, haud secus ac si id quod optime nosset esse vitrum, venderet pro gemma ei qui gemmam sibi vendi existimaret. Alii tamen, ut Sanchez (Cons. Mor. l. 1. c. 8. dub. 13. n. 11), Marres (l. 4. n. 507), Waffelaert (I. n. 713), probabiliter opinantur id non esse injustum, dummodo unus se certum esse declaret,

alter vero nihilominus spondere velit. Nam hac protestatione sua prior posteriori satis significat non esse in casu locum contractui sponsionis oneroso ; si ergo alter spondendo perseverat, debet intendere sponsionem gratuitam seu promissionem dandi, dummodo certa quaedam conditio verificetur.

2° Si objectum sponsionis est illicitum, puta de injuria vel intemperantia patranda, applicanda sunt dicta n. 584 de contractu turpi. Igitur, post patratam rem illicitam, praemium practice nec dandum, nec restituendum est.

3° Lex civilis nostra in eodem censu habet obligationes ortas e ludo atque e sponsione. Nempe debitis ex utroque contractu oriundis civilem actionem denegat, exceptis tantum moderatis lucris quae oriantur e quibusdam ludis ad corporis peritiam et exercitium pertinentibus. Attamen nemo actione judiciali repetere potest quod sponte solvit, nisi victor adhibuerit dolum vel fraudem. (C. C. a. 1965 seqq.) Igitur lex civilis obligationes e ludo vel sponsione ortas relinquit quales sunt jure naturali.

4° Si quis luderet cum proposito non satisfaciendi obligationi suae, sed utendi beneficio legis, is certe affectu justitiam laederet. Nihilominus contractus maneret validus, ut contra Lessium (de Just. et J. l. 2 c. 26. n. 31) opinatur Lugo (l. c. n. 54 seqq.). Ratio est quod, ut patet e multis contractibus, puta matrimonii, ad valorem contractus non requiritur in contrahente animus exsequendi id ad quod se obligat, sed sufficit animus obligandi se ea obligatione cujus contractus est capax. Qui tamen nollet se obligare ad solvendum, nullum contractum iniret, ideoque certe ad restituendum lucrum teneretur.

De sponsionibus, aeque ac de ceteris ludis, severius loqui solent Jurisperiti, nec immerito : siquidem non inspiciunt, more Theologorum, singulos actus spondendi vel ludendi, sed consuetudinem, quae, ob aestum lucri, fere necessario cum innumeris fraudibus, abusibus et scandalis connectitur, prout lugenda experientia constat, tum in ludis, tum in sponsionibus, quae praesertim de equorum cursibus, cum funesta ingentium pecuniarum profusione frequentari solent.

§ 4. DE SORTITIONE SEU LOTERIA.

663. Loteria definiri potest : contractus quo singulis, certum pretium solventibus, datur jus ad obtinendam rem vel pecuniae summam, si eis sortitio faverit.

Hic contractus per se nihil illiciti continet, ut patet ex iis quae de contractibus aleatoriis et imprimis de ludo, quocum loteria magnam

habet connexionem, dicta sunt. Speciatim autem haec observanda sunt :

1° Aequalitas in hoc contractu postulat ut certum pretium, quod a singulis datur, proportionem habeat cum praemio proposito et spe illud obtinendi : quae spes cum valde exigua esse soleat, facile proportio haec violatur.

2° Plures AA. (ut Gury, I. n. 943 ; Lehmk. I. n. 1137) opinantur justitiam requirere ut, nisi in opus pium fructus loteriae adhibendus sit, lucrum moraliter excedere nequeat id quod loteriam instituens percepisset, si pecuniam vel merces suas in aliud honestum negotium impendisset. Alii tamen, ut Ball. P. (n. 614), probabilius censent hanc regulam esse aequo severiorem : eo quod justitia in contractu aleatorio est in aequalitate periculi inter ludentes et in aequalitate spei, non in aequalitate lucri ex ludo et ex negotiatione. Sic et in ludo, is cui favet sors plus lucratur quam eodem tempore cum eadem summa negotiando lucrari potuisset. Attamen, ubi multum crescit lucrum loteriae, fere necessario laedetur aequalitas omnino requisita inter spem et pretium. Id non obtinet quando in opus pium fructus loteriae adhibendus est, cum participantes tunc sponte consentiant ut plus dent quam accipiant.

Contractus ille natura sua ad multos abusus ducit, ut experientia constat. Ideo in plerisque regionibus generatim lege civili prohibetur. Ita in Belgio loteriam publice instituere non licet nisi cum facultate municipii, auctoritatis provincialis, vel gubernii, prout schedularum emissio fit et ephemeridibus nuntiatur tantum in civitate, vel in provincia vel in toto regno. (Lex Belgica 31 Dec. 1851)

§ 5. DE LUDIS SEU SPECULATIONIBUS BURSAE.

664. Ludi Bursae proprie vocantur operationes quae, praesertim in Bursa commercii, non numerata, sed credita pecunia peraguntur.

Versari possunt tum circa *valores* qui creditum repraesentant, ex. gr. actiones et obligationes Status, civitatis, societatum, etc., tum circa *mercimonia*, ex. gr. cafaeum, frumentum, etc. Distinguuntur operationes *ad terminum* (à terme) et operationes *ad praemium* (à prime).

In operationibus ad terminum emuntur valores venduntur ve merces ita ut pretium solvendum sit tantum post certum tempus, nempe die qui *liquidationis* dicitur et pro variis locis varius est, puta primus vel decimus quintus mensis ; pretium autem, quod perpetuis mutationibus obnoxium est, solvendum erit quale, die liquidationis, in Bursa vigebit. Admiscebitur ergo emptioni venditioni *speculatio* de mutatione quae usque ad illum diem contingere potest. Imo plerumque animus contrahentium minime est ut, die statuto, tradantur valores vel merces, sed tantum ut ab eo cui mutatio pretii adversetur, *differentia* alteri solvatur.

Ita, si pretium auctum est, venditor tradere debet excessum prae illo pretio quod die venditionis vigebat ; sin autem minutum est, emptor solvere debet discrimen inter pretium praesens et pretium de quo convenit. Ex. gr. si quis vendidit obligationes valentes 100, quae die liquidationis valeant 102, debebit pro singulis solvere 2 fr., dum jus habebit ad aequalem compensationem si eadem die jam non valent nisi 98.

In operationibus ad praemium, emptor sibi reservat jus rescindendi contractus die statuto, puta pridie liquidationis : quod si faciat, cedere debet venditori certam summam quae praemii nomine vocatur ; sin autem declarat velle se ut contractus maneat, emptio venditio quae prius facta erat conditionate, fit absoluta. Quandoque etiam venditori simile jus rescindendi contractus, sub conditione ut praemium emptori relinquat, conceditur.

665. ASSERTA. I. Speculationes Bursae, si in se et singillatim inspiciuntur, justitiae non adversantur.

Etenim operationes ad terminum, etiamsi sine ullo animo valores mercesve emendi et vendendi fiunt, nihil aliud sunt nisi sponsio de pretii augmento vel decremento (jouer à la hausse, à la baisse) : quare licent, sicut sponsiones, modo hujus contractus conditiones in iis serventur. Operationes ad praemium sunt venditiones ad creditum cum speciali jure, quod emptori relinquitur, rescindendi contractus : modo praemium non excedat id quod rationabiliter pro hoc jure exigi possit, nihil injusti in iis apparet.

Neque per se ullam injustitiam continere videntur contractus qui, tamquam accessorii, saepe adduntur operationibus ad terminum, dum eaedem ad ulteriorem diem prorogantur, soluto certo pretio pro pecunia virtualiter mutuata (report) vel pro valorum locatione (déport). (Ball. P. n. 624) Horum contractuum naturam fusius explicatam videsis apud Gury, Casus Consc. I. de Emptione, cas. 17, et Antoine, Cours d'économie sociale, p. 367 seqq.

II. Consuetudo vacandi ludis Bursae, propter lucri capiendi facilitatem, natura sua in multas injustitias impellit. Praecipuae sunt :

1° Sparguntur falsi rumores ex. gr. de statu prospero vel calamitoso alicujus regni, societatis, etc., vel alii doli adhibentur quibus pretium valorum vel mercium crescat vel minuatur.

2° Tanta summa his plane aleatoriis negotiis exponitur ut periculum oriatur amittendi ea quae requiruntur ad satisfaciendum creditoribus et ad familiam alendam.

3° Ineuntur hujusmodi speculationes dum probabiliter praevidetur bona propria non sufficere ut *differentia* (si fortuna adversa fuerit) sol-

vatur. Hoc enim aperte adversatur aequalitati, nisi alter contrahens labilem statum compartis noverit.

4° Coemuntur magno numero valores et hoc quasi monopolio efficitur ut pretium artificiose ultra vel citra realem valorem augeatur vel minuatur : unde non raro aliorum multorum ruina sequitur. (Lehmk. I. n. 1136)

Propter haec et alia mala, quae in universam societatem ex hac ludorum Bursae consuetudine dimanant, merito a multis postulatur ut civili lege hujusmodi contractus mere aleatorii prohibeantur.

SECTIO III. DE SUCCESSIONE HAEREDITARIA.

666. Quaecumque ad successionem defuncti pertinent et a Theologo Morali cognoscenda sunt, hic simul proponentur, quo facilius totum hoc argumentum mentis oculis pateat. Theoretice loquendo, neque successio ab intestato, neque testamentum inter contractus recensenda sunt : testamentum tamen prope ad donationem gratuitam accedit. De utraque hac succedendi ratione singillatim agemus : imprimis de successione ab intestato, quae in Jure moribusque nostris primatum obtinet; deinde de successione ex testamento, quae in Jure Romano quasi regula generalis exhibetur, ideoque etiam ab antiquis DD. praecipue explicari solet.

CAPUT I.

DE SUCCESSIONE AB INTESTATO.

§ 1. PRINCIPIA GENERALIA.

667. I. Ex ipso jure naturae videtur competere jus descendentibus et proxime consanguineis defuncti ut in ejus bona succedant, saltem nisi legitime ab eo exclusi fuerint.

Etenim familiae singulae, e quibus societas politica conflatur, ex ipsa divinae Providentiae dispositione, serie generationum indefinita conservantur et propagantur. Hanc autem conservationem et propagationem, tamquam elementum essentiale, ingrediuntur bona familiae propria :

nulla enim stabilitas in morali et physica ejusdem evolutione haberetur, si bona ab una generatione ad alteram, saltem quoad maximam partem, non transmitterentur, sed fierent primi occupantis vel a Statu arriperentur. (1)

Hoc tamen asserto minime negatur ampla facultas, quae legi civili competit, strictius determinandi qua ratione haec bona ad consanguineos devolvantur, statuendi gradum consanguinitatis ultra quem bona non jam familiae, quae quasi evanuit, sed Statui tribuantur, etc., sicut in omnibus Juribus usu venit.

II. In Jure nostro consanguinei succedunt defuncto usque ad 12^{um} gradum, ita tamen ut gradus propinquior excludat remotiorem, nisi cum lex remotiores admittit tamquam proximiorem repraesentantes, ex. gr. nepotes (neveux) pro fratre vel sorore defuncta.

Gradus isti e numero generationum deducuntur. In linea directa (perinde atque in Jure Canonico) tot sunt gradus quot sunt generationes inter personas : sic filius in primo, nepos (petit-fils) in secundo gradu versantur relate ad patrem et avum. In linea vero collaterali, tot sunt gradus quot sunt generationes inter unum consanguineum et parentem communem, et inter hunc alterumque consanguineum : sic duo fratres in 2°, avunculus et nepos in 3°, consobrini germani in 4° gradu versantur. (C. C. aa. 735-738) Haec computatio civilis pro linea collaterali multum differt a computatione canonica, de qua dicetur Vol. II. n. 477. Quanam autem ratione inter varios haeredes bona defuncti sint distribuenda, videsis C. C. aa. 731-766. Res enim est satis intricata, nec directe ad nos spectat.

Filii naturales nullum jus ad haereditatem parentum habent, nisi fuerint legaliter recogniti. Quod si factum fuerit, videndum utrum adsint patris vel matris legitimi descendentes an non. Si adsunt, illegitimus jus habet ad tertiam partem haereditariae portionis quae ipsi obtigisset si fuisset legitimus; si non adsunt, sed manent ascendentes vel fratres aut sorores patris vel matris, jus habet ad dimidiam partem ejusdem portionis; quodsi neque tales consanguinei adsunt, jus habet ad dodrantem ejusdem portionis. Imo tota haereditas ad eum devolvitur, ubi pater vel mater nullum consanguineum intra 12^{um} gradum relinquit. (C. C. aa. 756-758) Adulterinis autem et incestuosis (juxta sensum legis civilis) conceditur tantum jus ad alimenta, seu ad ea quae victui et educationi necessaria sunt. (aa. 762-764)

Si defunctus nec consanguineos intra 12^{um} gradum, nec liberos natu-

(1) Cfr. Philosophos morales de hoc argumento fusius scribentes, puta inter nuperrimos Theod. Meyer, S. J. *La question ouvrière et les principes fondamentaux de la Sociologie chrétienne* (1893), c. 8.

rales relinquit, bona ejus devolvuntur ad conjugem superstitem, dummodo divortium non instituerit. (a. 767)

Tandem, deficiente et conjuge, bona devolvuntur ad Statum. (a. 768) Attamen hujusmodi bona potius ut derelicta (a. 539) quam jure haereditatis a Statu occupantur. Quare qui ea praeoccuparet, modo certus foret nullum exstare haeredem defuncti, non laederet justitiam commutativam, sed solam obedientiam justae legi debitam. (Marres, l. 1. n. 281; Carrière, de Just. t. 2. n. 570)

668. III. In Jure nostro quidam incapaces, quidam autem indigni successione declarantur.

Incapaces sunt quicumque non exstant eo tempore quo successio aperitur, nempe qui nondum concepti sunt vel qui partu immaturo eduntur ita ut vivere nequeant. (C. C. a. 725)

Indignus vero declaratur qui damnatus est eo quod mortem defuncto intulit vel inferre conatus est, vel qui contra eumdem capitalem accusationem tulit, quae calumniosa est judicata, etc. (C. C. aa. 727, 1046) Attamen haec indignitas a judice est declaranda : quare licet haereditatem servare, donec judex ad eam abdicandam obliget.

§ 2. DE ACCEPTATIONE VEL REPUDIATIONE SUCCESSIONIS.

669. I. Nemo tenetur ad successionem acceptandam. (C. C. a. 775) Quodsi acceptare vult, duplici ratione id facere potest : *pure et simpliciter* vel *sub beneficio inventarii.* (a. 774)

Praecipuus effectus hujus posterioris acceptationis est quod haeres non obligatur ad solvenda defuncti debita, nisi quatenus id ferunt haereditatis vires. (a. 802)

Probabilius, ad forum conscientiae quod attinet, haeres qui simpliciter haereditatem acceptavit, non tenetur ad debita ultra vires haereditatis solvenda, etiamsi a judice ad hoc cogeretur. Ratio est, quod lex falso supponit in acceptante hunc animum se obligandi ad talem solutionem ; deinde saepe sine magnis incommodis, dedecore familiae et quadam injuria defuncti, recurri nequit ad cautionem lege praestitutam, i. e. ad acceptationem sub beneficio inventarii, quando nim. non constat viribus haereditatis praevalere debita. Creditores tamen, ob contrariam multorum AA. sententiam et periculum fraudis, solutionem petere et solutum retinere possunt : siquidem juri suo certo propter haeredum jus probabile renuntiare non debent. (Marres, l. 1. n. 371 seq.)

II. Extra casum quo vires debitis superantur, tenentur haeres et quicumque titulo universali haereditatem adit, ad omnia debita et onera

realia defuncti sustinenda ; verum qui titulo particulari legatum obtinet, nullam partem in debitis oneribusque habet, praeter hypothecam quae rei immobili legatae adhaereat. (a. 870 seq.)

Singuli autem haeredes vel legatarii titulo universali ad solvenda debita contribuere debent pro rata partis quae singulis ex haereditate obtigit. Qua ratione haec contributio practice efficienda sit, explicat C. C. a. 872 seq.

§ 3. DE COLLATIONE DONATIONUM ET LEGATORUM.

670. Ex dispositione Juris nostri, quicumque fit haeres ab intestato referre debet in massam, quae inter plures cohaeredes dividatur, quidquid a defuncto per donationes inter vivos directe vel indirecte accepit ; similiter legata peculiaria sibi facta in eadem massa relinquere debet. Attamen ab hac *collatione* facienda liber declaratur, si constat defunctum voluisse ut hanc immunitatem haberet, dummodo legitima pars haeredibus necessariis servanda non laedatur. (C. C. a. 843 seqq.) Nempe lex civilis praesumit defunctum voluisse ut haeredes aequalem partem in haereditate accipiant, nisi de contraria ejus voluntate constet.

Non omnia tamen dona huic obligationi subjacent. Ita excipit ipse C. C. (a. 852) expensas factas pro alimentis, educatione vel tirocinio (apprentissage) haeredis ; jubet vero referri ea quae data sunt ut haeres commercium incipiat vel novam familiam fundet (établissement), vel etiam ad ejus debita solvenda. (a. 851) A collatione iterum excipiunt plures Jurisperiti quae soluta sunt pro debitis mere naturalibus, ex. gr. per ludum contractis. (Laurent, Cours él. de Droit civ. t. II. n. 178) Pecunia data ad filium a militia redimendum videtur per se subjacere collationi, nisi summa sit valde modica respectu haereditatis, vel redemptio illa cesserit potius in commune familiae quam in unius filii bonum. (Waffelaert, t. I. n. 220)

Fructus autem et reditus rerum donatarum non sunt referendi nisi a die qua aperta est successio. (a. 856) Secus enim donationes nullius forent effectus.

Omissis pluribus aliis statutis, quae a. C. C. (ll. cit.) exhibentur et potius ad civile forum spectant, pauca quaedam notabimus de **collationis obligatione in foro conscientiae.**

1° Ante sententiam judicis, non datur obligatio referendi quidquid donator voluit absolute donare, remissa explicite vel implicite collationis obligatione, saltem quando portio legitima haeredibus necessariis salva manet. Cfr. n. 677. Sic implicite dispensaret a collatione qui daret magnam pecuniae summam, commendando ne umquam haec donatio

aliis familiae membris manifestaretur. Sententia autem judicis, qua collatio quorumdam bonorum mandetur, servanda est e stricta justitia, etiam in conscientiae foro.

2° Si nulla probabili ratione de voluntate absolute donandi constaret, collatio facienda esset, petentibus haeredibus. etiam ante judicis sententiam : lex enim ipsis hoc jus tribuit, nec quidquam injusti continet, cum defunctus potuisset absolute donare si voluisset. Si non peteretur collatio ab haeredibus, non esset facienda, nisi donatarius se expresse ad eam faciendam obligasset : nam lex haeredibus tribuit jus quo utantur, si velint.

3° Possunt parentes cum liberis suis inire contractus per se validos ut collationi subjaceant quae, vi solius legis civilis, eidem non subjacerent, puta quae pro ipsorum educatione, excessu omnino extraordinario prae ceteris liberis, expendunt. Attamen minores talibus contractibus non ligantur, nisi eos majoritatem adepti ratos habuerint. (Marres, l. 1. n. 279)

CAPUT II.

DE TESTAMENTIS.

§ 1. DE NATURA TESTAMENTORUM.

671. I. De origine juris testandi duplex sententia probabilis inter ipsos Theologos Morales agitatur. Omnes quidem consentiunt jus naturae *suadere* ut homini facultas concedatur determinandi ad quem ipsius demortui bona devolvantur, sed alii hanc facultatem ex solo jure naturae *stricte probari* autumant; alii existimant necessarium esse ut lex positiva eam intrinsece absolvat. Controversia autem potissimum agitatur de ultima voluntate qua bona conferantur iis qui ad familiam testatoris non pertineant. Etenim vix in dubium vocari potest jus, quod cuilibet competit, rationabiliter determinandi quomodo ipsius bona inter familiae ipsius membra sint dividenda, potissimum ubi agitur de patrefamilias bona sua inter liberos suos dividente. Talem determinationem sapienter fieri per solam legem civilem, impossibile censemus ob nimiam varietatem adjunctorum quae occurrere solent.

Praecipua ratio opinantium testamentum, etiam in favorem extraneorum conditum, solo jure naturae valere, deducitur ex ejus necessitate ad

efficaciter obtinendos fines ad quos bonorum divisio inducta est. Plurimum enim enervaretur stimulus ad laborandum hac divisione additus ; minueretur sapiens parcimonia ; multa consilia utilissima, quae stabilitatem humana vita majorem poscant, omitterentur, etc., si testandi facultate homines carerent. Accedit auctoritas veterum DD. qui communiter testamento formis legalibus destituto naturalem obligationem inesse affirmant. (Reiffenst. in l. 3. Decr. t. 26. n. 280) Verum, cum multa sint in hoc jure naturali incerta quoad rationem illius exercendi et limites intra quos contineri debeat, ne in detrimentum societatis vergat, certo agnoscenda est legislatori civili facultas hos limites determinandi certasque conditiones exigendi, sine quibus expressio ultimarum voluntatum sit, etiam in foro conscientiae, invalida.

Qui vero opinantur ultimas voluntates non esse omnino firmas sine legis positivae adminiculo (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 26. n. 4; Ball. P. n. 695 seqq.), nituntur potissimum hac ratione : nemo potest, spectato solo jure naturae, de bonis suis disponere pro tempore pro quo jam non habet ullius rei dominium, vel jus suum transferre in alium pro quo tempore juris omnino incapax est. Haec ratio potissimum valet ubi bona per testamentum transmittuntur ad extraneos, ac proinde invocari nequit jus quod familiae, e necessitate sese convenienter ope illorum bonorum propagandae, competit.

II. Testamentum definitur in Jure nostro : actus quo testator pro tempore mortem ipsius secuturo de totalitate vel de parte bonorum suorum disponit, et quem revocare potest. (C. C. a. 895) Actus est, non contractus, qualis est donatio : quia legatarius nullatenus in testamento intervenit.

Nullum discrimen ponunt leges nostrae inter haeredem ex testamento et legatarium. Distinguunt in dispositionibus testamentariis tres species quibus iidem effectus tribuuntur, sive sub nomine institutionis haeredis, sive sub appellatione legati factae sint, nempe :

1° Legatum universale (legs universel), quo testator uni vel pluribus personis universa bona sua relinquit.

2° Legatum titulo universali (legs à titre universel), quo partem aliquotam (quote-part) bonorum, de quibus disponere potest, alicui relinquit, puta dimidiam vel tertiam partem, omnia mobilia, etc.

3° Legatum titulo particulari, quo reliquae omnes dispositiones comprehenduntur. (C. C. aa. 1002, 1003, 1010)

672. III. Medium inter testamentum et donationem inter vivos occupat ea quae dicitur **donatio mortis causa**. Nam cum donatione inter vivos in eo convenit quod, vivente donatore, jam tribuit donatario

jus ad rem vel etiam in re: quod in testamento minime obtinet. Cum testamento autem eatenus congruit quatenus semper ad nutum donantis revocari potest, dum donatio inter vivos est essentialiter irrevocabilis. Hanc donationem approbat Jus Canonicum, Romano adhaerens: unde, si fit ad causas pias, certe valida est.

Donationem mortis causa sustulit Jus nostrum. (C. C. a. 893) Probabilius tamen, in foro conscientiae, manet contractui naturali sua vis nativa donec a judice rescindatur. (n. 594) Hinc, ante sententiam judicialem, quae servanda foret, is cui donatio mortis causa facta esset, rem donatam sibi vindicare vel jam acceptam retinere posset; is vero qui haereditatem accepisset, non posset obligari ad rem propter hujusmodi donationem tradendam. (Gury, I. n. 835) Neque, in hac opinione nostra, multum refert, pro foro conscientiae, discernere utrum donatio quaedam dicenda sit inter vivos an mortis causa.

Si quis alteri donat aliquam rem mobilem, post ipsius mortem occupandam, puta monilia vel pecuniae summam, haec censenda est donatio inter vivos et irrevocabilis. Quare post mortem licet donatario rem occupare, etiam occulta compensatione, si aliter ab haeredibus obtinere non posset, et, si adigitur ad jurandum se nihil ex haereditate sustulisse, id juramento asserere potest, intelligens nihil quod non esset suum. Cavendum tamen ne mera promissio donandi vel legandi pro vera donatione accipiatur, sicut, avaritia impellente, facile contingit. (Gury, I. n. 837)

§ 2. DE CONDITIONIBUS AD VALOREM TESTAMENTI REQUISITIS.

673. I. Ex jure naturali requiritur ut testator, eo momento quo testamentum condidit, fuerit mentis plene compos, neque vi, metu dolove ad illud condendum adactus sit. Est enim quasi donatio gratuita, quae plenam libertatem postulat.

II. Ex jure civili, iidem qui inhabiles sunt ad donandum, paucis mutatis, etiam ad testandum incapaces declarantur. Cfr. n. 610. Attamen uxor plenam et independentem testandi facultatem habet (C. C. a. 905); minor testari nequit ante 16^{um} aetatis annum completum: a quo tempore disponere potest de dimidia parte bonorum quae, si major foret, testamento legare posset. (a. 903 seq.) Testari nullatenus possunt interdicti.

Si quis ita lege prohibitus testaretur, testamentum, in foro conscientiae, maneret validum, donec a judice rescinderetur, dummodo conditiones jure naturae requisitae adessent; si minor summam de qua ex art. cit. disponere potest, transgressus est, testamentum, etiam civiliter, valet, sed ad limites legitimos reduci potest.

III. Iidem qui lege civili declarantur incapaces obtinendi jura per donationes, ea neque per testamenta acquirere possunt. (C. C. aa. 907-911) In foro conscientiae, de talibus testamentis dicendum est quod supra (n. 610) de donationibus, eisdem personis physicis vel moralibus factis, statuimus.

674. IV. Testamenta **ad causas profanas**, quae carent aliqua formalitate legibus civilibus sub poena nullitatis requisita, probabilius, in Jure saltem nostro, valida sunt donec a judice rescindantur.

Ratio est, quod talium actuum valor plane pendet a voluntate legislatoris qui, si voluerit, potest eos irritos facere, ante omnem sententiam judicis. Jamvero, secundum probabiliorem interpretationem Jurisperitorum (cfr. Marres, l. l. n. 368 seqq.), mens legislatoris nostri et aliorum recentiorum est ut testamenta, sicut donationes, sint tantum irrita postquam judex ea nulla esse declaravit. Probabilis tamen est sententia contraria, quam multi AA. hodierni sequuntur, sive quia existimant mentem legislatoris nostri esse ut hujusmodi actus omni vi careant (Waffelaert, I. n. 544), sive quia sequuntur opiniones veterum, quorum multi testamenta hujusmodi, sub Jure Romano, tamquam prorsus invalida habebant. Omnes tamen utriusque opinionis probabilitatem agnoscunt. (S. Alph. n. 927)

Hinc pro praxi sequentia notasse juvabit :

1° Is cui favet testamentum informe, sed jure naturae validum, assumere potest bona defuncti, dummodo de istius voluntate, quacumque ratione, scripto vel verbo tenus, *certo* constet, nec tenetur haeredem ab intestato de vitio testamenti admonere. Antequam rescissio a judice fiat, non tenetur ex justitia haeredi, etiam petenti, bona defuncti restituere ; ex caritate tamen teneri potest, si vitium est manifestum et haeres frustra ad magnas expensas faciendas cogeretur.

2° Nequit is cui testamentum informe favet, fraudem adhibere qua impediat ne judex sententiam justam edat, ex. gr. supplere propria manu chirographum in testamento holographo (Gury, I. n. 819) : haeres enim jus strictum habet ne mediis injustis ab hac sententia obtinenda impediatur.

3° Cum Lessio (l. 2. c. 19. n. 22), Lugo (disp. 16. n. 95) aliisque opinamur, licere occultam compensationem ei cui favet testamentum informe, nulla judicis sententia irritatum ; id enim hodie tanto verisimilius est quo magis probabile est, sub Jure nostro pluribusque modernis Codicibus, tale testamentum esse validum, donec a judice rescindatur.

4° Sententia a judice lata contra testamenti valorem omnino executioni mandanda est, etiam in conscientiae foro. Cfr. n. 594.

5° Per se licet haeredi ab intestato aggredi coram tribunalibus testa-

mentum informe. Excipe, si ipse testatori adhuc viventi promisisset quaedam legata informia a se impletum iri, testator autem, propter hanc promissionem, ab iisdem legatis legitima forma conscribendis abstinuisset : teneretur enim ad implendam conditionem sub qua testamentum accepisset. A fortiori, in tali hypothesi, exsequi deberet legata pia ad quae exsequenda se promissione adstrinxisset.

N. B. Testamentum, ex Jure nostro (C. C. a. 969), potest esse triplici forma confectum :

1° *Holographum* seu quod totum propria testantis manu conscriptum sit, cum adnotatione diei quo confectum sit et chirographo testatoris. (a. 970) Hoc chirographum, post reliqua omnia, apponendum est, seu expressis nomine et cognomine testantis, seu saltem ea ratione qua testator solebat nomen suum exarare. Lex autem non requirit ut adscribatur quo loco testamentum conditum sit, neque ut certa quadam charta vel forma conficiatur.

2° *Authenticum* seu per actum publicum. Hoc accipiendum est vel a duobus notariis coram duobus testibus, vel ab uno notario coram quatuor testibus. Plura videsis C. C. aa. 971-975.

3° *Mysticum* seu secretum. Hoc, vel a se vel ab alio scriptum, testator clausum ac sigillatum notario, coram sex saltem testibus, exhibebit ; id autem quod in hac charta continetur, testamentum suum esse declarabit. Plura videsis C. C. aa. 976-980.

Formalitates quasdam pro extraordinariis adjunctis statutas videsis C. C. a. 981 seqq.

675. V. Testamenta **ad causas pias** in foro conscientiae semper valent et implenda sunt, quotiescumque, ex principiis Juris Canonici, clare constat de testatoris voluntate. Id autem regulariter obtinetur per concors duorum testimonium, quicumque illi fuerint ; potest quoque eadem certitudo aliis probationibus, ex. gr. scriptura qua indubie exprimatur ultima testatoris voluntas, obtineri. Non cogit tamen unius testis, etiam integerrimi, puta confessarii, assertio. Jamvero censenda est ad causam piam facta omnis dispositio qua bona, principaliter ob honorem Dei animaeque salutem, relinquuntur pauperibus vel ecclesiis, monasteriis ceterisque institutis ad cultum divinum vel pauperum subsidium erectis. (Reiffenst. in l. 3. Decr. t. 26 n. 137)

Ratio hujus asserti est quod testamenta ad causas pias, cum finem supernaturalem respiciant, privative legibus ecclesiasticis subsunt, propter jus quod Ecclesiae competit bona temporalia independenter a Statu acquirendi et possidendi in ordine ad finem suum. Atque Alexander III (Decr. l. 3. t. 26. c. *Relatum*) decreto quod, saltem per consuetudinem, ad universam Ecclesiam extensum est, statuit testa-

menta ad causas pias valida esse, quotiescumque coram duobus vel tribus testibus condita sint. Neque legem illam in desuetudinem abiisse patet, tum e consensu DD. fere omnium, etiam recentiorum, in hanc doctrinam, tum e responso S. Poenit. 23 Jun. 1844 declarantis haeredem teneri in conscientia ad implendam voluntatem testatoris certo cognitam e scripto privato, in quo ei commiserit curam exsequendi legatum ad causam piam. (1)

Imo etiam, si supponatur non valere jam donationes pias nisi scripto legaliter valido factae sint, plurima illa Instituta pia, Congregationes religiosae, sodalitia etc., quae ab Ecclesia agnoscuntur tamquam capacia acquirendi per testamentum, practice, ob injustas legum civilium dispositiones, hoc jure privantur. Etenim, cum plerique codices hodierni nullam agnoscere velint his institutis acquirendi facultatem, testamenta in eorum favorem confecta, quacumque forma fiant, invalida erunt. Absonum autem foret iis vim obligandi in conscientia tribuere ubi formis legalibus confecta sunt, et eamdem denegare ubi iisdem carent: siquidem, ob injuriam Status, denegantis iis Institutis acquirendi capacitatem, actus civiliter aeque nullus est ubi adhibentur solemnitates atque ubi negliguntur.

Ideo non censemus probabilem esse sententiam contrariam, quam fere solus inter modernos, post paucos veteres Canonistas, instaurare conatus est D'Annib. (II. n. 339, nota 30) Frustra enim contendit Alexandrum III in cit. Decr. locutum esse tantum ut regem temporalem, eo quod data est ad judices Velitrenses, quae urbs intra Status Pontificios sita est: nam, cum agatur de re quae sit sub spirituali R. P. potestate, potuit ad omnes regiones catholicas hoc statutum extendi, atque de facto extensum esse patet e communissima veterum AA. sententia et

(1) S. Poenit. propositus fuerat iste casus: " Eudorius coelibatarius, haeredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animae suae consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio tradit in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso ut eamdem fideliter exsequatur. Bonifacius vero, mortuo Eudorio, haereditatem integram servat, ex eo quod testamento valido illam teneat. „ Responsum fuit: " Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii certe cognitam, pro foro conscientiae. „ Hujus responsi vim frustra elidere conatur Haine (Theol. Mor. De Contract. q. 53), dum asserit de obligatione Bonifacii constare, etiamsi non sint exsequendae dispositiones piae formis legalibus carentes, quia praecesserat in casu contractus innominatus quo Bonifacius se obligaverat ad exoneranda pia legata, si Eudorius cum testamento legitimo institueret legatarium suum universalem. Nam de consensu Bonifacii in hanc conventionem nihil dicitur in casus expositione: quin etiam S. Poenit. in responso suo clare indicat rationem obligationis esse, juxta sententiam communem, voluntatem Eudorii certe cognitam.

tribunalium praxi. Nec propterea admittendum est in nostra sententia (ut D'Annib. objicit) : idem tenendum esse de causis profanis, eo quod similem dispositionem eodem tit. c. 10 idem Alexander III ediderit. Nam antiquitus haec decretalis universaliter recepta non fuit : sic Schmalzgr. (in h. t. n. 33 seqq.) eam in Germania nullam vim habere asserit. Hodie autem luce clarius est Ecclesiam nullam hujusmodi potestatem exercere velle in causas profanas. Quare apparet manifesta discrepantia cum dispositione R. P. de causis piis.

Igitur legata pia, in testamento formis legalibus destituto, valorem suum servant. Attamen prudenter procedendum ne sine fructu perturbetur bona fides eorum qui sibi persuaserint, praesertim postquam judex testamentum irritum esse statuerit, obligationem legata pia exsequendi evanescere.

§ 3. DE HAEREDIBUS NECESSARIIS ET PORTIONE LEGITIMA.

676. Jus civile omnium gentium, quamvis facultatem testandi agnoscat, solet huic facultati certos limites apponere, vetando ne quidam, qui ab intestato succederent, penitus a testatore excludantur. Hi dicuntur haeredes necessarii, et varii sunt pro vario Jure, sicut etiam varia est haereditatis pars quam ipsis lex civilis *reservat*. Eadem reservatio, saltem in Jure nostro, pariter statuitur pro facultate donandi inter vivos.

De hoc argumento hae sunt praecipuae Juris nostri dispositiones :

1° Qui moriens unum liberum legitimum relinquit, disponere potest de dimidia parte bonorum suorum; qui duos relinquit, de tertia; qui tres pluresve, de quarta parte. (C. C. a. 913)

2° Secundum communem opinionem Jurisperitorum, contradicentibus aliis (Laurent, Cours él. t. II. n. 234), pater vel mater filio illegitimo legaliter recognito auferre nequit illam partem quae ad eum deveniret si pater vel mater ab intestato moreretur. Cfr. n. 667.

3° Qui moriens nullum descendentem, sed unum pluresve ascendentes in utraque linea paterna et materna relinquit, disponere potest tantum de dimidia parte bonorum suorum; si vero idem ascendentes in una tantum linea relinquit, de dodrante disponere potest. (a. 915)

4° Qui neque ascendentes, neque descendentes relinquit, de omnibus bonis suis disponere potest. (a. 916) Uxor enim inter haeredes necessarios in Codice nostro non recensetur.

677. QUAER. I. Num peccent qui donationibus vel dispositionibus testamentariis legitimam haeredum necessariorum portionem laedant.

RESP. 1° Probabilius non peccant contra *justitiam commutativam*. Haeredi enim necessario jus strictum ad portionem haereditatis nascitur tantum post mortem testatoris. Igitur testator, disponens de re sua, nullius jus strictum laedit. Excipe tamen : si mediis fraudulentis, qualis foret falsus contractus onerosus, uteretur ad impediendum ne haeres necessarius jus suum prosequeretur. Hinc etiam illi qui bona acceperunt, modo nulla hujusmodi media fraudulenta adhibita fuerint, tuta conscientia servare possunt quae, cum laesione legitimae portionis, acceperint. Sufficit ut permittant haeredes necessarios uti jure, quod iis confert lex (C. C. a. 920 seq.), petendi reductionem donationum ad partem disponibilem : qua reductione concessa, omnino e stricta justitia reddendum erit quidquid eamdem partem excedit. (Marres, l. 1. n. 339 seq.)

2° Regulariter peccant contra *justitiam legalem*. Dispositio enim qua lex partem aliquam quibusdam haeredibus reservat, non solum justa est, sed quodammodo necessaria ne praesertim liberi legitimi, nimio amore parentum erga alios, puta patris erga alteram uxorem ejusque liberos, ab omni haereditate excludantur. Attamen peccatum istud videtur per se leve ; grave foret tantum si haeres necessarius, propter legis transgressionem, in inopiam, saltem relativam, conjiceretur.

3° Attamen *nullatenus peccare* videntur qui legitimam liberorum laedunt, praecipue favendo uni e liberis prae aliis :

a) Si aliter impleri nequit aliquod officium quod testatori vel donatori aliunde incumbit e pietate, caritate vel justitia, puta parentibus in gravi necessitate positis opitulari, honestae educationi filii illegitimi vel etiam incestuosi providere. Nequit enim lex civilis imponere obligationem quae adversetur officiis e lege naturali oriundis.

b) Si quando observantia legis, quae in bonum familiae lata est, in ejusdem detrimentum vergeret, puta quia, servata aequalitate, nemo foret e descendentibus qui paternum commercium vel agriculturam prosequi posset, vel quia unus e filiis brevi omnia dissipaturus esset, dum frater, cui plus datur quam lex concedit, merito speratur provisurus ne prodigus ille ejusve liberi egeant. (Marres, l. c. n. 341)

Hujusmodi casus non raro accidunt in iis regionibus in quibus, ut in Belgio et Gallia, nimis restricta est libertas, patrifamilias competens, bona inter liberos suos partiendi ea ratione quam prudenter ad eorum commune bonum expedire censuerit. Experientia enim tam diserte docuit nimiam hanc restrictionem officere stabilitati familiarum, paternae auctoritati et totius reipublicae incolumitati, ut jam pleraeque nationes Europaeae ampliorem libertatem parentibus dederint, vel per leges ipsas normam statuerint qua fundus paternus in dominio aptioris e descendentibus permaneat. Hinc, licet leges nostrae nequeant apertae

injustitiae argui, non sunt tamen urgendae quotiescumque earum applicatio in detrimentum familiae cederet. (1)

4° Licet etiam parentibus legitimas haeredum necessariorum portiones minuere per donationes remuneratorias, quae, sensu stricto, donationem liberalem non constituunt.

5° Jam inter veteres DD. utrimque probabiliter disputabatur utrum easdem legitimas laedere liceret per donationes vel legata ad causas pias, dummodo haeredes necessarii obtinerent id quod jure naturae ipsis relinquendum sit ad honestam sustentationem. (S. Alph. n. 740) Opinionem libertati donandi vel testandi faventem a fortiori nunc applicare licet, cum (saltem in regionibus nostris) pars disponibilis multo minor sit quam sub Jure Romano, quod jubebat relictum iri filiis tertiam bonorum partem, si non essent plures quam quatuor, et dimidiam, si plures forent. Haeredes necessarii qui dispositiones pias, tamquam juribus suis nocivas, coram tribunalibus aggredientur, certe peccant contra justitiam et per se ad restitutionem tenentur, si fraudes adhibent. Quodsi reapse eorum pars legitima laesa est, non videntur peccare dum eam justis mediis reclamant : siquidem multi etiam veteres DD. censebant donationes inofficiosas probabiliter reduci posse ad portionem disponibilem. Cfr. n. 610 ; Less. de Just. et J. l. 2. c. 18. n. 112.

Si quis ex odio vellet solam legitimam filiis relinquere, vel fratres non indigentes omnino praeterire, is sub gravi obligandus esset ut hoc odium deponeret, *hortandus* tantum ut illis aliquid amplius relinqueret : nam utitur jure suo. (Lugo, disp. 24. n. 175) Nec putaverim graviter peccaturum parentem qui, absque justa causa, uni filio prae aliis faveret, ut opinatur Lehmk. (I. n. 1125) : nam, si propterea odia et dissensiones oriuntur, id tribuendum est malitiae et avaritiae haeredum, potius quam parenti, cujus actio, saltem exterius, est omnino recta.

678. QUAER. II. Num testator teneatur ad partem haereditatis suae relinquendam haeredibus quibusdam non necessariis.

RESP. 1° Unica datur obligatio gravis, nempe ut fratribus et sororibus, necnon uxori, relinquatur id quod sufficiat ad gravem ipsorum inopiam sublevandam, puta si uxor, hoc subsidio privata, a conditione sua decideret. (2)

(1) Qui plura cupit, adeat ex. gr. *Les lois successorales dans la société contemporaine*, par le C^te^ DE BOUSIES. (1890)

(2) Hoc periculum avertit legislator Belgicus lege 20 Nov. 1896, cujus art. 2. ita sonat : " Le conjoint non divorcé, ni séparé de corps, qui ne succède pas à la propriété, a sur les biens du prédécédé un droit d'usufruit qui est : 1° D'une part d'enfant légitime le moins prenant, sans qu'elle puisse excéder le quart, si le

2° Levi quoque obligatione tenetur testator ad levandam necessitatem ceterorum cognatorum graviter indigentium.

Ratio utriusque est, quod pietas ad tale auxilium illis prae reliquis pauperibus praestandum sub gravi vel sub levi, pro gradu necessitudinis propinquiori vel remotiori, obligat : quae obligatio sicut in vita, ita et in morte urget (S. Alph. n. 946) et, quia indirecte bona defuncti afficit, cum iisdem ad haeredes transit. (Lugo, disp. 23. n. 100)

679. QUAER. III. Num parentes possint donationes vel legata facere filiis suis illegitimis.

RESP. 1° In Jure nostro (C. C. a. 908) irritae sunt, saltem post judicis sententiam, omnes donationes vel dispositiones testamentariae, quibus filiis illegitimis aliquid datur praeter ea ad quae legaliter recogniti jus habent secundum legem. (n. 667)

2° Si parentes fraudibus utuntur ut filiis illegitimis legaliter recognitis ultra legis concessionem faveant, censent communiter AA. (Gousset, Th. Mor. t. I. n. 727) eos peccare contra obedientiam legi justae debitam, et illegitimos ad restitutionem teneri. Id tamen valde dubium videtur, eo quod, secundum leges nostras, illegitimi qui legaliter non sunt agniti, quales sunt regulariter omnes adulterini et incestuosi, habentur ut extranei, ideoque libere accipere possunt quidquid ipsis parentes, salvis legitimorum juribus, dare vel legare voluerint. Quare, nisi in peculiari casu verum scandalum oriretur e favore praestito illegitimis, non censemus parentes dando vel illegitimos accipiendo peccare, ne in pejore conditione ponantur legaliter recogniti quam ii qui recogniti non fuerint vel etiam, obstante lege (a. 335), recognosci non possint.

§ 4. DE LEGATIS ET SUBSTITUTIONIBUS.

680. I. De exsequendis legatis, praesertim titulo particulari factis, sequentia pro foro conscientiae attendantur :

1° Legatum *purum*, seu absque conditione factum, dat legatario jus in rem legatam a die qua testator obiit. Attamen rei possessionem inire

défunt laisse des enfants issus d'un précédent mariage.— 2° De la totalité, quand il ne laisse que des collatéraux autres que des frères et sœurs ou leurs descendants. — 3° De la moitié, dans tous les autres cas. Si le conjoint est en concours avec des successibles appartenant à plusieurs des catégories indiquées aux nn. 1, 2 et 3 ci-dessus, la quotité de l'usufruit successoral se fixe en ne tenant compte que des successibles à l'égard desquels cette quotité est la plus faible. „

vel fructus percipere nequit, nisi a die qua rem petierit vel obtinuerit ab haeredibus, legatariis universalibus aliisve ad quos haereditas devoluta est. (C. C. aa. 1011, 1014)

2° Haeres ab intestato vel testamentarius non peccat contra justitiam commutativam, si legatarium de legato non monet (saltem quando haec donatio, ut fere contingit, notario innotuit), vel non sponte ei legatum defert. Nam, cum lex statuerit *petenti* legatario rem legatam esse tradendam, haeres, salva justitia, exspectare potest donec petatur. (Marres, l. 1. n. 362)

3° Fructus rei legatae debentur legatario a die obitus, etiam sine ulla petitione, si testator diserte in testamento hanc voluntatem suam esse declaraverit, vel si pensio aut census vitalitius pro alimentis legatus fuerit. (a. 1015)

4° Si legatur res indeterminata, ex. gr. ovis e grege, haeres non tenetur ad dandam rem optimae qualitatis ; nequit tamen obtrudere rem qualitatis infimae. (a. 1022)

5° Si quid dandum est *pauperibus*, nec quidquam aliud per cognitam testatoris intentionem determinatur, id distribuere licet iis omnibus qui, secundum conditionem suam, in necessitate versantur ; intelliguntur etiam Religiosi Mendicantes et opera pia. Per se etiam praeferendi sunt pauperes illius loci in quo defunctus domicilium habuit et testamentum condidit. Potest quoque ipse distributor partem talis eleemosynae sibi applicare si revera, sensu supradicto, pauper est, dummodo non constet aliunde, ex. gr. e legato quod ipsi personaliter relictum fuerit, id a mente testatoris alienum esse. (Lugo, disp. 24. n. 279 seqq.)

6° Regulariter quod testator jussit dari pauperibus, non licet totum tradere uni, sicut nec licet inter plures dividere quod uni dari jussit. Nam plerumque frustraretur defuncti intentio a fine aliquo quem obtinere intendebat, ex. gr. ut plures pro anima ejus orarent. Excipe tamen, si quando probabiles rationes suaderent ejus intentionem fuisse ut libera electio inter utrumque modum haeredi relinqueret. (Lugo, l. c. n. 285 seqq.)

7° Si quid legatum est pro consanguineis testatoris, intelliguntur illi qui, juxta legem civilem, ab intestato succedunt. (n. 667) Inter hos poterit haeres quoslibet eligere, omissis proximioribus et pauperioribus, quando legatum ejus electioni committitur ; praeferendi autem erunt proximiores et pauperiores, quo ordine vocantur a Jure civili, quando legatum immediate fit pro consanguineis alendis vel dotandis. (Lugo, l. c. n. 289 seq.) Quaedam de legatis conditionatis vide supra (n. 595 seqq.), ubi de obligationibus accidentalibus contractuum in genere.

681. II. Substitutio, in Jure nostro (C. C a. 896), intelligitur dispositio qua donatarius, haeres vel legatarius jubetur rem acceptam

retinere et tertio reddere. Juxta opinionem communiorem Jurisperitorum, substitutio sensu stricto non habetur quando donatarius etc. jubetur rem servare ad tempus determinatum, ex. gr. ad decem annos, sed tantum quando eam servare jubetur usque ad mortem suam. (Marres, l. 1. n. 330) Nullatenus autem reputatur substitutio ea dispositio qua tertius designetur cui conferatur domum, haereditas vel legatum, si quando donatarius etc. illud non assequeretur. (C. C. a. 898) Aliter omnino substitutionem fideicommissariam Jus Romanum definiebat.

De substitutione, in Jure nostro, sequentia sufficient ad scopum nostrum :

1° Jure civili prohibetur et irrita declaratur omnis substitutio, sensu supra statuto, ita ut nullum inde jus etiam donatario vel legatario oriatur. (a. 896) Excipiuntur tamen quaedam substitutiones quae patribus ac matribus et fratribus ac sororibus permittuntur in favorem nepotum: de quibus videsis C. C. a. 1048 seqq.

De hac nullitate, quando substitutio ad causam profanam fit, idem videtur dicendum quod supra (n. 674) de testamentis informibus dictum est. Hinc is cujus interest, potest in conscientia rescissionem hujus dispositionis petere : qui rem substitutione affectam detinet, potest eam servare donec haeres eam petat ; hac petitione facta, debet rem haeredi restituere : quod faciendum erit etiam ante judicis sententiam, si nullum dubium est de nullitate legati ob additam substitutionem. Nulla autem obligatio haeredibus vel exsecutoribus testamentariis incumbit ut substitutiones exsequantur. Tandem si quaeratur num liceat rem legatam accipere cum animo non implendae substitutionis quae legato adjungatur, utpote lege civili irritatae, censemus respiciendum esse ad praesumptam voluntatem testatoris, a qua legatum omnem vim suam naturalem ducat : id igitur licitum esse, si praesumi potest voluisse testatorem ut res omnino fieret primi legatarii et secundario tantum intendisse traditionem ulteriorem ; illicitum vero, si satis appareat principaliter intendisse testatorem ut per manus primi legatarii res ad tertium transiret.

2° Substitutio ad causas pias, in foro conscientiae, exsequenda est : nam Jure Canonico, quo donationes piae reguntur (n. 675), valida habetur. Exemplum habes in eo qui domum suam legat Petro ea conditione ut is moriens eam leget ecclesiae parochiali. Quodsi, ut fit in Jure nostro, ipsum legatum ob additam substitutionem irritatur, haeres non tenebitur ad exsequendum legatum quatenus profanum est, puta, in exemplo dato, ad tradendam domum Petro, sed tantum ad curandum ut causa pia obtineat id quod illi, vi testamenti, competit : nullam enim aliam obligationem habet quam ut pia dispositio effectum suum sortiatur. Poterit itaque rem legatam, ex. gr. domum illam, in sua vel aliorum

quorumlibet possessione servare, quamdiu Petrus vivet, aut si id forsan impossibile vel piae dispositionis exsecutioni periculosum foret, alia ratione aequivalente compensare valorem juris quod causae piae per illam substitutionem concessum sit. Cfr. Waffelaert, I. n. 568 ; Marres, l. 1. n. 333.

§ 5. DE REVOCATIONE TESTAMENTORUM.

682. Qua ratione testamentum revocari vel caducum fieri, i. e. effectu suo privari possit, exponit C. C. aa. 1035-1047. Hic tantum quaedam principia ad forum conscientiae pertinentia de facultate revocandi testamenta subjiciemus :

1° Per se, ex omni Jure et speciatim nostro (a. 895), testamentum, etiam ad pias causas factum, a testatore, quoad vivit, revocari potest.

2° Promissio non revocandi testamentum, ex Jure civili, est nulla. Ideo si quis eam fecit, servat semper mutandi testamenti facultatem, etiamsi altera pars, ex. gr. conjux idem pro testamento suo promisisset : nam, cum dispositionem illam legislator civilis in materia sibi subjecta ad bonum commune tulerit, nequeunt privati se spoliare jure quod illis a lege conceditur. Attamen promissio, quae facta esset, non mutandi testamenti nisi monitione praemissa, servanda foret, nisi justa causa a monitione facienda excusaret. (Gury, Cas. t. I. n. 845 seqq.)

Quodsi tali promissioni adjectum esset juramentum, certe, in Jure nostro, non firmaretur promissio ita ut inde justitiae obligatio nasceretur ; imo, secundum probabilem sententiam, ne religionis quidem obligatio ad testamentum non revocandum urgeret. Cfr. n. 599.

3° Promissio non revocandi testamentum ad causam piam factum, censetur, ex Jure Canonico, valida quando ab homine acceptata fuit. Ab intentione autem promittentis pendet utrum se ad omittendam revocationem e mera fidelitate, ac proinde sub levi tantum, an e justitia, ac proinde, e genere suo sub gravi, obligare voluerit. (n. 607)

Quodsi promissio haec juramento firmata sit, Jure Canonico et Romano convalescit. Ideo habebitur gravis obligatio, saltem ex religione, ad testamentum non revocandum : a qua tamen obligatione dispensare poterit qui facultatem habet relaxandi vota et juramenta. (Marres, l. 1. n. 348)

ERRATA PRAECIPUA

Pag.	21,	lin. 7-8 (Lugo, De Inc. etc.)	*lege*	(Lugo, De Sacram. in gen. disp 8, sect. 5)
„	33,	„ 4, (1. 2. q. 5. a. 4.)	„	(1. 2. q. 6. a. 4.)
„	50,	„ 2, 1. 2. q. 19. ad 2.	„	1. 2. q. 19. a. 5. ad 2.
„	65,	„ 20, (Syst. mor. n. 77)	„	(Syst. mor. n. 76)
„	72,	„ 18, n. 59.	„	n. 67.
„	74,	„ 35, in ipsum unam	„	ipsum in unam
„	80,	„ 37, n. 592.	„	n. 602.
„	99,	„ 32, viam	„	vim
„	202,	„ 21, mortale v. genere	„	mortale ex genere
„	274,	„ 13, Nont sunt	„	Non sunt
„	337,	„ 9, egressi	„	ingressi
„	372,	„ 12, cadered	„	cadere
„	490,	„ 8, a diffamato	„	a diffamante
„	525,	„ 11, ipsis	„	ipsi
„	529,	„ 7, domin	„	domini
„	598,	„ 12, vetustae valorem	„	rei vetustae valorem
„	636,	„ 13, Theol. Mor. pertinet	„	Theol. Mor. pertinet (1)

INDEX SYNOPTICUS

VOLUMINIS PRIMI.

Pag.

PRAEFATIO PRIMAE EDITIONIS 5
EXPLICATIO PRAECIPUORUM SIGLORUM 7
PRAEAMBULA 9

THEOLOGIA MORALIS GENERALIS.

Tractatus I. De actibus humanis.

CAPUT I. De natura actuum humanorum 15
CAPUT II. De voluntario et involuntario 17
CAPUT III. De iis quae voluntarium tollunt vel minuunt . . 25
§ 1. De ignorantia 26
§ 2. De concupiscentia 30
§ 3. De vi 32
§ 4. De metu 33
CAPUT IV. De moralitate.
§ 1. De essentia moralitatis 35
§ 2. De fontibus moralitatis 38
CAPUT V. De merito 44

Tractatus II. De conscientia.

CAPUT I. Notio et divisio conscientiae 48
CAPUT II. De conscientia certa 49
CAPUT III. De conscientia dubia 51
CAPUT IV. De conscientia scrupulosa 54

CAPUT V. De conscientia laxa. 58
CAPUT VI. De probabilismo.
§ 1. Notiones et divisiones 59
§ 2. Varia systemata de probabilitate . . . 62
§ 3. Demonstratio probabilismi 63
§ 4. De regulis secundariis probabilismum determinantibus 76
§ 5. De usu opinionum probabilium 79

Tractatus III. De legibus.

CAPUT I. De notione et essentia legis 83
CAPUT II. De singulis legis elementis.
§ 1. De auctore legis 86
§ 2. De legis objecto 89
§ 3. De legis subjecto 91
§ 4. De legis promulgatione et acceptatione . . 96
§ 5. De legis obligatione in se ipsa 100
§ 6. De ratione satisfaciendi legis obligationi . . 102
§ 7. De legis interpretatione 104
CAPUT III. De iis quae a lege excusant 106
CAPUT IV. De dispensatione legis.
§ 1. De natura et auctore dispensationis . . . 109
§ 2. De causis dispensationum 114
§ 3. De cessatione dispensationis 115
CAPUT V. De cessatione legis. 117
CAPUT VI. De praecipuis legum speciebus.
§ 1. De lege naturali 121
§ 2. De lege positiva divina 125
§ 3. De lege ecclesiastica 126
§ 4. De lege poenali 130
§ 5. De lege irritante 132
§ 6. De privilegiis 133

Tractatus VI. De peccatis.

CAPUT I. De notione et divisionibus peccati 136
CAPUT II. De peccati gravitate et levitate 138
CAPUT III. De distinctione peccatorum specifica et numerica . 144
§ 1. De distinctione specifica 145
§ 2. De distinctione numerica 146

CAPUT IV. De peccatis internis 150
§ 1. De desiderio et gaudio 151
§ 2. De delectatione morosa 153
CAPUT V. De peccatis capitalibus 156
§ 1. De superbia 157
§ 2. De avaritia 158
§ 3. De invidia 158
§ 4. De gula 159
§ 5. De ira 163
§ 6. De acedia 164

THEOLOGIA MORALIS SPECIALIS.

—

Tractatus V. De praeceptis virtutum theologicarum.

SECTIO I DE FIDE.

CAPUT I. Quae mysteria necessario credenda sint. . . 169
CAPUT II. De fidei actu interno 172
CAPUT III. De fide exterius profitenda.
§ 1. Regulae generales 173
§ 2. De communicatione cum haereticis et infidelibus . 176
CAPUT IV. De vitiis fidei oppositis.
§ 1. De infidelitate 180
§ 2. De haeresi et apostasia 181
§ 3. De liberalismo 183

SECTIO II. DE SPE. 184

SECTIO III. DE CARITATE.

CAPUT I. De praecepto caritatis Dei 187
CAPUT II. De praecepto caritatis proximi 189
§ 1. De generali obligatione diligendi proximum eique in necessitate opem ferendi 190
§ 2. De correptione fraterna 193

§ 3. De eleemosyna 197
§ 4. De odio et dilectione inimicorum . . . 201
§ 5. De scandalo in genere 205
§ 6. De cooperatione in genere 209
§ 7. De quibusdam speciebus scandali vel cooperationis 210
Appendix. De virtutibus moralibus 222
§ 1. De prudentia 223
§ 2. De justitia 224
§ 3. De fortitudine 227
§ 4. De temperantia 230

Tractatus VI. De praeceptis decalogi.

SECTIO I. DE PRIMO PRAECEPTO.

Caput I. De obligationibus positivis hujus praecepti.
§ 1. De virtute religionis in genere 237
§ 2. De adoratione 238
§ 3. De oratione 240
Caput II. De vitiis religioni oppositis per excessum.
§ 1. De superstitione in genere 244
§ 2. De idololatria 245
§ 3. De divinatione 245
§ 4. De vana observantia et magia 248
§ 5. De maleficio 249
§ 6. De tabulis rotantibus et spiritismo . . . 249
§ 7. De magnetismo animali et hypnotismo . . 251
Caput III. De vitiis religioni oppositis per defectum.
§ 1. De tentatione Dei 256
§ 2. De sacrilegio 258
§ 3. De simonia 262

SECTIO II. DE SECUNDO PRAECEPTO.

Caput I. De blasphemia.
§ 1. De natura et malitia blasphemiae . . . 270
§ 2. De praxi servanda cum blasphemantibus . . 272
§ 3. De vana usurpatione nominis Dei . . . 276
Caput II. De juramento.
§ 1. De natura et divisionibus juramenti . . . 277

§ 2. De conditionibus in juramento requisitis . . 281
§ 3. De obligatione et relaxatione juramenti promissorii 283
§ 4. De adjuratione 285
CAPUT III. De voto.
§ 1. De voti natura et divisione. 288
§ 2. De deliberatione et intentione voventis . . 289
§ 3. De materia voti 291
§ 4. De obligatione voti 294
§ 5. De cessatione obligationis voti ab intrinseco . 296
§ 6. De irritatione voti 298
§ 7. De dispensatione voti 300
§ 8. De commutatione voti 302

SECTIO III. DE TERTIO PRAECEPTO.

CAPUT I. De operibus quae diebus festis prohibentur
§ 1. Determinatio operum prohibitorum . . . 304
§ 2. De causis ob quas liceant diebus festis opera servilia 307
CAPUT II. De Missa diebus festis audienda
§ 1. De ratione qua Missa audienda est . . . 310
§ 2. De causis ob quas licet Missam omittere . . . 316

SECTIO IV. DE QUARTO PRAECEPTO.

CAPUT I. De officiis liberorum erga parentes . . . 319
CAPUT II. De officiis parentum erga liberos 322
CAPUT III. De obligationibus conjugum 328
CAPUT IV. De obligationibus dominorum et famulorum . . 330
CAPUT V. De obligationibus principum et subditorum . . 333

SECTIO V. DE QUINTO PRAECEPTO.

CAPUT I. De servanda vita propria
§ 1. De propria vita non laedenda 341
§ 2. De positiva cura vitae propriae 345
CAPUT II. De occisione malefactoris 348
CAPUT III. De occisione iniqui aggressoris 349
CAPUT IV. De occisione innocentis.
§ 1. Principia generalia 352
§ 2. De occisione foetus 354

CAPUT V. De duello 358
CAPUT VI. De bello 362

SECTIO VI. DE SEXTO ET NONO PRAECEPTO.

CAPUT I. De peccatis luxuriae consummatis juxta naturam.
§ 1. Notiones praeviae 365
§ 2. De speciebus peccatorum quae juxta naturam consummantur 368
CAPUT II. De peccatis luxuriae consummatis contra naturam.
§ 1. De pollutione 372
§ 2. De sodomia 378
§ 3. De bestialitate 379
CAPUT III. De peccatis luxuriae non consummatis.
§ 1. Principia generalia 380
§ 2. De quibusdam actibus vel occasionibus impudicitiae 382

SECTIO VII. DE OCTAVO PRAECEPTO.

CAPUT I. De mendacio 388
CAPUT II. De detractione 394
CAPUT III. De judicio seu suspicione temeraria . . . 401
CAPUT IV. De contumelia 403
CAPUT V. De violatione secreti 405

Tractatus VII. De praeceptis ecclesiae.

CAPUT I. De festorum observatione 411
CAPUT II. De jejunio et abstinentia. 412
§ 1. De jejunio 413
§ 2. De abstinentia 418
§ 3. De causis a jejunio excusantibus. . . . 421
§ 4. De causis ab abstinentia excusantibus. . . 424
CAPUT III. De librorum prohibitione 428
§ 1. Quinam libri sint prohibiti. 430
§ 2. Officia ex hac prohibitione oriunda . . . 438
§ 3. De censura librorum. 444

Tractatus VIII. De justitia et jure.

SECTIO I. DE NOTIONIBUS JUSTITIAE ET JURIS ET SPECIEBUS JURIS IN RE.

CAPUT I. Notiones generales Justitiae et Juris . . . 448

CAPUT II. De dominio.

§ 1. Notio et divisio 453

§ 2. Dominii objectum et subjectum 455

§ 3. De dominio filiorumfamilias 457

§ 4. De dominio uxorum 459

§ 5. De dominio clericorum 463

§ 6. De dominio auctorum 465

CAPUT III. De dominii acquisitione 467

§ 1. De occupatione 468

Punctum I. De occupatione animalium . . 468

Punctum II. De inventione thesauri. . . . 471

Punctum III. De inventione rerum amissarum. . . 473

Punctum IV. De bonis derelictis vel vacantibus. . 474

§ 2. De accessione 474

§ 3. De praescriptione 476

Punctum I. De praescriptione acquisitiva . . 476

Punctum II. De praescriptione liberativa . . . 480

§ 4. De usufructu, usu et habitatione 481

§ 5. De servitute 482

SECTIO II. DE LAESIONE JURIS ALIENI.

CAPUT I. De injuria in genere 484

CAPUT II. De furto.

§ 1. De natura furti 486

§ 2. De necessitate quae a furto excusat . . . 487

§ 3. De occulta compensatione 489

§ 4. De materia gravi in furto 492

SECTIO III. DE RESTITUTIONE.

CAPUT I. Notio et radices restitutionis 497

CAPUT II. De restitutione ob injustam acceptionem . . 499
§ 1. De 1ª conditione : ut actio sit injusta . . . 499
§ 2. De 2ª conditione : ut actio sit causa efficax damni realiter secuti 501
§ 3. De 3ª conditione : ut detur culpa theologica . . 503
§ 4. De damnificatione dubia vel cum errore patrata . 507
CAPUT III. De restitutione quae oritur ex re accepta.
§ 1. Principia generalia 509
§ 2. De possessore bonae fidei 510
§ 3. De possessore malae fidei 515
§ 4. De possessore dubiae fidei 519
CAPUT IV. De injusta cooperatione 521
§ 1. De jubente 521
§ 2. De consulente 523
§ 3. De consentiente 525
§ 4. De palpone 526
§ 5. De recursu 527
§ 6. De participante 527
§ 7. De cooperatoribus negativis 529
§ 8. De restitutione in solidum 532
CAPUT V. De circumstantiis restitutionis.
§ 1. De persona cui restituendum sit 536
§ 2. De modo, loco et tempore restitutionis faciendae . 538
§ 3. De causis a restitutione excusantibus . . . 541
CAPUT VI. De restitutionibus quibusdam in specie.
§ 1. De laesione in bonis spiritualibus . . . 546
§ 2. De laesione in bonis famae et honoris . . . 548
§ 3. De homicidio et mutilatione 551
§ 4. De fornicatione vel stupro 554
§ 5. De adulterio 556
§ 6. De tributis 557
§ 7. De servitio militari 562

Tractatus IX. De contractibus.

SECTIO 1. DE CONTRACTIBUS IN GENERE

CAPUT I. De natura et divisionibus contractuum . . . 565
CAPUT II. De personis contrahentibus 567
CAPUT III. De materia contractus 569

CAPUT IV. De consensu.
§ 1. De qualitatibus in consensu requisitis . . . 571
§ 2. De consensu per errorem vel dolum vitiato . . 574
§ 3. De consensu per metum vitiato 576
CAPUT V. De obligatione e contractu orta.
§ 1. De obligatione substantiali 578
§ 2. De obligationibus accidentalibus. 581
§ 3. De juramento contractibus addito . . . 584
CAPUT VI. De cessatione obligationis contractuum.
§ 1. Regulae generales 586
§ 2. Specialia debitoribus obaeratis 588

SECTIO II. DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

CAPUT I. De promissione 592
CAPUT II. De donatione 594
CAPUT III. De commodato 597
CAPUT IV. De mutuo.
§ 1. De mutuo simplici 598
§ 2. De mutuo cum fenoris stipulatione . . . 600
§ 3. De censu et cambio 606
CAPUT V. De deposito et sequestro 608
CAPUT VI. De emptione et venditione.
§ 1. De natura et effectibus hujus contractus . . 610
§ 2. De justo pretio 615
§ 3. De quibusdam speciebus venditionis . . . 620
§ 4. De monopolio 623
CAPUT VII. De locatione.
§ 1. De locatione rerum 626
§ 2. De locatione operae 628
CAPUT VIII. De societate 635
CAPUT IX. De mandato 637
CAPUT X. De contractibus aleatoriis.
§ 1. De assecuratione. 639
§ 2. De ludo 643
§ 3. De sponsione 646
§ 4. De sortitione seu loteria 647
§ 5. De ludis seu speculationibus Bursae . . . 648

SECTIO III. DE SUCCESSIONE HAEREDITARIA.

CAPUT I. De successione ab intestato.
§ 1. Principia generalia 650
§ 2. De acceptatione vel repudiatione haereditatis . 652
§ 3. De collatione donationum et legatorum . . 653
CAPUT II. De testamentis.
§ 1. De natura testamentorum 654
§ 2. De conditionibus ad valorem testamenti requisitis 655
§ 3. De haeredibus necessariis et portione legitima . 660
§ 4. De legatis et substitutionibus 663
§ 5. De revocatione testamentorum 666
Errata praecipua 667

Index Librorum Prohibitorum.

Author	Book	Year
Kant	"Critique of pure Reason"	1837.
Acton	"On the history of the Vatican Council"	1872.
Addison	"Remarks on several parts of Italy"	1729
Acton	"Letter to a German bishop"	1871.
Berkeley	Alciphron or the Minute philosopher	1742.
" "	Antisamala or Feigned Innocence	1744.
Balzac	All his Romances	1841-42-64.
Bayley	Practice of Piety	1722.
Bruno	Religio Medici	1645.
Comte	Course of Positive Philos	1864.
Cousin	Evangelicum Medici	1719.
Cousin	Course of history of Philos	1844.
Defoe	History of the Devil	1743.
Diocart	Works, Discourse on oaths of Alligner	167
Diderot	All his Romances	

Author. Title Date

Duggan – Steps towards Reunion — 189

Dumas + Son – all their Works — 186

Dumas Son – Diner Dumas — 188

Gibbon – History of decline + fall of R. Empire – 178

Goldsmith (Oliv.) – An Abridged history of England – 18

Hallam – The Constitutional history of England – 18

Hallam – View of State of England during M. Ages – 18

Hugo (Victr) – Notre Dame de Paris – 1834

Hugo (Victr) – Les Miserables — 1864

Hunt – All his works 1761 – 1827.

Lamennais – his works

Lang – Myth, Ritual + Religion – 1896

Locke – An essay on human Understanding – 17

Locke – The Reasonableness of Christianity as delivered in S.S. 17

Mill – Principles of Political Economy – 185

Mirabeau – Happiness in Hell — 189

Montaigne – Michelde – Essays — 1676

Richardson – "Pamela or Virtue Rewarded" – 174

Pascal – Pensees Avec la vie de Voltaire – 178

Pascal – Les Provinciales – 165

Curran – 19 of his works – 1859–1892

Roscoe – The life & Pontificate of Leo X – 1835

Rose – A View of All Religions – 1675

Rousseau – 5 of his works – 1862–18

Sabatier – Vie de S. Francois d'assise – 189

Sand – All his works fabulae amatoriae – 18

Simon – Histoire Critique du Vieux Testament 16

" – " " " Texte du Nouveau 16

" – " " de Versions " " 16

" – " Testament (C. Nouveau traduit) 17

Steele – Account of R. C. Religion – 1719

Strauss – Life of Christ – – – 1838

Sue – All of his Novels – 182

Taine – History of English Literature – 186

Voltaire – 39 Various works – 185

Whately – Elements of Logic – 185

Zola – All of his works – – 1894–18

3 5282 00175 3816



DATE DUE

BX1758
G4
1900x
vol.1

STACKS BX1758.G4 1900x vol. 1
Genicot, Eduard,
Theologiae moralis
3 5282 00175 3816